PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS OCTAVUS DECIMUS

(II. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1929

16762

v.18

IMPRIMATUR

P. Petrus Boetto, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, 27 dec. 1929.

† ANTONIUS MARIA JANNOTTA
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscurvi

Società Tipografica A. Macioce & Pisani - Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De obiectiva ratione pretii iusti.

Iustum pretium *esse* illud, *quo efficitur obiectiva aequivalentia inter datum et acceptum,* vix est qui neget. Negant tantum *Nominalistae* ii, qui, cum valorem obiectivum non admittant, consequenter neque aequivalentiam obiectivam admittere possunt. Iamvero, si iustitia pretii collocatur in aequivalentia obiectiva inter rem, quae accipitur, et pretium, quod datur, *ulterius quaerendum* est

1) *in quo consistat valor oeconomicus necnon aequivalentia oeconomica obiectiva,*

2) *cur in commercio humano commutationes oeconomicae debeant fieri secundum aequivalentiam eamque obiectivam?*

I. Valorem et aequivalentiam hoc loco intellegi *sensu oeconomico* vix operae pretium est expresse animadvertere. Etenim non attendi ontologicam perfectionem rerum secundum se seu gradum, quem obtineant in ordine metaphysico, notissimum est ex famosis exempiis afferri solitis, v. g. pulicis et gemmae, murium et panis, immo servi et equi. Quamquam vivum perfectione ontologica longe excedit materiam anorganicam, animal materiam organicam, homo rationalis brutum,

nihilo minus in commercio humano, quantum ad commutationes, aestimationi prorsus dissimili, haud raro directe oppositae, subiacent. Iamvero *id, quod* hac aestimatione, qua utimur *in commercio humano* quoad commutationes *rerum, taxatur vel mensuratur,* vocamus *valorem oeconomicum.*

Istum valorem oeconomicum constat in omnibus rebus, quae in commercio humano in commutationem veniunt, inesse *specie eundem*, sive agitur de bonis materialibus vel, quae vocantur, immaterialibus, sive agitur de servitiis praestandis vel de meris omissionibus. Quanti quid mihi valeat vel quanti quid mea intersit, in commercio humano eadem mensura tamquam medio commutationum exprimitur, sc. *pecunia,* unde *manifestum est mensurata quantum ad id, secundum quod mensurantur,* esse *eiusdem speciei.*

Iamvero omnibus istis rebus, sc. bonis materialibus et immaterialibus, actionibus et omissionibus, nihil est specifice commune, nisi quod habiles seu idoneae sint, quae commutentur. Possit quidem videri aliud quid iis omnibus rebus esse commune, sc. quod sint *utiles* homini, immo hanc esse obiectivam rationem, cur commutentur, ipsamque hanc utilitatem constituere valorem. Verum quidem id est, *at utilitas* non est specie eadem in omnibus, sed specie maxime diversa; hinc utilitas seu aptitudo rerum, ut homini prosint, *constituit earum valorem* non oeconomicum, sed eum, qui vocatur « *ad usum* ». Valor oeconomicus utique supponit valorem qui est ad usum, sed nequaquam cum eo identificatur. Immo in hoc praecise differunt, quod valor oeconomicus ad mensuram specie unam reduci potest, quo fit, ut satis accurate eum metiri possimus; *valor* vero qui est *ad usum, mensuram univocam non habet.* Vel, quod fere in idem recidit: valor oeconomicus est « *scalaris* », sc. mensurabilis per mensuram seu scalam unius tantum dimensionis; e contra valor, qui est ad usum, non

potest exprimi per scalam aliquam vel mensuram unius tantum dimensionis, sed requirit saltem planitiem *bi-dimensionalem,* sc. mensurandus est secundum ontologicam *dignitatem* eius necessitatis vitae humanae, cui satisfacit (prima dimensio), et secundum gradum vel *intensitatem* necessitatis, sc. in quantum tali necessitati fieri satis pro rerum adiunctis plus minusve urget (altera dimensio).

Id unum ex inquisitionibus oeconomistarum videtur ad evidentiam demonstratum : *nihil omnibus iis rebus,* quae in commercio humano commutationibus subsunt, *inesse univoce commune seu specifice unum* nisi ipsam *commutabilitatem,* i. e. quod secundum certas et determinatas relationes quantitatis inter se possint commutari ita, ut certae quantitati alicuius rei certa quantitas sive alterius cuiusdam rei sive pecuniae censeatur aequivalens vel, quod idem est, ita ut commutatio praecise secundum hanc relationem quantitatis videatur consentanea vel recta seu sit veri nominis commutatio, quippe in qua revera alterum *pro* altero seu *loco* alterius detur, id quod supponit ea, quae tali modo inter se commutantur, vere aequiparari.

Quaestio est, quaenam sit *obiectiva ratio,* ob quam res quantum ad earum commutationes inter se vel cum pecunia faciendas ab hominibus in certis relationibus aequivalentiae collocantur. Intelligimus rationem *essendi,* non cognoscendi tantum ! Quaeritur imprimis, utrum haec ratio obiectiva sit reponenda in esse aliquo *absoluto* an *relativo ?*

Experientia constat homines in cotidiana vita perpetuo et facillime ponere talia iudicia comparativa idque satis audacter et haud raro pertinaciter. Eadem experientia magistra, notum est haec iudicia saepissime pugnare inter se et quam plurimum pendere ab « interesse » eius qui de aequivalentia iudicat. Emptores iudicare solent pretium excessivum, quod venditori vi-

detur iusto inferius. Pretia *a longo tempore* consueta et in aliqua communitate, ut ita dicam, recepta generaliter censentur iusta, *recenter* introducta impugnari solent tamquam ab aequivalentia obiectiva deviantia. Negari quidem nequit in iudiciis de aequivalentia obiectiva consuetudini vel aestimationi communi magnam partem deberi. Neque tamen *sine petitione principii* valor et aequivalentia reduci possunt ad aestimationem quantumvis usitatam et communem; intellectus enim suum obiectum supponit, non constituit.

Quod *homines* rationem reddere ut plurimum non possunt, cur certam mensuram valoris oeconomici rebus attribuant, non est magni faciendum. Haud raro enim accidit, ut homines pro praxi satis clare perspiciant rationes, quibus se dirigant, sed reflexam earum cognitionem non habeant. Etiam in nostro casu concedendum est homines in iudiciis suis de valore et aequivalentia obiectiva rerum duci rationibus obiectivis, sed adeo in confuso apprehensis, ut non solum rationem de iis reddere nequeant, sed etiam frequentissime ipsi fallantur, maxime, quando hae rationes obiectivae offuscantur per « interesse ».

Oeconomistae, non theologi (moralistae), per se est explicare tum, in quo consistat valor et aequivalentia obiectiva, tum, quae sit ratio obiectiva seu norma determinans sive mensurans et valorem et aequivalentiam. Miro tamen modo consideratio oeconomica cum morali intime cohaeret ita, ut neutra ad suum finem perduci queat nisi respectu habito ad alteram et quodammodo adiuta ab altera.

Quia necessitates seu indigentiae hominum, licet non ex toto, tamen magna ex parte sunt per ipsam naturam humanam et numerum hominum in terra exsistentium quoad quantitatem determinatae, ut puta certa quantitas annonae, ut sustentationi vitae sit provisum, ideo in societate humana, quae nititur in divisione la-

borum et commutatione bonorum necnon servitiorum (1), varia bona et servitia certa et determinata quantitate debent praestari et secundum certas et determinatas relationes quantitatis inter se commutari. Posset quidem idem effectus obtineri sine commutationibus eo quod aut auctoritas publica singulis iniungeret certa bona vel servitia praestanda, singulis attribueret consumenda (societas *socialistica*), aut singuli ultro et gratis ex mera benevolentia bona a se producta et servitia a se praestita ad communem aliquem cumulum seu fundum conferrent neque quisquam ex hoc cumulo plus arriperet et suis usibus destinaret, quam ratione habita indigentiarum vel necessitatum reliquorum hominum asportare vel occupare sibi fas est (societas *paradisica*). Utrumque vero in ordine rerum, qui de facto est, simpliciter est utopicum ideoque considerationem non meretur. At in societate hominum, qui solent suum commodum quaerere, quippe qui natura ita sint comparati, ut hoc stimulo indigeant ad vires exserendas, opus est commutatione bonorum et servitiorum eaque tali, quae fiat secundum certas relationes quantitatum.

Necessitas haec, sc. fieri commutationes easque ita, ut bona et servitia secundum certas et determinatas relationes quantitatis commutentur, est obiectiva ratio aequivalentiae necnon valoris oeconomici.

Primum quidem locum et re et ratione occupat valor qui vocatur ad usum. Sequitur necessitas commutandi bona et servitia utilia. Est necessitas *physica* eaque *hypothetica*, sc. si homines, prout sunt, vitam servare intendunt. Commutatio vero quaevis fieri nequit nisi secundum aliquam relationem quantitatis; universale enim a parte rei repugnat. Verum non quaevis relationes quantitativae in commutationibus admitti possunt,

---

(1) « *Arbeitsteilige, auf Güter-und Dienstleistungstausch beruhende Verkehrswirtschaft* ».

si finis humanae vitae servandae attingendus est. Inde necessitas commutandi secundum *certas* relationes vel saltem *intra certos limites* relationum quantitativarum. Est necessitas pariter *physica* et *hypothetica,* sc. si vita hominum est servanda, multoque magis, si est humano modo, ut homines decet, degenda. Aliis verbis: supposito, quod homines in posterum natura comparati, sicut omnibus saeculis comparati fuerunt, agent quoque prout hucusque semper agere consueverunt, quae est suppositio moraliter certa nisi velis dicere hanc certitudinem stricte dictam moralem reduci in ipsam metaphysicam! — *commutatio* intra certos limites relationum quantitativarum *est medium physice* necessarium ad id, ut homines victum necessarium habere possint, multoque magis, i. e. inter limites etiam arctiores, ut copia bonorum materialium praesto sit ea, qua opus est, ut ex extremis angustiis victus quaerendi homines erepti, altioribus artibus, i. e. culturae vel civilisationi, vitae morali et religiosae, aut omnino aut saltem commodius se dedere possint. Necessitas illa res commutari secundum determinatas relationes quantitativas est ratio obiectiva constituens ipsas res in aequivalentia oeconomica, si inter se comparantur, vel in valore oeconomico determinato, si cum medio commutandi, quae est pecunia, comparantur. Pecuniam intellegimus non numeratam, sed tamquam meram tesseram computandi (1).

Valor etenim *oeconomicus est denominatio rei* ab hoc, quod cum certa quantitate pecuniae, quae pretii nomine venit, exigit aequiparari et, si casus tulerit, commutari. Necessitas illa, quatenus est exigitiva aequiparationis vel commutationis, quae fiat praecise tanto pretio, vocatur *valor oeconomicus;* quatenus est exigitiva aequiparationis vel commutationis cum aliis

(1) « Reine Rechnungsgrösse! »

rebus, quae fiat servatis certis relationibus quantitativis, vocatur *aequivalentia obiectiva.*

Quaenam in concreto debeant esse istae relationes quantitativae commutationum, ut humanus convictus subsistere possit, maxime pendet a statu societatis humanae civilis et oeconomicae. In societate bene organizata, relationes non modo stabiliores erunt, sed etiam multo facilius et accuratius definientur, quam in societate atomizata, prout est nostra.

Vehementer errant, qui statuant ipso libero exercitio virium sponte effectum iri, ut istae relationes, i. e. pretia rerum, rectum statum obtineant; hunc errorem defendunt oeconomistae classici necnon neoclassicistae, gratis supponentes automatismum quendam pretiorum, unde reiciunt valorem obiectivum ac regulas normativas vitae oeconomicae. Ita imprimis *Functionalismus oeconomicus* necnon *Nominalismus valoris.* Contra quos acerrime defendimus *realismum* nostrum valoris, sc. doctrinam asserentem *a parte rei* esse necessitatem seu exigentiam certarum relationum quantitativarum commutationis. Ita noster Realismus valoris moderatus.

At negamus valorem oeconomicum esse attributum, quod suo subiecto conveniat *secundum se* vel absolute, seu considerato secundum *suum esse absolutum.* Statuimus vero convenire subiecto considerato secundum *suum esse relativum,* nimirum secundum relationes eas, quibus refertur ad reliqua obiecta exsistentia in eodem ordine oeconomico, i. e. in tota communitate, intra quam commercium oeconomicum absolvitur et commutationes fiunt. In parva communitate, v. g. si totum commercium absolvitur intra muros alicuius civitatis, ut fere solebat temporibus medii aevi, auctoritas publica, puta magistratus civitatis, facile potest perspectum habere totum statum oeconomicum, i. e. copiam rerum et operarum, capacitatem quam nunc vocamus

producendi et consumendi, etc., ideoque satis bene taxare valorem tam rerum quam operarum necnon pretium valori taxato aequivalens praescribere. Quo maior evadit communitas, v. g. tota natio vel nostris temporibus aliquatenus iam totum genus humanum, quo diversiores in promptu sunt methodi, quibus eadem res produci potest (1), quo maior numerus rerum quae ad eundem finem obtinendum altera pro altera substitui possunt (2), eo difficilius totalitas et complexitas condicionum oeconomicarum perspicitur, ex quibus relationes commutandi recte aestimentur, pretia recte taxentur. Immo non solum difficilius perspicitur, sed etiam obiective a parte rei videtur maius spatium, seu, ut aiunt, latitudo, intra cuius limites relationes quantitativae commutationum variari possunt, salva aequivalentia obiectiva.

Praeter necessitatem res commutandi secundum certas relationes quantitativas, ut humanus convictus subsistere et salvus esse possit, *nulla ratio obiectiva* valoris oeconomici et aequivalentiae *alia assignari potest* neque unquam assignata est. Confirmatur per eas, quae ab auctoribus communiter afferri solent rationes, v. g. copiae vel raritatis. Copia enim vel inopia seu raritas obiectum constituunt in certo valore, praecise ideo, quia necessitatem imponunt illas relationes quantitativas commutationum vel augendi vel diminuendi. Seposito autem hoc respectu ad convictum hominum oeconomicum, ratio obiectiva neque constitutiva neque manifestativa habetur, qua aequivalentia oeconomica rerum necnon valor oeconomicus aut efficiatur aut cognoscatur.

Hisce doctrina de valore oeconomico seu de aequivalentia obiectiva in genere oeconomiae sufficienter videtur exposita. Apprime consonat cum iis, quae

(1) V. g. benzinum per fractionem petrolei el per hydrolysim carbonum.
(2) V. g. solana vel ligna ad producendum alcohol.

auctores scholastici antiquiores et moderni communi consensu docent. Tantum pro viribus etiam magis expolivimus ita, ut ex altera parte, in quantum fieri potest, nos accommodaremus ad modum loquendi et concipiendi scientiae oeconomicae modernae, ex altera parte erroribus nostri temporis, imprimis Nominalismo valoris necnon Functionalismo pretiorum oeconomistarum neoclassicisticorum, opponeremus. Quae exposuimus, quam accuratissime videntur referre probatam et genuinam doctrinam *Solidarismi* (H. Pesch S. I.).

II. Iamvero urget *altera quaestio* eaque principalis, *quae* iam non *pertinet* ad oeconomistam, sed *proprie ad moralistam,* nimirum *num,* et si affirmative ad hoc, *cur* in commercio humano commutationes oeconomicae fieri *debeant* secundum aequivalentiam obiectivam.

Ad utramque quaestionem simul respondetur ita. Ad convictum humanum requiritur tamquam medium absolute necessarium ad finem, ut commutationes fiant praecise secundum certas ac determinatas relationes quantitatis, i. e. secundum relationes aequivalentiae obiectivae. Hinc *rectus ordo socialis, qui est pars totius ordinis rationis, postulat, ut commutationes fiant secundum relationes aequivalentiae obiectivae.*

Id corollarii instar colligitur ex iis, quae supra de ratione obiectiva valoris oeconomici necnon aequivalentiae obiectivae explicata sunt. Nimirum iisdem adamussim considerationibus, quibus oeconomice rem considerando explicavimus, quid *sit* valor obiectivus et aequivalentia obiectiva, re sub respectu morali vel iuridico considerata efficitur recto ordine rationis *postulari,* ut commutationes oeconomicae fiant secundum aequivalentiam obiectivam. *Recto ordine sociali,* i. e. ordine, qui requiritur, ut humanus convictus salvus consistere possit, id postulatur. Ideo argumentis novis, quibus id demonstretur, opus non est, sed tantum

sensus assserti accuratius est explicandus. Dein statim transibimus ad difficultates quasdam ope asserti nostri rite intellecti solvendas, unde sententia proposita valide confirmabitur.

Non est intellegendum assertum de *obligatione* qua membra societatis tenentur *erga societatem ipsam,* ut commutent inter se bona et servitia, i. e. participent, non se subtrahant a commercio oeconomico, quod procedit secundum aequivalentiam oeconomicam seu obiectivam, quae, quam late pateat obligatio vel quousque se extendat, relinquatur in medio tamquam non spectans ad rem nostram. Ista enim obligatio, in quantum admittenda videtur, est iustitiae *legalis* seu *socialis* (his nominibus utimur promiscue tamquam plane synonymis).

Inter omnes vero constat servare aequivalentiam obiectivam in contractibus bilateralibus onerosis esse iustitiae strictae (*commutativae*), id quod ex eo vel maxime patet, quod iustitiae stricte dictae nomen inditum est commutativae praecise ideo, quia in commutationibus principalis eius est locus. Unde sequitur obligationem servandae aequivalentiae obiectivae in commutationibus non fundari formaliter in principio illo generali iustitiae legalis seu socialis, secundum quod omnes tenentur ad id, sine quo humanus convictus salvus consistere non potest, ad quem finem commutatio secundum aequivalentiam obiectivam utique requiritur tamquam medium absolute necessarium.

Neque ita intellegi debet assertum, quasi *numquam* licite fieri posset commutatio, quae recedat ab aequivalentia obiectiva. Ex eo, quod interveniunt actus liberales, ordo socialis necnon commercium oeconomicum non perturbantur. Turbatur vero ordo socialis et commercium oeconomicum, si licet alteram partem contractus in contrahendo *adigere* ad id ut contrahat non obtento aequivalenti obiectivo.

Reiectis igitur falsis acceptionibus asserti, statuitur sensus verus. *Ex eo, quod rectus ordo exigit* commutationes fieri secundum aequivalentiam obiectivam eo sensu, ut cum recto ordine componi non possit quemquam adigi ad faciendam commutationem non obtento aequivalenti obiectivo, *sequitur* competere unicuique *strictum ius,* ne ullo modo compellatur ad contrahendum secundum aequivalentiam subiectivam vel aliter recedendo ab aequivalentia obiectiva, nisi sua ipse sponte libere velit liberaliter agere. Quod ius strictum alterius partis contrahentis evidenter violatur obtrudendo quocumque modo contractum obiective inaequalem, ex quo efficitur talem contractum, nisi fiat cum plena libertate et ex animo liberaliter agendi, esse *formaliter iniustum* propter laesam iustitiam commutativam seu strictam.

Confirmatur iam assertum ex eo, quod viam planam reddit ad solvendam difficultatem, quae in nulla alia hypothesi ad satisfactionem solvitur. Cardo enim totius difficultatis, circa obligationem servandi aequivalentiam obiectivam in contractibus bilateralibus onerosis fere in hoc vertitur. Ex una parte constat hominem, quamvis ius habeat non contrahendi, nisi recipiat rem obiective aequivalentem rei quam daturus est, posse tamen huic iuri cedere et contrahere secundum aequivalentiam subiectivam. Casus in vita cotidiana sunt satis frequentes. Haud raro v. g. accidit, quod quis agrum emit magno pretio, qui obiective exigui est valoris, sed sibi valde utilis, quia aditum praebet suae officinae ad viam publicam, v. g. ferream vel navigabilem. Volens contrahit, cum possit, si nolit, non contrahere. Volenti igitur non videtur posse fieri iniuria. Neque damnum pati videtur; nam si damnosum sibi esse contractum iudicaret, certissime non contraheret. Ex altera tamen parte maior et sanior pars moralistarum, duce ipso S. **Thoma,** docent, quamvis

dominus talis agri ius habeat agrum, si nolit, non vendendi, posse quidem nihilo secius huic suo iuri cedere et vendere, si praeplacet, ita tamen, ut si vendendo exigat pretium obiectivam aequivalentiam excedens, *iniuste* agat; contractum fore iniustum ex pretio iniusto, i. e. ex violata aequivalentia obiectiva; emptori irrogari iniuriam, strictum eius ius laedi. Quae quidem prima facie non intelleguntur, quomodo inter se componi possint.

Inquirendum igitur est accuratius primo in *ius, quo emptor* dicitur *volens cedere,* dein in ipsam *cessionem,* tum in *ius,* quod *laedi dicitur,* denique in ipsam *laesionem.*

Obviam primo aspectu se praebet solutio haec. Emptori competere duo diversa iura: primum ius est contrahendi vel non contrahendi, prout sibi videtur. Contrahendo cedit iuri non contrahendi, id quod est evidentissimum. Alterum est ius *sibi non obtrudi* contractum, ex quo non obtineat saltem obiectivum aequivalens eius, quod daturus est. Exigendo pretium obiectiva aequivalentia maius, venditor hoc ius laedit; contrahendo emptor huic iuri non cedit, sed tolerat tantum iniuriam irrogatam, quam aegre tamen fert. At, quamquam, hoc posito, tota difficultas videatur primo intuitu soluta, solutio tamen sustineri nequit. Facile quidem intelligitur *caritatem* laedi, si necessitate, in qua quis est constitutus, abutendo cogam, ut pretium iusto maius, i. e. quod aequivalentiam obiectivam excedat, solvat. Aeque facile patet ipsam iustitiam strictam laedi, si ignorantia alterius contrahentis de vero valore obiectivo abutendo inducam, ut contrahat de pretio, quod erronee censet esse obiective aequivalens, cum non sit; immo talis contractus, si quidem alter praecise nollet contrahere nisi servata aequivalentia obiectiva, ex defectu consensus facile posset esse nullus. Haec omnia facile perspiciuntur.

Sed difficultatem creat ius illud strictum, quod emptor sibi servare, venditor laedere dicitur, si emptor *sciens et volens* consentit contractui oblato vel, ut aiunt, obtruso.

Et re quidem vera tale ius, si obligatio servandi aequivalentiam obiectivam in contractibus bilateralibus onerosis fundari dicitur *in voluntate* contrahentium, non nisi per petitionem principii statuitur, aut formalem contradictionem involvit. Consentiendo enim contractui, per suum actum voluntatis acceptando ius ad agrum ea lege, ut ipse alteri conferat ius ad pretium excessivum et suo tempore pretium reapse solvat, transferendo simul in alterum ius ad pretium ea lege, ut alter sibi conferat ius ad agrum et per consequentiam etiam ipsum dominium agri legitimo modo ab altero transeat in se, non cedit vi illatae, quippe quae in ipsum actum voluntatis cadere non potest, non passive tantum se habet tolerando, ut alter excessum pretii furto vel rapina auferat, sed active ipse transfert ius. *Invitus* quidem transfert, *sed vere* et *efficaciter* transfert; si minus, specie tantum contrahit et contractus ex defectu veri consensus est nullus. Stat igitur: si contrahit, transfert, non reservat ius; si reservat, non transfert ideoque non serio contrahit.

Neque potest effugium inveniri in eo, quod quis dicat ius *reservatum* et ius *translatum* esse diversa iura, sc. transferri ius, de quo contrahitur, reservari ius contractum ab obiectiva aequivalentia declinantem sibi non obtrudi. Quod quidem verissimum est. At in hypothesi, in qua versamur sc. obligationem servandi aequalitatem obiectivam vel, quod idem est, ius recipiendi obiectivum aequivalens in contractu bilaterali oneroso fundari in ipsa voluntate contrahentium, haec iura ab invicem separari nequeunt. In hac enim hypothesi, contractus vi ipsius consensus praestiti videtur cessare simul esse et iniustus et iniuste obtrusus.

Manet quidem displicentia de excessu pretii, at nullo modo intellegitur obiectum displicens esse *iniuria*. Iniuria enim non potest esse aut saltem fundari nisi in inaequalitate iniusta; inaequalitatem vero emptor et sciens vult et efficaciter vult volendo ipsum contractum inaequalem; displicentia vero, quam circa inaequalitatem retinet, est velleitas inefficax. Inefficax haec velleitas inaequalitatem non potest efficaciter reddere iniustam. Ex quo apparet in hypothesi qua obligationem servandi aequivalentiam obiectivam fundari supponitur in ipsa voluntate contrahentium, solutionem difficultatis, quae fiat distinguendo inter ius, de quo contrahitur, et ius ne sibi obtrudatur contractus iniustus, esse *nullam,* idque ideo, quia neque iniustitia contractus neque ius non patiendi obtrusionem talis contractus probari, immo ne intellegi quidem potest in ista hypothesi. Quod quidem ab omnibus videtur concedi, quo fit, ut statuant, *ipso iure naturali* tale ius subsistere et aequivalentiam obiectivam in contrahendo requiri, nisi contrahentes cum plena libertate aliquid de obiectiva aequivalentia remittant.

Aequivalentiam obiectivam in contractu bilateriali oneroso neque a voluntate *vera* neque a voluntate *praesumptiva* neque a voluntate *interpretativa* contrahentium ultimatim repeti posse, sed ipso iure naturali exigi propter rationes allatas, omnes, quod quidem videtur, concedunt. Sed in difficultates incidunt, quomodo probent, id quod maxime probandum ipsis incumbit, sc. iure naturali aequivalentiam obiectivam etiam tunc postulari, quando partes conveniunt quidem de aequivalentia subiectiva, sed altera pars non cum plena libertate, i. e. volens quidem, tamen coacta.

Difficultatem nimirum creat ista, quae vocatur et ad quam confugiunt, *coactio.* Quid, quaeso, discriminis intercedit inter casum, quo venditor, nolendo infra *aequivalentiam* obiectivam vendere, me « cogit », ut

solvam pretium obiective aequivalens, et alterum casum, quo venditor, nolendo infra pretium *duplum* vendere, me « cogit », ut solvam pretium duplum? Totum discrimen debent petere ex eo, quod in altero casu venditor invadit meum ius, iniuste exigendo pretium excessivum. Quo efficitur non posse probari ex coactione iniuriam, sed prius constare debere de iniuria, ut sermo possit esse de coactione sensu iuridico. Cavendum igitur, ne committatur vitium petendi principii!

Nequit igitur declinari quaestio, *cur* ipso iure naturali debeat aequivalentia obiectiva servari adeo, ut et is qui non plena cum libertate et ex vera liberalitate consentit contractui, ex quo non recipiat obiectivum aequivalens, patiatur coactionem iniustam, et ipse contractus ex eodem capite sit iniustus.

Cuius rei ratio obiectiva non potest residere in ipsis personis contrahentibus. Nam quomodocumque concipitur, nequit intellegi, quomodo huic iuri contrahens, qui sciens et volens contrahit, non cederet, si ius in ipsa voluntate contrahentium fundaretur, dum hoc facillime intellegitur, si ius illud ultimatim non fundatur in eo qui est subiectum huius iuris, sed aliunde rectus ordo rationis exigit, ut secundum obiectivam aequivalentiam procedatur, excepto solo casu, quo quis plena cum libertate liberaliter agere maluerit.

Iamvero, et cur et quomodo rectus ordo rationis id exigat, nostro asserto clare effertur; etenim *bonum commune* requirit tamquam condicionem sine qua non, immo tamquam medium absolute necessarium ad finem, ut commutationes fiant praecise secundum certas et determinatas relationes quantitativas; *rectus ordo socialis,* qui est pars totius ordinis rationis, postulat, ut non liceat obtrudere contractus inaequales, ut sarta tectaque sit unicuique facultas moralis contrahendi secundum aequivalentiam obiectivam neque infra eam, nisi sua ipsius sponte et ex mera liberalitate velit.

Hinc coactio iniusta, hinc ius strictum sibi non obtrudi contractum inaequalem, hinc ipsa inaequalitas obiectiva obtrusa iniusta!

Inter ordinem essendi et ordinem moralem conspiciendam se praebet intercedens perfectissima concordia, quam secundum principia philosophiae aristotelico-scholasticae subesse a priori constat.

Ius vero *subiectivum* strictum non concipimus ad modum meri reflexus iuris obiectivi, quemadmodum istud concipere solent positivistae iuridici nostri temporis; asserimus ius subiectivum inesse in subiecto eique vere inhaerere; id unum negamus, ius istud subiectivum, de quo hoc loco agitur, inesse subiecto propter se ipsum seu in subiecto *fundari*. Verum id non proprium videtur isti iuri, sed esse de formali ratione iuris subiectivi qua talis. Quod quidem videtur per se notum. Sed quia occurrunt quandoque modi aliqui loquendi, ex quibus saltem falsa quaedam species oriri possit, ac si ius subiectivum statuatur esse absoluti quid vel ultimatim fundatum in ipso suo subiecto, confirmationis gratia exscribimus, quae sequuntur:

« *On voit que la facultas moralis agendi inviolabilis, qui consistue le droit subjectif, ne se présente ni comme quelque chose d' essentiellement absolu, ni comme ayant sa source dans le sujet du droit. Ces deux points sont essentiels à noter et les auteurs modernes qui attaquent notre notion classique du droit ne semblent pas s' en faire une idée exacte* ». (Dictionnaire de théologie catholique, *art.* droit, P. Forneret), IV 2. 1834.

O. v. Nell-Breuning S. I. (Frankfurt-M).

De Donis quae missionariis sive saecularibus sive religiosis quandoque ab extraneis mittuntur.

PRAENOTAMEN.

Duplex praesertim species donorum et eleemosynarum hic venit distinguenda: Eleemosynae nempe datae INTUITU MISSIONIS; necnon dona collata INTUITU PERSONAE vel Instituti ad quod missionarius pertinet (1). Circa bona donata haec regula pro suprema ex iure naturae habenda est, quaeque iure canonico confirmatur, scilicet: *spectari primum oportet quid largitor voluerit* (2).

Pro scopo praesentis dissertationis, IN PRIMA PARAGRAPHO indicabimus personas morales quibus in missione dona in proprietatem obtingere possunt, necnon administratores qui illas legitime repraesentant et dona ex iure administrant. IN SECUNDA PARAGRAPHO, circa dona personalia missionariorum, attendetur praesertim pro religiosis subiectum proprietatis necnon quomodo in accipiendis donis ad personalem usum religiosi, specialiter attendenda est obligatio vitae communis, hodie vi can. 594 omnibus religiosis sub gravi impositae.

§ I. Eleemosynae collatae intuitu missionis.

A. — PRAECIPUAE PERSONAE MORALES quae, in territorio missionum constitutae, acquirere ac possidere valent, sunt praesertim sequentes:

---

(1) Varia circa hanc quaestionem explicata reperiuntur in nostris « *De bonis Ecclesiae temporalibus* », nn. 57-69; 258-268; - *Ius missionariorum, II, De personis,* nn. 96-111.

(2) Cfr. can. 1514; - Constit. Leonis XIII « Romanos Pontifices », 8 maii 1881, n. 26.

I. — INSTITUTUM missionale, ecclesiastica auctoritate legitime constitutum, sive religiosum sit sive non, necnon singulae eius provinciae ac domus canonice erectae (cc. 531 et 676, 1) (1).

II. — MISSIO, quamprimum ab auctoritate ecclesiastica competenti in dioecesim, vicariatum, praefecturam apostolicam, etc. canonice est erecta.

III. — Intra dioecesim, vicariatum aut praefecturam apostolicam nonnulla exsurgere possunt instituta quae bona temporalia acquirere aut possidere quoque possunt, uti sunt praecipue:

1) MENSA EPISCOPALIS uti eruitur ex cc. 1423, § 2; 1483, § 1; 1572; § 2; 1653, § 1.

Mensa vocantur bona et reditus quae sunt destinata ad sustentationem ministrorum alicuius ecclesiae, utputa Praelati, Capituli. Ad mensam non dicuntur pertinere bona quorum ecclesia, Capitulum solum dominium directum habent, dum dominium utile ad extraneum spectat v. g. ex testamento quo usufructus alii ac Capitulo heredi legatur; vel bona quae destinantur cultui divino in ecclesia exercendo (2).

2) CURIA DIOECESANA uti liquet ex can. 1572, § 2.

Curia dioecesana constat illis personis quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioeceseos.

« Quare ad eam pertinent Vicarius Generalis (vel delegatus in missionibus), officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi (aut in missione quasi-parochi), consultores, auditores, notarii, cursores, apparitores » (can. 363).

---

(1) Erectio fit per decretum formale a competenti auctoritate concessum, (can. 100, § 1). In decreto exprimi debent persona erigens, persona moralis erecta necnon actus erectionis utputa verbo « erigo » vel « constituo », aut textu simili, quin tamen addendum sit « in personam moralem »: siquidem verbo « erigo » id iam satis intellegitur (cfr. Beringer-Steinen, S. I., Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch, Paderborn, 1922; trad. Mazoyer, Les Indulgences, leur nature et leur usage, Paris, 1925, tome. II, n. 61).

(2) REIFFENSTUEL, L. III, tit. 18, n. 267.

3) PAROECIA NECNON QUASI-PAROECIA ad normam *Instructionis S. Congr. de Prop. Fide,* 25 iulii 1920 (1) canonice erecta.

4) CONFRATERNITATES, necnon aliae associationes laicorum, hospitalia, orphanotrophia atque instituta similia per decretum formale ab auctoritate competenti in personas morales erecta (can. 1495, § 2).

5) ECCLESIA seu « aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161). Capacitas bona temporalia acquirendi, quod spectat ad ecclesias, eruitur ex cc. 99, 485, 1182, 1495 et passim (2).

ORATORIUM PUBLICUM « erectum in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi », eodem iure regitur ac ecclesia proprie dicta (can. 1191, § 1), eiusque capacitas acquirendi confirmatur can. 1298, § 1.

Nota : Cum tamen persona moralis natura sua sit perpetua (can. 102, § 1), nomen ecclesiae vel oratorii publici, qua personae moralis, restringendum est ad aedem sacram per se in perpetuum cultui divino ab auctoritate ecclesiastica destinatam. Ideoque quamvis non necessario sint consecrata, *sollemni saltem benedictione prius erunt ditanda.* (3)

Locus sacer benedicendus (non consecrandus) potest esse non tantum ex lapidibus exstructus, sed etiam ex ligno vel ferro aliove metallo (can. 1165, § 4). Aedes sacra sic benedicta eleemosynas et legata pia, utputa a fidelibus eo fine collata,

---

(1) Cfr. AAS, XIII, 1920, pp. 331 ss. et huius commentarium apud nostrum *Ius missionariorum, II, de personis,* nn. 236-240.

(2) cfr. GILLET, *La personnalité juridique en droit ecclesiastique,* Malines 1927, pp. 140-143; - FERRARIS, *Prompta Bibliotheca,* ad v. « Ecclesia », art. II, nn. 34 ss; - *L'Ami du Clergé,* 1924, pp. 360-361; - SEMPELS, ap. *Collectanea Mechliniensia,* 1928, pp. 63-64.

(3) Cfr. *Rituale Rom,* Titulus VIII, cap. 27; - VAN DER STAPPEN, *Sacra Liturgia,* Tomus IV, 1900, quaestio 342.

in propria acquirere ac possidere valet. Quae quidem bona tunc ad massam communem vicariatus vel praefecturae apostolicae iam non pertinent.

6) FABRICA ECCLESIAE, si in personam moralem sit erecta. Interdum enim fabricae ecclesiae sunt mera Consilia ad administranda bona quorum subiectum possidens est diversum, uti canone 1336, § 1 insinuatur per verba « si suos reditus habeant ».

Capacitas acquirendi pro fabrica ecclesiae, in personam moralem distinctam constituta, eruitur ex cc. 1186; 1356, § 1; 1475, § 2; 1481; 2398.

7) SEMINARIUM, uti apparet ex cc. 99; 1355; 1356 (1).

Scholae catholicae necnon patronatus iuvenum generatim non canonice eriguntur in personas morales (2). Nec aliter dicendum est de *catechumenatibus in territorio missionum.* Quapropter eleemosynae et dona eo fine ad missionarium remissa, quamdiu quasi-paroeciae nondum sunt canonice erectae, dicenda sunt proprie pertinere ad Missionem, seu ad massam communem vicariatus aut praefecturae apostolicae, cum stricta obligatione adimplendi voluntates benefactorum.

B. — ADMINISTRATORES ILLORUM BONORUM SEU DONATIONUM.

1) *Bona instituti missionalis* necnon provinciae ac domus canonice erectae administrantur ad normam constitutionum (cc. 532, § 1; 676, § 2).

2) *Bona quae spectant ad massam communem Missionis,* vicariatus vel praefecturae apostolicae, administrantur ab Ordinario loci, ad quem adiuvandum constituitur Consilium administrationis, quod constabit presbyteris exteris et, si habentur, etiam indigenis (3).

Idem dicendum videtur de mensa episcopali, pro

---

(1) Cfr. GILLET, *l. c.*

(2) GILLET, *Collectanea Mechliniensia,* 1927, p. 236.

(3) Cfr. *Elenchus de relationibus quinquennalibus:* AAS, XIV, 1922, p. 300-301, ad n. 85.

qua stare potest in iudicio Ordinarius loci ad normam can. 1653, § 1; nec aliter videtur dicendum de bonis Curiae dioecesanae.

COROLLARIUM.

Missionarii propterea qui administrant bona quaedam missionis in statione missionali nondum in quasi-paroeciam erecta, eleemosynas pro catechumenatu, quae ad fructum sunt collocandae (uti sunt fundationes eo fine collatae), armenta pecudum, equos, capitalia, areas et proprietates, ea administrant ut delegati ac mandatarii Ordinarii loci, qui solus de iure illorum est legitimus administrator. Porro si mandatum Ordinarii excedant in disponendo de his rebus, facile peccare possunt etiam contra iustitiam commutativam, attribuendo ex propria auctoritate operi cuidam definito, bona quae ab Ordinario loci eidem operi non destinantur.

Administratio eleemosynarum quae non ad fructum sunt collocandae, sed ab extraneis missionario remittuntur ut in utilitatem missionis, puta ad ludimagistros scholae sustentandos *insumantur et expendantur,* missionario titulari stationis opportune devolvetur. Sic enim magis stimulatur zelus, diligentia ac personalis missionarii industria, idque canoni 1182, § 2 videtur consentaneum. Quam tamen administrationem praestabit titularis stationis missionalis sub vigilantia Ordinarii loci (cc. 296, § 1; 533, § 1, n. 4; 535, § 3, n. 1) necnon, si sit religiosus, etiam Superioris proprii (cc. 630, § 4; 631, § § 2 et 3) (1).

3) *Bona quae constituunt dotem beneficii paroecialis aut quasi-paroecialis* et eleemosynas paroeciae vel quasi-paroeciae destinatas, sicut omnis beneficiarius, administrat parochus aut quasi-parochus, ad normam iuris (c. 1476, § 1) sub vigilantia Ordinarii loci (cc. 296,

(1) Vigilantia differt ab administratione directa et immediata bonorum: *Vigilantia importat* ius cognoscendi per se vel per alios de quantitate et aestimatione bonorum, visitandi et exigendi rationem circa tutam collocationem et fidelem applicationem donationum, necnon praescribendi ut administratio sit ordinata, prudens, etc. (cfr. can. 1521, § 2). *Simplex vero vigilantia minime includit* ius determinandi modum quo ingressus vel eleemosynae sint impendendae, neque a fortiori ad se avocandi ipsam distributionem totalem aut partialem etiam erogationem bonorum. Haec unice spectant ad personam cui immediata administratio devolvitur (cfr. FANFANI, *De iure religiosorum,* Taurini-Romae, 1925, n. 452). — MISSIONARII *sodales societatis virorum in communi viventium sine votis* attendant constitutionibus propriis.

§ 1; 1525) necnon, si sit religiosus, etiam Superioris proprii (cc. 630, § 4: 631, § § 2 et 3) (1).

4) *Bona ecclesiae* administrat rector ecclesiae cum Consilio fabriceriorum, si hi ab Ordinario loci legitime sint constituti (cc. 485, 1182), sub eadem vigilantia ac supra ad n. 3. — Rector ecclesiae paroecialis aut quasi-paroecialis, uti liquet, erit ipse parochus vel quasi-parochus. Atque idem affirmandum est de *bonis fabricae ecclesiae,* si propria possideat.

EXCEPTIO:

Eleemosynas pro ecclesia paroeciali aut quasi-paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores religiosos, si ecclesia sit in dominio aut in usu communitatis religiosae. Secus ad ipsum parochum aut quasi-parochum, si sit sacerdos saecularis. — Si parochus aut quasi-parochus sit religiosus, haec omnia ad loci Ordinarium de iure devolvuntur (c. 630, § 4). Neutra tamen auctoritas, sive Ordinarius loci, sive Superior religiosus, prohibetur quominus pro casu haec iura sua parocho aut quasi-parocho in universum deleget: sic enim omnia faciliter exsecutioni mandantur.

QUOAD VIGILANTIAM ILLARUM ELEEMOSYNARUM:

a) si ecclesia *non sit* in dominio religiosorum vel in usu communitatis religiosae, *parochus vel quasi-parochus religiosus* qui, uti delegatus, nomine Ordinarii loci eleemosynas ad ecclesiam paroecialem exstruendam, ornandam colligit, etc., id praestabit sub vigilantia cumulativa tum Ordinarii loci, tum Superioris religiosi. In dissensu utriusque auctoritatis, praevalere debet sententia Ordinarii loci (cc. 296; 630, § 4; 631, § 3);

b) in casu vero quo *Superior* eas colligit et administrat pro ecclesia paroeciali aut quasi-paroeciali quae sit *in dominio religiosorum vel in usu communitatis religiosae,* id praestare debet sub vigilantia quoque Ordinarii loci;

---

(1) Si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario loci aliquid in hac re decerni contingat, praevalere debet decretum Ordinarii loci (cc. 296 et 631, § 3), neque nobis accedere licet sententiae propositae ap. *Ciencia Tomista,* CXI, mayo-iunio 1928, p. 402, ubi pro casu, horum bonorum vigilantia Superiori religioso exclusive attribuitur.

c) a vigilantia Ordinarii loci excipitur *solus Superior religiosorum exemptorum* (cfr. c. 533, § 1 n. 3 et c. 1550 coll. cum responso *Pont. Comm. ad C. canones auth. interpret.* 25 iulii 1926, ad IV). (1)

5) *Bona Seminarii* administrantur ab Ordinario loci, adiuvante coetu deputatorum, qui in missione constituendi sunt saltem ad mentem canonis 1359, §§ 1, 2 et 3, et audiendi sunt ad normam can. 1359, § 4. — « *Seminarii interdioecesani vel regionalis* regimen universum et administratio regitur normis a Sancta Sede statutis » (can. 1357, § 4).

6) *Associationis* legitime erectae bona temporalia administrare pertinet ad administratores qui ad normam statutorum et sacrorum canonum a membris associationis electi, ab Ordinario loci confirmantur (cc. 697, § 1 et 715, § 1).

Hospitalium, orphanotrophiorum, aliarumque personarum moralium non collegialium, quae sunt canonice erectae, bona et proprietates administrare pertinet ad rectorem, salvis normis addititiis ex tabulis fundationum (can. 1489, § 3). Si enim, in tabulis fundationum, quaedam aliae personae in administratione designatae fuerint, fundatoris voluntati satisfieri debet.

Pro utraque administratione supra dicta salva manet vigilantia Ordinarii loci (cc. 691, § 1; 1491, § 1; 1492 et 1493), necnon pro persona morali *non collegiali*, vigilantia Superioris religiosi, si rector sodalis sit cuiusdam religionis (cc. 630, § 4; 631, §§ 2 et 3).

§ II. Dona missionario missa intuitu personae.

A) Si MISSIONARIUS SIT CLERICUS SAECULARIS, ea in proprietatem penitus acquirit.

B) Si SIT SODALIS SOCIETATIS VIRORUM, IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS, ipsi attendenda est disci-

(1) AAS, XVIII, 1926, p. 393.

plina propriis constitutionibus praescripta. Obligationibus autem propriis religiosorum ac speciatim vitae communis, quatenus, materiam praesentem quod spectat, Codice I. C. describitur, non ligatur (c. 676, § 3).

Quidquid sodalibus obvenit intuitu Societatis, eidem in proprietatem acquiritur (can. 676, § 3).

C) SI SIT RELIGIOSUS, et dona ipsi obveniunt, ex. gr. ex hereditate, quae IPSUM PATRIMONIUM RELIGIOSI AMPLIFICET:

1) *quod attinet Regularem,* sollemni professione obstrictum in ordine capaci possidendi: bona cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones; in Ordine incapaci acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis (c. 582).

2) *Religiosus a votis simplicibus professus,* nisi constitutiones propriae aliud decernant, illa in proprietatem acquirit (c. 580, § 1); sed statim ad totum tempus quo simplicibus votis astringatur, illorum bonorum administrationem cedere debet cui maluerit; et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere (c. 569, § 1). Hanc cessionem et dispositionem nequit deinceps mutare nisi ad normam can. 580, § 3.

D) SI SIT RELIGIOSUS professus a votis sive sollemnibus sive simplicibus, et dona conferuntur, non ut patrimonium amplificent sed AD PERSONALEM USUM, specialiter attendendus est canon 594, quo vita communis sub gravi praescribitur; quam obligationem quadantenus evolvere et explanare scopus est illorum quae sequuntur.

OBLIGATIO VITAE COMMUNIS APUD MISSIONARIUM RELIGIOSUM

Can. 594. « 1. *In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent.*

« 2. *Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam can. 580, § 2, et can 582, n. 1, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque tituli in capsa communi deponantur.*

« 3. *Religiosorum supellex paupertati conveniat quam professi sunt* ».

NOTIO. Vita communis in eo est, scribit FANFANI, quod « omnia bona in communi ponantur atque administrentur, et ex his bonis unusquisque religiosus necessaria ad victum et vestitum secundum constitutiones accipiat » (1).

Principium: Attentis decretis et instructionibus S. Sedis, menti Ecclesiae aperte consonat, ut religiosi quaecumque ad victum, ad vestitum et supellectilem pertinent, a Superioribus seu conventu in communi directe accipiant (2).

---

(1) *De iure religiosorum*, 1925, n. 300. Quae descriptio perfecte concordat cum iis quae habentur ad can. 594; necnon in *schemate tertio praeparato Concilii Vaticani* (Collectio Lacensis, col. 676), atque ap. *Concil. Trident.*, Sess. XXV, De Regularibus, cap. 2 et 3.

Can. 594, quo disciplina statuitur vitae communis apud religiosos servandae, directe et sub peccato obligat primum quidem Superiores, sed etiam religiosos subditos; ita ut notabilis transgressio vitae communis, pro religiosis quibuscumque, etiam subditis a votis simplicibus professis, delictum constituat proprie dictum (cfr. can 2195, § 1), quod vi can. 2389 poenis ecclesiasticis puniri atque rationem constituere potest iustae demissionis, pro religioso votis quoque perpetuis astricto (cfr. can. 656, n. 1).

(2) Cfr. Decretum *Nullus omnino*, CLEMENTIS PP. VIII, 25 iunii 1599 nn. 3 et ss.; Decret. *Cum alias* GREGORII XV, 17 aug. 1622, n. 3; - Decret. *Sanctissimus*, INNOCENTII XII, 18 iulii 1695, n. 9; — *Schema tertium Conc. Vaticani*, Constit. *De vita communi, l. c.*; — *Concil. Trident. l. c.*; — Instructio seu Elenchus quaestionum pro relatione quinquennali ab omnibus Moderatoribus Generalibus Institutorum vota simplicia profitentium transmittenda, 25 martii 1922: A. A. S., XIV, 1922, pp. 278 ss., q. 84.

Nihilo minus, attenta consuetudine *iuxta* legem (1), quae in Ecclesia vocatur « optima legum interpres » (can. 29), religiosis non modo absoluto prohibetur quominus ab extraneis, ad usum quoque personalem, donum aliquod quandoque directe accipiant.

Quae praxis tamen sequentibus cautionibus ac restrictionibus est moderanda :

PRIMA CONDICIO :

Semper urgenda remanet licentia Superioris legitimi, ne contra ipsum votum paupertatis delinquatur.

SECUNDA CONDICIO :

Donum ad usum personalem acceptum fiat revera proprietas communitatis, ita ut « penes Superiorem sit usum subdito concedere vel etiam auferre » (2).

Probatur :

a) *Proprietatem rerum simul cum usu non posse coniungi* apud religiosos, a votis quoque simplicibus professos, probatur canone 580, § 1, propter cautelam additam « *salvis quae in can. 569 praescripta sunt* ». Canone enim 580, § 1, praescribitur pro simpliciter professis servanda proprietas bonorum suorum. Canone autem 569, § 1, ad quem ibidem remittitur, urgetur *cessio* administrationis eorundem bonorum, necnon *dispositio* libera de eorundem usu et usufructu, ac dispositio quidem definitiva, ita ut haec mutari nequeat, nisi de supremi Moderatoris licentia, ad normam can. 580, § 3.

---

(1) Consuetudo *iuxta* legem vocatur quae mere afficit *modum* legis servandae, cuius *servat substantiam ;* secus evaderet consuetudo *contra* legem (cfr. VERMEERSCH, *Epit. I. C.*, I, n. 111).

(2) VERMEERSCH, *De Religiosis*, I, n. 275 ; — Decret. *Nullus omnino*, CLEMENTIS VIII habet n. 5 : « Eorum quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat in proprium, neque ut proprio utatur ».

Cautela ergo canoni 580, § 1 addita, scribit LARRAONA, « monet in religioso votorum simplicium, proprietatem quae retinetur separatam esse debere semper ab administratione et etiam a libero usu et usufructu » (1).

b) *Proprietas* autem rerum quibus omnes indigent et quae ad usum religiosorum conceduntur, debet esse penes ipsam communitatem, provinciam vel Institutum.

Quod attentis cc. 18 et 20, deducitur tum ex mente legislatoris (cfr c. 496), tum e stilo et praxi Curiae Romanae. Huiusmodi enim disciplina canone 496 supposita, implicite a S. Sede imponitur (2) atque praecipitur quotiescumque normae ac condiciones vitae communis decretis S. Sedis urgentur (3), vel constitutiones pro Institutis religiosis approbantur. Haec disciplina disertis quoque verbis confirmatur paragr. 2 can. 594: « quidquid a religioso, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam can. 580, § 2 et can. 582, n. 1, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur » (4).

Haec secunda condicio intellegitur de rebus tantum quibus *generatim omnes indigent*. Hac enim regula non prohibetur quominus, cum licentia Superioris, instrumentum aliquod vel liber quidam peculiaris, etc. ad extraneos pertinens, ad usum religiosi quandoque ad tempus accipiatur.

---

(1) *Comment. pro religiosis,* 1921, p. 13 — Attento can. 6, nn. 2 et 3; cfr quoque laudatum decret. *Nullus omnino* ad n. 3. Idem praescribitur variis constitutionibus Institutorum v. gr. *C. I. C. M.,* ubi sodalibus professis ad art. 98 relinquitur non dominium utile, sed *radicale tantum* suorum bonorum. Similis disciplina confirmatur Cap. Generali a. 1922 ap. *Missionarios Congr. Filiorum I. C. B. M. V.:* cfr *Codex iuris additicius,* n. 520.

(2) « *Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri* » (c. 496). — Cfr etiam *Conc. Trident.,* Sessio XXV, De Regularibus, cap. 3.

(3) Cfr. S. Congreg. super reformatione, decret. *Ubi primum,* 22 aug. 1814, n. 10; -- laudat. decret. *Nullus omnino;* -- Schema tertium Concil. Vaticani; -- Elenchus quaestionum S. C. Relig., 25 martii 1922, ad q. 84.

(4) Cfr. *Concil. Trident., l. c.,* cap. 2.

TERTIA CONDICIO :

Vestes ceteraque utensilia, ab extraneis forte provenientia, moraliter loquendo, sint *eiusdem valoris et qualitatis* atque ea quae, in condicionibus similibus, usui ceterorum sodalium conferuntur, ita ut *uniformitas* moraliter sumpta servetur.

Probatur :

Haec tertia condicio est mere practica applicatio can. 594, §§ 1 et 3. § 1. « In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent. » § 3. « Religiosorum supellex *paupertati conveniat quam professi sunt* ». (Cfr. *Conc. Trident.* Sessio XXV, De Regularibus, cap. 2).

Quae paupertas professa cum sit eadem pro omnibus sodalibus eiusdem Instituti, hac paragrapho tertia, *uniformitas* moraliter sumpta aperte urgetur.

QUARTA CONDICIO :

Requiritur praeterea ut res ad usum personalem, *titulo solummodo exceptionali ac propterea modo quasi occasionali,* a parentibus vel ab extraneis procurentur; ita ut *modo habituali et ordinario haec omnia ab ipsa communitate directe subministrentur;* (1) secus admitteretur usus non iuxta legem uti supra dictum est, sed *contra* legem. *Probatur:*

(1) Scripsit VERMEERSCH :

a) « Ubi abusus generaliter accipiendi a parentibus vel ab extraneis omnes vestes ac personalem supellectilem nondum inolevit, censeo gravis peccati reum fore Superiorem qui, non excusatus gravissima necessitate, huiusmodi usum introduxerit vel admiserit. Etenim vita communis a pluribus saeculis maxime urgetur decretis Ecclesiae, et, teste experientia, detrimenta vitae communis sunt detrimenta ipsius vitae religiosae-id valet quoque in missionibus.

b) « Ubi abusus inoleverit, prudenter est ubique removendus.

c) « E domibus studiorum est moraliter statim expellendus » 26-10-26.

In explicando vim verbi « *vita communis* » canonis 594, ac diudicando modum quo vita communis apud religiosos est servanda:

a) attento can. 18, recurrendum est « *ad mentem legislatoris* » quae, cum agatur de lege antiquo iure contenta, vi can. 6, nn. 2 et 3, ex decretis etiam antiquis est dignoscenda. Haec autem successive et quasi constanter in eodem sensu per varia saecula a S. Sede emanarunt.

Quibus documentis S. Sedis praecipue ordinantur sequentia:

α) Prohibetur ne domus religiosa erigatur, nisi religiosi in exacta vita communi commode sustentari valeant (cfr. quoque can. 496) (1).

β) Enumerantur res in quibus vita communis est restituenda, nempe victus, vestitus, medicamenta morbis curandis, itinera iussu Ordinis suscepta (2).

γ) Prohibetur ne donationes undecumque provenientes tanquam propriae possideantur; sed praecipitur ut omnia statim *Superioribus tradantur et conventui incorporentur*, ut inde Superiorum arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint (3).

δ) Praescribitur ut Superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil quod sit superfluum exigant (4).

b) Norma quoque sumenda est *a stilo et praxi Curiae Romanae* (can. 20).

α) Haec autem documentis enumeratis ad a, iam satis aperte proditur.

β) confirmatur elencho quaestionum pro relatione quinquennali, S. C. Relig., 25 martii 1922, ad quaestionem 84, ubi

(1) Cfr. decret. *Sanctissimus*, Innocentii XII, 18 iulii 1695, n. 9; - *Conc. Trident., l. c.* cap. 3.

(2) Cfr. laud. decretum S. C. super reformatione, *Ubi primum*, 22 aug. 1814, n. 10.

(3) Cfr. laud. decret. *Nullus omnino*, Clementis VIII, 25 iunii 1599, § § 2 et 3.

(4) *Concil. Trident. l. c.*, cap. 2; - *Con il. Vaticanum: Schema tertium* praeparatum: Constit. *De vita communi.*

Nota: Documenta hoc articulo allata fere omnia reperiuntur ap. Vermeersch, *De Religiosis*, II; vel Gasparri *C. I. C. Fontes*, vol. IV, 1926.

quaeritur: « Utrum ubique vigeat vita communis; num omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, *a Superioribus* qua decet paterna caritate *suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurant* » (1); - necnon Normis S. C. EE. et RR., 28 iunii 1901 ad aa. 127 et 128: « Omnia in Instituto communia dicantur.... *nihil etiam quod sit necessarium eis* (religiosis) *denegetur* ».

γ) Praxis Curiae Romanae adhuc elucet ex constitutionibus et regulis, quae pro Institutis religiosis etiam missionariorum a S. Sede recenter sunt approbatae (2).

c) *Finis quoque legis,* attento can. 18, neglegi nequit. Iamvero quod spectat ad normam praesentem vitae communis, finis legis perspicuus apparet ex constitutionibus variorum Institutorum, atque sequenti modo ad art. 93 const. *C. I. C. M.* describitur: « ut paupertatis votum facilius et perfectius observetur atque tranquillitati animorum consulatur... ».

Experientia autem comprobatur finem istum duplicem intentum adaequate obtineri non posse, ubi vestes omnes et supellex ab extraneis modo generali directe procurentur; adeo ut P. VERMEERSCH observa-

---

(1) AAS, XIV, 1922, p. 284.

(2) a) *Constitutionibus C. I. C. M.,* ad a. 93 praescribitur: « In victu, vestitu ceterisque quibuscumque utensilibus necessaria non sibi a singulis, sed omnibus cura Superiorum subministrentur » (approbatae fuere a S. C. de Prop. Fide, die 20 iulii 1900, ac post editum Codicem I. C., 28 iulii 1923).

b) Constitutionibus *Missionariorum Congregationis Filiorum I. C. B. M. V.* (approb. 2 maii 1870 ac iterum 13 maii 1924) habetur (Pars secunda, cap. VI, n. 16): « Denique paupertatem exerceant.... nihil muneris aut pecuniae in mercedem pro sacro ministerio accipiendo »; - atque Capitulo Generali 1922 edictum fuit: « Nemo, sine expressa Superioris venia, vestes ab extraneis expetat, nec admittat, neque unusquisque propria industria sibi acquirat aut pro libitu emat; sed a Superioribus et officialibus provideatur omnibus » (Codex I. Addit., n. 525).

c) Constitut. Instituti cui nomen *Canonissae missionariae a Sancto Augustino* (in Belgio), approbatis a S. C. de Prop. Fide, die 1 octobris 1926, praescribitur:

a. 64: « Tous les biens doivent être en commun dans l'Institut, soit pour la nourriture soit pour les vêtements....».

a. 66: «..... Lorsqu'il leur (aux soeurs) manquera quelque objet nécessaire, *elles se garderont bien de se le procurer au dehors,* mais elles s'adresseront, avec la permission de la Supérieure, à la Soeur qui est chargée de pourvoir aux besoins de la communauté ».

tionem praesentis quartae huius condicionis, obligationem moralem affirmet *gravem ac certam* (1).

DE PECULIO.

Peculium describi potest: « parva quaedam quantitas pecuniae vel aliorum bonorum quae ad communitatem pertinent, sed quae religiosus possidere, administrare et ad usum suum retinere potest, ultra ea quae sunt necessaria ad praesentem eius necessitatem moraliter aestimatam » (2).

1) *Peculium istud etiam imperfectum seu dependenter a Superioribus* (3) *habere*, hodie ab Ecclesia, vi can. 594, omnibus religiosis, etiam simpliciter professis, sub gravi prohibetur (4).

Praevalere solummodo possit consuetudo immemorialis vel centenaria ad normam can. 5, si Ordinarius iudicet illam prudenter submoveri non posse.

2) Quamvis religiosi missionarii, etiam in missionibus, disciplina vitae communis maneant astricti, pro circumstantiis tamen locorum, religiosis ministerio sacro addictis concedi possunt modicae pecuniae, si quae sint necessariae ad cotidiana itinera in civitate vel in missione.

---

(1) Sic etiam R. D. Monin, in universitate Lovaniensi iuris canonici professor ordinarius, 8-11-26; necnon P. J. Janssens, S. I., iuris canonici professor in Collegio Lovaniensi, 31-5-27.

Scripsit Vermeersch circa hanc quartam condicionem: « Haec condicio magis certa est quam secunda. Minus enim nocet vitae communi et felicitati religionis ut quaedem ut propria, cum licentia Superiorum acquirantur, quam ut a parentibus generatim accipiantur res usus personalis quibus omnes indigent » 26-10-26.

(2) Vermeersch, *Ep. I. C.*, I, n. 696; - Creusen, *Religieux et Religieuses*, 1924, n. 222. - Constitutiones *Societatis Verbi Divini* (Steyl) habent n. 79 ad 3 « Peculium omnino prohibetur in nostra Societate nec ulla est Superioribus facultas permittendi aut tolerandi, ut fratres pecuniam retineant proprio arbitrio expendendam ».

(3) Peculium *perfectum* intellegitur, quod potestati Superiorum est subtractum.

(4) Vermeersch., *l. c.*; - Creusen., *l. c.*; - Fanfani, *o. c.* n. 225.

Attamen, scribit VERMEERSCH *l. c.*: « laudandi erunt Superiores qui, sine operum detrimento, modum inveniunt ut omnem habitualem pecuniae asservationem apud privatos religiosos excludant » (1).

3) In missionibus, religiosi qui praesunt residentiis etiam minoribus, puta filialibus vel etiam quasi-episcopalibus, quanquam in communitatem religiosam proprie dictam non canonice erectis, *actus tamen nonnullos ordinariae administrationis,* praesertim quoad victum cotidianum, generatim praestare poterunt.

Attendantur quoque constitutiones propriae, necnon legitimae directiones Superiorum. Spiritui tamen religioso, immo et zelo missionariorum multum favebit, si Superiores, quantum fieri potest, paterna cum caritate ac sincera diligentia, missionariis religiosis necessaria directe subministrent.

SCHOLION. **In domibus studiorum,** vita communis et quidem perfecta, canone 587, § 2, sub peccato gravi urgetur.

CAN. 587, § 2:

" In studiorum domo vigeat perfecta vita communis ; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt „.

1) NOTIO.

Vita communis quae dicitur *perfecta* a disciplina vitae communis ordinaria et minus rigorosa est secernenda (2). Vitam communem perfectam intellegimus quae maiorem uniformitatem inter sodales assecuret, et exceptiones minus frequentes patiatur, adeo v. gr. ut in domibus studiorum, nisi constitutiones aliud permittant, aliquid ab extraneis ad usum privatum rarius

(1) Cfr. etiam BIEDERLACK-FÜHRICH, *De religiosis,* cap. VI, art. 1, § 1.

(2) PIAT, *Praelectiones iuris regularium,* 3 ed., q. 276, qui vitae communi perfectae stricte applicat eiusdem descriptionem ex 3º schemate Concilii Vaticani *(Const. de vita communi)* desumptam.

accipiatur, quam in domibus ubi religiosi formati commorantur.

2) APPLICATIONES :

a) Per se generatim non licet, nisi constitutiones aliud ferant, studentibus concedere modicam pecuniam quam modo habituali et continuo asservare possint pro itineribus in civitate, sicuti hoc aliquando indulgeri potest aliis religiosis ministerio actuali fungentibus (cfr. supra).

b) A fortiori sub peccato prohibetur ne scholastici, ad alios usus minus urgentes, puta ad libros in proprium usum emendos, pecunias apud se servent, nisi constitutiones propriae huiusmodi usus diserte permittant (can. 594, § 2).

c) Peculium etiam imperfectum seu dependenter a Superioribus, ibi tolerari non posset, etiamsi res aut pecunia apud Superiorem vel oeconomum asservetur, si religiosus determinatus eis pro seipso uti potest (1).

3) SANCTIO :

Haec vita communis perfecta pro domibus studiorum, clausula extraordinariae severitatis Codice munitur, sicque manifesto apparet eius gravis obligatio (cfr. 587, § 2).

Vitam communem perfectam intellegimus secundum constitutiones proprias. Haec enim sola urgetur *litteris encyclicis* ad Superiores generales 11 aprilis 1851, nn. 2 et 3, ad quos annotator Codicis nos remittit (2). Perfecta ceteroquin vita communis, pro domibus educationis et studii, iam urgebatur decreto S. C. EE. et RR., 22 aprilis 1851, huiusque declaratione Pii PP. IX, 1 oct. 1852 (3).

---

(1) Cfr. VERMEERSCH, *De Religiosis*, I, n. 276 (cfr. can. 594, § 2).

(2) Sic etiam VERMEERSCH, *Ep. I. C.*, I, n. n. 688 ; — BLAT, *Commentarium textus iuris canonici, De Personis*, Romae, 1919, p. 570.

(3) Cfr. BIZZARRI, *Collectanea*, pp. 852-853.

4) Corollarium :

Propterea, nisi constitutiones propriae aliud ferant, *quarta condicio*, de qua supra in domibus studiorum certo et stricte est urgenda, ita ut studentes, si vestes vel supellex a parentibus vel extraneis *modo generali directe* acciperent (salvo peculiari indulto S. Sedis), absque peccato ad ordines promoveri non possent. Titulo ergo solummodo exceptionali ac proinde nonnisi modo quasi occasionali tolerari possit, ut quaedam a consanguineis vel ab extraneis, cum Superiorum licentia, ad usum personalem procurentur (1). In laudato schemate Concilii Vaticani statuitur : « Superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil quod sit superfluum exigant » (2).

Vitae communis utilitas practica :

Ecclesiastica disciplina vitae communis accurate servata, largitiones ab extraneis in commodum communitatis religiosae minime praepedit ; sed e contra, teste experientia, eas plurimum attrahit.

Neglectus autem quilibet vitae communis, non tantum studium *personalis* commoditatis inter sodales magnopere stimulat necnon simultates ac invidias fovet ; sed eleemosynas quoque familiarum, ipsorum maxime religiosorum, ab ipsa communitate, cum detrimento *communis* prosperitatis, quasi necessario avocat.

Lovanii, 1929.

G. Vromant,
C. I. C. M. de Scheut,
prof. Iuris can.

---

(1) Ita quoque Vermeersch 21-12-22 ; Brys, prof. iuris can. in maiori Seminario Brugensi 29-10-26 ; Monin ; J. Janssens S. I. supra citati.

(2) cfr. *Conc. Trid.* Sessio XXV, De regularibus, cap. 2.

N. B. — Contra praescriptum cc. 587, § 2 et 594 nulla consuetudo praevalere potest nisi sit legitima (c. 27), centenaria aut immemorialis atque iudicio Ordinarii submoveri nequeat (can. 5).

De recto usu dispensationis seu facultatis obtentae.

I. Soror quaedam Cunegunda, satis animo mobilis, facultatem a S. Sede petivit transeundi ad aliam Congregationem religiosam. Post plures instantias, cum denique annuerent tum Superiorissa Congregationis in qua vota nuncupaverat tum Superiorissa Congregationis in quam cooptari cupiebat, S. Cong. de Religiosis commisit Ordinario loci ut pro arbitrio suo facultatem transeundi Cunegundae concederet. Verum haec, mutato consilio, Ordinarium monuit ne gratiam concederet, mansitque in Instituto cuius erat professa.

Post decem menses elapsos, Cunegunda, iterum pertaesa vitae communis in suo Instituto, adiit Ordinarium eique magnam suam propensionem manifestavit re vera exsequendi propositum antea conceptum et dein dimissum. Cui Ordinarius: Fit ut adhuc rescriptum S. Congregationi quo transitum permittere poteram servaverim. Quare, si utraque Superiorissa iterum annuant libenter rescriptum exsequar, ita ut ad S. Congregationem denuo recurrere minime debeas.

Quaeritur iam utrum Ordinarius habilis manserit, vi rescripti ante decem menses recepti, ad transitum istum concedendum, annon.

Resp. Ordinarius non iam habilis censendus est. Postquam enim Cunegunda suum consilium mutaverat et Ordinarium de ista mutatione monuerat, causa propter quam rescriptum erat datum absoluta erat. Nec datum erat rescriptum nisi ad unam causam. Non potest igitur Ordinarius uti rescripto propter casum similem quidem sed non numerice eundem.

Addas mobilitatem animi quam Cunegunda demonstraverat posse S. Congregationi serverius responsum suadere.

II. Titius, in regione infideli, recepto baptismo ab interpellanda uxore quam in infidelitate duxerat, dispensatus est ut nuptias catholicas faceret cum Mathilda. Verum obtenta dispensatione, non iam Mathildam sed Eugeniam amare coepit et cum hac matrimonium invit. Debetne iterum ab interpellatione dispensari?

Resp. Solutio pendet a mente Vicarii Apostolici dispensantis, prout ad Mathildam qua talem vel ad Mathildam ut christianam respexerit. Ac potius supponendus est mere dispensasse ut Titius christianam duceret. Ratio enim dispensandi non ex persona nupturientis sed ex difficultate interpellandi peti consuevit. Quia tamen de ista dispensantis intentione facile dubia oriri possunt, commendandum est ut dispensatio detur ad nubendum alicui christianae.

Casus de delegatione pro matrimonio.

1. Nixus canone 1096 § 1, Nazarius parochus vicarium cooperatorem suum ad assistendum matrimoniis generatim delegavit, simul autem noluit ut vicarius licite vel valide quempiam subdelegaret.

Quaeritur utrum Nazarius validam subdelegationem hac voluntate suo vicario impedire potuerit necne.

2. In non una regione fit ut matrimonia religiosa celebrari debeant clam, ne assistens minister sacer poenas civiles luendas habeat. Cum iam, post responsum Pont. Commissionis· I. C., *physica* absentia parochi requiratur ut matrimonium catholicorum valide coram solis testibus contrahi possit, quaeritur utrum necne Ordinarius possit valide nupturienti expeditam matrimonii celebrationem munire hoc modo. Quaere sacerdotem qui nuptiis tuis assistere velit. Quem tu repereris ego delego pro ista assistentia.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De restitutione in integrum

iuxta canonem 1905 § 2, 4.°

SUMMARIUM. — 1. Status quaestionis. — 2. Antiqua disciplina. — 3. Querela nullitatis. — 4. Neglectus legis. — 5. Juris fontes. — 6. Probati Auctores. — 7. Interpretatio canonis. — 8. Requisita ad concessionem. — 9. Solvuntur difficultates. — 10. Praxis interpretativa. — 11. Conclusiones.

Status quaestionis.

Ex illis, quae appellari solent elegantes, quaestionibus ea praestat quae, recenter proposita, ab interpretibus Codicis I. C. iam varia eruditione et solidis argumentis doctrinaliter illustratur. Gravis atque practica difficultas orta est circa intellectum verborum « *neglectus praescripti legis* », de quo in can. 1905 § 2, 4.° ; utrum nempe unice respiciant *ius*, quod Constitutionis audit quodque causae meritum concernit, an leges quoque *procedurales*, in re gravi neglectas, substantivae ipsae sint vel mere formales.

Quamvis de ea non multa praebeant AA. in *Commentariis*, iam sufficientia argumenta in litteratura et iurisprudentia hodie habentur ut, vigenti iure

positivo attento, sententia extensiva verior appareat; scilicet, cum utraque quaestio sit inter se connexa: — 1.° *enumeratio* canonum 1892 et 1894 de querela nullitatis videtur esse *exclusiva*; — 2.° ob leges quoque *procedurales* in re gravi neglectas — quas passim Legislator « praescripta » legum vel canonum appellat — datur restitutio in integrum (1).

Antiqua disciplina.

Fundamentum historico-iuridicum instituti *restitutionis in integrum* procul dubio repetendum est a Iure Romano, quod omnes admittunt Canonistae (2): hoc iure, restitutio in integrum sive actibus processualibus sive non processualibus indiscriminatim applicata est (3). Nec obstat progressus seu evolutio querelae nullitatis Romanis ignotae (4); scimus ridiculum esse uno romanarum legum auxilio vigentia instituta explicare, at abs re non erit illud Poëtae in memoriam revocare: « *Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae* » (5).

Cum autem Codex veterem disciplinam hac in re

---

(1) Cfr Blat, *De processibus*, n. 438, 4.o (1927, pag. 418); Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, VI, n. 639 (1927, pag. 587); Vermeersch-Creusen, *Epitome*, III, 246 (3.a ed., 1928, p. 105); d'Angelo, *Un caso di « restitutio in integrum » nella vigente disciplina canonica*, in Saggi su questioni giuridiche con prefaz. dell'Avv. F. Degni (1928, pag. 119-126); Roberti, *Circa limites querelae nullitatis et restitutionis in integrum*, in Apollinaris (a. I, n. 5, dec. 1928, pag. 476-483); Rohracher, *De iusta causa restitutionis in integrum secundum canonem 1905, § 2, 4.°*, Thesis ad lauream in utroque iure apud Pont. Athenaeum ad S. Apollinaris de Urbe (1902; fol. litogr.). « Parvula haec dissertatio — asserit praefatus Rohracher — ortum suum debet quaestioni non multis mensibus ante in Studio S. R. Rotae tractatae, in qua de valore can. 1905 § 2, 4.° obiter agebatur ».

(2) Cfr Wernz, *Ius Decretalium*, V, 728; Boucaud, *Le Code de Benoît XV et le Droit romain*, in Chronique sociale de France, août - sept. 1919, p. 451.

(3) d'Angelo, *Op. cit.* p. 120-121. Cfr. Zimmer, *Traité des actions*, § 167 sq.; Keller, *Procédure civile*, § 82.

(4) Cfr Wernz, V, 710; Lega, *De iudiciis*, I, 690; Bouix, *De iudiciis*, II, p. 418 sq.

(5) Ovid., *Ex Ponto*, 3, 5, 18.

nonnihil novaverit, praestat hanc sub oculis habere, ut novi iuris ambitus patescat.

Iamvero, antiqua disciplina si iudex sententia sua in legem peccasset, restitutioni in integrum locus non erat, cum in eam suppeteret ordinarium remedium querelae nullitatis, iuxta illud, et hodie receptum in can. 1687: cui competit ordinarium non datur extraordinarium, nisi hoc pinguius sit relate ad minores vel minorum iure fruentes. Nullitatum sententiae vero cathalogus ex his quam latissime patet quae ad rem tradunt DD.; quamvis capita apud tribunalia Curiae Romanae ad tria essent reducta.

Ad rem Card. De Luca (6): « Per Apostolicas Constitutiones super Tribunalium reformatione editas (nimium quidem commendabiliter) resecatae sunt omnes illae scrupulosae nullitates, quae ex legum subtilitate vel rigorosis practicorum superstitionibus ac formalitatibus proveniunt. Ideoque in Curia non attenduntur, *nisi tres resultantes a tribus defectibus substantialibus, nempe iurisdictionis, citationis et mandati* ».

Nihilominus arbitrium in iudice non erat subductum, ex paritate rationis vel illationis aliud nullitatis caput deducendi, prout idem Auctor docet: « Non tamen opus est, ut clare ac directe iste defectus verificetur: quoniam ubi etiam a paritate rationis, vel per illationem, ab eorum aliquo desumi valeat, quod nullitas sit substantialis ac notabilis, adeo ut non intret ratio, cui dictae Constitutiones innixae sunt, resecandi scilicet nullitatis leves ac resultantes a legum subtilitate, vel rigorosa formalitate, adhuc attendi debent ». Et opportune concludit: « Super eis autem, certa et generalis regula statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis ».

En ratio cur querela ipsa nullitatis vel numquam

(6) *De iudiciis*, disc. 38, n. 22.

in Curia preponeretur, vel incidenter et una simul cum restitutione in integrum. « In tribunalibus Rotae — ait idem Auctor (7) — et Auditoris Camerae, et aliis quae Tribunalia universalia Curiae potius quam particularia civitatis dicenda sunt, huius remedii (nullitatis) exercitium principaliter ab aula recessisse videtur. Quamvis enim in commissionibus, pro stylo seu formulario, omnia remedia complicentur, appellationis scilicet, nullitatis et restitutionis in integrum, attamen quando praetendatur quod obstent res iudicata vel tres conformes, adeo ut primum remedium cesset, de tertio principaliter disputari solet, de intermedio autem potius incidenter. Adeo ut saepissime, peneque millies in Rota disputaverim super consueto dubio, an constet de re iudicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, *numquam vero disputaverim,* neque disputari viderim *principaliter* super hoc dubio, an constet de nullitatibus ».

Explicatur ita cur in decisionibus Rotae antiquae non raro casus occurrerint restitutionis in integrum concessae ob iniustitiam et *sententiae nullitatem,* ex ea potissimum ratione, « *quia nullitas est maior iniustitia* » (8). Explicatur etiam cur antiquores DD., quando exponebant casus restitutionis in integrum, sisterent in considerationem iniustitiae potius intrinsecae quam extrinsecae, quae causa erat nullitatis (9).

Haec omnia suadent Legislatorem in novum perfectioremque ordinem redigere voluisse hanc implexam materiam, inducendo nempe reformationem non solum systematicam sed etiam substantialem in ipsis

(7) *Ib.,* n. 5. Ceterum et post Codicem promulgatum, nescimus cur, haec eadem fusio adhuc hodie non raro apud Tribunalia in usu est, saltem in *dubiis* proponendis.

(8) Cfr Pellegrini, *Praxis Vic.,* pag. 157, v. 7 et 8; Galesius, *De in integr. restit.,* p. 12, n. 130; Gonzales, l. I, tit. 41, c. 6, n. 11.

(9) Cfr Pirhing, II, 27, 39; Wernz, V, 709.

institutis, quae separata voluit in Codice et infra limites proprio digesta.

Querela nullitatis.

Pluribus resecatis nullitatis casibus qui in veteri disciplina numerabantur, eos Legislator ad tres tantummodo substantiales et insanabiles constrinxit (can. 1892), praeter alios minoris momenti, vitio sanabilis nullitatis mulctatos (can. 1894).

Non defuerunt qui censerent enumerationem in his canonibus statutam non esse *exclusivam:* — 1°. novum non est in Codice — ipsi aiunt — casibus in sede propria enumeratis alios ex aliis normis addere oporteat; — 2°. vi canonis 1680, qui docet nullitatem uniuscuiusque actus haberi sive iure positivo sive naturali; eamque posse esse originariam vel derivatam; licet enim dubitare num ab hac regula generali sententia sit excipienda; ergo casus can. 1585 § 1, 1894 n. 3, 1874 § 5, 1587 § 1, 1861 § 2, 1637, 1855, etc. dant locum querelae nullitatis.

Ni fallimur tamen enumeratio illa videtur esse *exclusiva* (10). Hypothetice non negatur systema quoddam admittere posse casus ex aliis normis addendos esse enumerationi in sede propria factae; sed *a posse ad esse non valet illatio.* In ipso Codice, ut optimo iure notatum est (11), rationes quibus efficitur res iudicata non omnes in canone 1902 continentur; e. g. can. 1736. At quaestio potius de *facto* est, quod in nullum dubium revocari potest relate ad allatum casum can. 1736 ubi expresse edicitur « .... transit in rem iudicatam ».

(10) « Dicimus exclusivam non taxativam, quia vix fieri potest ut nullitates iure positivo statutae, non sint taxativae; in hoc enim casu evanesceret finis ipsius enumerationis ». Ita recte Roberti, in Apollinaris, *l. c.*, p. 477.

(11) Cfr Roberti, *De processibus,* II, 509.

E converso in casu nostro hoc non est, non solum eo quod Codex haec tantummodo vitia nullitatis recensuit et reliqua exclusit sine ulla mentione querelae in canonibus ex quibus nullitatis casus, praefatis addendos, desumere quidam AA. censent, sed etiam eo quod Codex hac in re graves et notabiles induxit, ut notatum iam est, immutationes.

Praesertim, praeprimis, in definiendis limitibus utriusque instituti querelae nullitatis et restitutionis in integrum, ne scilicet confusio illa perpetuaretur, qua olim res iudicata « ad quandam coeremoniam seu formalitatem..... redacta videbatur » (12)

Suadet ipse *ortus* innovationis.

Non est certo exaggeranda, sed neque omnino spernenda, vis schematis alicuius legis in eam interpretandam (13); si dictio comparatur *Schematis* Codicis I. C. (a. 1914) cum dictione definitiva *Codicis* (a. 1918), res evidentissime apparet.

Schema.	**Codex I. C.**
Can. 390.	*Can. 1892.*
Sententia vitio nullitatis laborat quando:	Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:
1° Lata est a iudice incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero;	1° Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1.;
2° Pars dispositiva innititur evidenti iuris vel facti errore, e. g. documento quod deinde falsum detectum est;	2° Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;
3° Motivis seu rationibus decidendi est destituta;	3° Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.

(12) De Luca, *De alien.*, d. 50, n. 10.

(13) Cfr Regelsberger, *Pand.*, I, p. 140 sq.; Filomusi-Guelfi, *Enciclopedia giuridica*[3], p. 140 nota (cum *bibliographia*); Fadda-Bensa, in Windscheid, I, 119 r; d'Angelo, *Ius Digestorum*, I, 289.

4° Subscriptionibus necessariis caret;

5° Ipse processus vitio nullitatis est infectus, e. g. ob citationis defectum, vel ob absentiam a iudicio Promotoris iustitiae vel Defensoris vinculi, si ei ex praescripto iuris intervenire debuerunt, vel ob defectum personae legitimae standi in iudicis.

Can. 421.

§ 1. Adversus rem iudicatam peti non potest restitutio in integrum, nisi ex gratia a Summo Pontefice.

§ 2. Petitio restitutionis in integrum sententiae executionem non impedit, nisi ex eius executione grave damnum supplicanti sit obventurum aut Sedes Apostolica in ipso rescripto executionem interdicat idque iudici certo constet.

Can. 1894.

Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:

1° Legitima defuit citatia;

2° Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto can. 1605;

3° Subscriptionibus caret iure praescriptis;

4° Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit.

Can. 1905.

§ 1. Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum intra fines can. 1687, 1688, dummodo de evidenti rei iudicatae manifesto constet.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censetur nisi:

1° Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa;

2° Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;

3° Sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;

4° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit.

Ex comparatione deducitur: — 1) mens non ambigua Legislatoris momentum tribuendi instituto restitutionis in integrum, de qua mentio est in ipsa *inscri-*

ptione tituli definitivi in Codice (14); — 2) voluntas clarissima eiusdem Legislatoris definiendi seu taxative determinandi casus *querelae nullitatis,* cuius petitio fieri debet, in genere, apud ipsum tribunal (15) et ab iisdem resecandi quosdam casus — praesertim illos de quibus in n. 5 can. 390 *Schematis* — quos, in can. 1905 enunciatos exemplificative, in summa eiusdem canonis § 2, 4.^{0} adscribere voluit. Isti locum dant *restitutioni in integrum,* cuius concessio, in Schemate uni Romani Pontifici, ut gratia, reservatur dum in Codice tribunali appellationis pertinet (can. 1906). Nec valde arridet ratio desumpta ex can. 1680, cuius ex regula generali sententia — asseritur — excipienda non videtur. Non arridet: — 1) imprimis quia in praefato canone (16) agitur de *actu* (= negotio) *iuridico*, de materia, nempe, iuris eminenter privati, dum sententia est res iuris publici, quae absque dubio adscribi nequit inter negotia (17); — 2) agitur de *re odiosa* quam « producere ad consequentias » nullo iure quis potest, ita dictantibus maioribus (18).

Ceterum, uno alterove negante, interpretes Codicis usque modo unanimiter censent in praefatis canonibus 1892 et 1894 enumerationem esse *exclusivam* (19).

Neglectus legis.

Ex eadem comparatione inter verba *Schematis* et verba *Codicis* haec eminet veritas: ne praescripta

(14) In *Schemate* enim tit. XXII l. IV *De re iudicata* simpliciter inscribebatur, cuius can. 421 per incidens mentionem habebat de restitutione in integrum; in *Codice*, versa vice, tit. XV l. IV inscribitur *De re iudicata et de restitutione in integrum*, cuius disciplina continetur in tribus canonibus (can. 1905-1907).

(15) Cfr Wernz-Vidal, VI, 618; Blat, *Op. cit.*, n. 423 sq.

(16) Cfr etiam can. 11.

(17) d'Angelo *Ius Digestorum*, I, 644. Cfr. Chelodi, *Ius de personis*^{2}, n. 100. Si placeat, cfr. can. 1585 § 1, 1738 etc. ubi ad rem Legislator utitur voce *acta*, quae differt, ni fallimur, a voce *actus* technice sumpta.

(18) Cfr e. g. ll. 14 et 15 D. 1. 3.

(19) Cfr pro omnibus Wernz-Vidal, VI, 623; Muniz, *Procedimientos Ecclesiasticos,* III, 505; Rohracher, *Th. cit.*, f. 24. et 26.

legum, tanta maturitate et sapientia digesta, impune a iudicibus violari ac negligi possent, voluit Legislator ea opportuno remedio communire, non quidem nullitatis, prout antiquo iure eveniebat (20), sed restitutionis in integrum, inter capita evidentis iniustitiae rei iudicatae illud quoque accensendo, nempe, « legis praescriptum evidenter neglectum » (21). Ea omnia igitur quae ex antiqui iuris violatione vel neglectu, nullitatis motivum constituebant adversus sententiam, novo Codice et relate ad eius praescripta iniustam eam reddunt et consequenter extraordinario remedio restitutionis in integrum impugnandam. Cumque vero ea et sedem et titulum mutaverint, eorum *ambitum* ex veteris iuris auctoritate, atque receptis apud probatos AA. interpretationibus dimetiri debemus (can. 6).

Atqui sive fontes, sive probati omnes AA. manifeste censent sub nomine « praescripti legis » etiam solemnitates iudiciales in re gravi venire, prout ipsa ratio requirit. Ergo concludendum, ni fallimur, canonem in citato loco intellexisse omnes leges procedurales in re gravi neglectas.

Iuris fontes.

Fontes ad hoc incisum citati omnes laesiones legum, etiam proceduralium, allegant. Verum est plura capita respicere nullitatem sententiae; sed ita argumentari potest: hae leges citatae aut pertinent ad rem aut non; certissime autem pertinent, secus inutiliter appositae essent.

Si autem pertinent, allegantur ad demostrandam antiqui iuris cum novo aut conformitatem, aut diffor-

(20) *Schema*, can. 390.

(21) Can. 1905, § 2, 4°. Secernimus ergo rationes facti de quibus mentio est in praefato can. 1905, § 2, 1.°. 2.°, 3.°, quae et in can. 390 *Schematis* continebantur, quaeque, utpote minoris momenti, minorem vim meruerunt (cfr can. 1906).

mitatem: atqui certe ad demonstrandam difformitatem quia in iure antiquo exclusive contra sententias nullas dabatur querela nullitatis. Ergo appositae sunt ad inculcandam difformitatem antiqui cum novo iure. At iuris fontes, e quibus antiquiores AA. nullitatis vitium deducebant, iidem ipsi sunt qui Legislatorem moverunt ad illud inter capita manifestae iniustitiae accensendum, et hinc extraordinario remedio restitutionis in integrum persequendum.

Ergo citati fontes hoc unum nobis dicunt: iuxta Codicem I. C., vi praefati canonis 1905 § 2, 4.º, etiam in casibus violatae legis processualis competere potest restitutio in integrum.

Scimus nec exaggerandam esse vim fontium: attamen annotationes illas optima subsidia praebere interpretationis canonum omnes admittunt (22).

Prae aliis *Decretales* citantur, quibus nulla et inanis declaratur sententia in qua:

lis contestata non fuit (II, 6, c. 2);

contra leges canonesque lata (II, 27, c. 1);

processum est spreta forma canonum (II, 27, c. 9);

praetermisso iuris ordine (V, 34, c. 15);

sententia lata vel promulgata in feriis (II, 9, c. 5).

Item citatur BENEDICTUS XIV, qui Constit. *Ad militantis* (diei 30 martii 1742), § 43, inhibet appellationes recipi, nisi prius constiterit, quod nedum per

---

(22) Cfr. VAN HOVE, *Prolegomena* (ad Cod. I. C.), n. 366 (1928, p. 342). Placet verba referre E.mi SEREDI, *De valore iuridico fontium Codicis I. C.*, in Ius Pontificium, a. 1921, p. 66: « Complures in Codicis notis referuntur et verbotenus quoque edentur fontes, qui implicite tantum in ipso Codice comprehenduntur (can. 6, n. 6). Quod quidem ea intentione factum est, ut eorum ope varia dubia in posterum oritura facilius ac tutius resolvi possent. Etenim circa antiquas leges, quas Codex I. C. ex toto, vel ex parte refert, multae cursu temporis oriri poterunt quaestiones, quae iam ante Codicem authentice solutae sunt. Cum vero circa eamdem legem idem dubium ex iisdem iuris principiis resolvi debeat: rationi congruit, ut eiusdem dubiorum solutiones authenticae a legitima Ecclesiae auctoritate iam ante Codicem datae in fontibus indicentur, ne post Codicem S. Sedes res iam per saecula forte pluries decisas iterum recoquere debeat ».

legitimam personam, et inter legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam quod appellatum fuerit a sententia definitiva: tunc enim et non antea iudici, ad quem appellatum fuit, in causa se intromittere liceat: alias *citationes, inhibitiones, processus*, et *inde sequuta quaecumque, sint ipso iure nulla*, atque impune sperni possint.

Memoratur quoque causa penes S. Congr. Concilii acta in una PRESMILIEN. — *Opposit. super nullitate sententiae,* diei 18 iunii 1887, in qua de nullitatis vitio actum fuit ex textibus iniuratis et rei praeteritione corrivato.

Adducuntur demum *Regulae serv. apud S. Signaturae Apost. Tribunal*, art. 4 *d-e*, quibus in locis inter nullitatis motiva recensentur tam *ratio in sententia non habita alicuius legis,* quam *manifesta quaevis legis violatio* (23).

---

(23) Ad rem recolantur verba quibus utebamur in praefato nostro studio *Un caso di restitutio in integrum,* in Saggi, pag. 124:

« Le *Regulae* della Segnatura, nel luogo citato, riferiscono, tradotte in latino, le parole quasi identiche del *Regolamento legislativo e giudiziario per gli affari civili,* del 10 novembre 1834, di papa GREGORIO XVI, il quale così si esprime:

« *§* 1057. Ha luogo il ricorso per ottenere il rimedio straordinario della restituzione in intiero, qualora il ricorrente dimostri la ingiustizia della cosa giudicata.

§ 1058. La ingiustizia manifesta deve risultare:

o dall'essersi giudicato sopra documenti riconosciuti in appresso falsi;

o dall' essersi rinvenuti documenti pubblici o privati, coi quali si provino fatti nuovi e decisivi;

o *dal non essersi nelle sentenze avuto ragione di qualche legge*;

o *dall' essersi espressamente contravvenuto ad una legge in vigore.*

§ 1059. L' inosservanza delle *forme* prescritte dalle leggi di procedura *potrà* ritenersi dal tribunale supremo come violazione di legge all'effetto di accordare la restituzione in intiero, nei seguenti casi: 1) se i tribunali non hanno dato per iscritto le ragioni di dubitare e decidere; — 2) se le sentenze non sono motivate; — 3) se non furono osservati i termini del giudizio ».

Le *Regulae* della Segnatura riproducono i due primi casi del § 1058 nell' art. 9, *a-b,* dove si parla di restituzione in intiero e i due seguenti all'art. 4, *d-e,* dove si tratta della querela di nullità. Dei casi contemplati sotto il § 1059 non fa menzione alcuna.

Era giusto che il Codice, rivedendo questa materia così complessa, determinasse bene e sceverasse i casi di concessione della querela di nullità, proveniente da inosservanza di leggi procedurali semplicemente formali (can.

Forte obiicitur: argumentum non est absolutum, eo vel magis — asseritur — quia Codex, restituens ac extendens querelam nullitatis, videtur voluisse sententias nullas ac iniustas invicem perfecte secernere ac diversis remediis utrisque consulere.

Quod esset demostrandum. Re et facto enim haec duo certa sunt: — 1) Codicem voluisse non extendere sed potius restringere casus *nullitatis;* — 2) voluisse, versa vice, extendere casus *restitutionis* in integrum ad ommes neglectus legum proceduralium, sive substantivae ipsae sint sive mere formales. Esset enim, in casu isto concreto, speciosa distinctio illa quam proponere quidam cupiunt inter sententiam *iniustam* et *illegitimam*, cum — ut videbimus — in citato can. 1905 § 2, 4.° ipsa illegitimitas secumferat iniustitiam, ita expresse disponente Legislatore.

Probati auctores.

Quin immoremur in historicis elucubrationibus, quae tandem aliquando ad Ius Romanum referuntur quaeque rationes systematicas ad scientiam strictius attingunt (24), hoc pacificum erat apud antiquiores: legem violari posse sive positive (= committendo), sive negative (= omittendo). Utrumque violationis modum sententiae nullitatem secumferre passim iidem doctores tradebant (25).

1894), alle quali allude certamente il Codice gregoriano nel § 1059, lasciando di concedere la restituzione in intiero, da quelli provenienti da inosservanza di altre leggi anche procedurali ma *non formali,* in cui il giudice oggi, concorrendo le condizioni volute dai can. 1687-88, crediamo che debba concedere la restituzione in intiero (canone 1905 § 2, 4.o) ». Cfr. *Signaturae decisiones,* in *Maceraten,* 23 apr. 1846, § 8 et in *Interamnen,* 12 iun. 1845, § 8.

(24) Cfr. Tancredus, *Ordo iudic.*, p. IV, t. 2; Durantus, *Spec. iudic.*, l. II, p. 3, § 8, etc. Qui laesiones ordinis iudiciarii ad quasdam classes systematice reducunt.

(25) Cfr. Reiffenstuel, II, 27. Pellegrini, *l.* c., pag. 87-88, habet: « Erit nulla ipso iure sententia, ratione manifestae iniquitatis: primo, si feratur *contra ius scriptum*, sive canonicum sive civile. Secundo, si *contineat* in se manifestum (iuris) *errorem*... Sententia erit nulla *ratione processus,* ut si profe-

Codex, prout modo adnotavimus, legum violationes, quae antea ut rationes nullitatis habitae sunt, inter capita restitutionis accensuit, contentus infimam violationis speciem referre (= *legis neglectum*) in quo maiores contineri planum est, iuxta illud: « maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora ». Hinc, si *neglectus* legis motivum hodie praebet restitutioni in integrum, a fortiori id praestat sententia lata *contra* leges, vel etiam quae clarum *errorem* iuris continet.

Veteri ergo disciplina nullitati causam praebebat tam violatio iuris *constitutionis* (= formalis), quam legis mere *proceduralis* in re gravi; imo, cum in novissimo casu violatio consisteret in omissione, consulto DD. monebant nullitatis motivum non semper ex sententiae tenore deducendum esse, sed ex causae quoque actis iustificandum.

Ad rem Reiffenstuel (26): « Non solum sententia, in quo clarus iuris error habetur expressus, ipso iure est nulla, sed istud etiam procedit de quacumque sententia, in quo clarus iuris error habetur expressus, ipso iure est nulla, sed istud etiam procedit de quacumque sententia contra leges canonesque prolata, *licet error in sententia non fuerit expressus*. Ut puta si intervenit defectus iurisdictionis, eo quod fuerit lata a non competente iudice, vel a iudice publice excomunicato: vel ex parte litigatoris, v. g. quia contra minorem sine auctoritate curatoris sui in iudicio existentem, pronunciatum est: aut si die feriato lata fuit sententia, cum aliis similibus casibus. Siquidem, sententia dicitur nulla novem modis: scilicet, ratione iudicis, litigatoris, loci, quantitatis, temporis, *processus*, modi, manifestae iniquitatis et conditionis ».

---

ratur lite non contestata, vel *omisso* aliquo de his, quae sunt de substantia ordinis iudiciarii ».

(26) *L. cit.*, n. 72.

Item GONZALEZ (27): « Sententia a iudice lata impugnari potest ex duplici capite, vel *nullitatis*, vel *iniquitatis;* quorum *illud, processum iudiciarium non observatum potissimum arguit, hoc* vero non observata *merita*. Remedium nullitatis unicum est, licet ex modo proponendi varie intendatur... Causae nullitatis variae sunt, *tot videlicet quot processus dantur requisita*. Hinc nullitas provenit, vel ex persona iudicis et litigatorum, vel *ex modo processus,* vel *quoties ex ipsis actis possit constare de nullitate sententiae;* tunc enim exceptio, qua alias contra rem iudicatam opponi non potest, potest obiici, *si ex actis ipsis resultat* ».

Interpretatio canonis.

Vi can. 18 ad eamdem extensivam interpretationem ducunt sive *textus,* sive *contextus* verborum quibus Codex usus est in canone 1905 § 2, 4°., immo et ipsius dispositionis *finis* et Legislatoris *mens.*

Nimirum:

I. *Textus*. — Incisum enim quartum huius § 2 can. 1905 nullam distinctionem facit inter legem et legem: habet enim simpliciter « *legis* praescriptum evidenter neglectum fuerit ». Atqui ubi Codex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

II. *Contextus*. — Suadet et hoc contextus; nam eo ipso quod restitutio in integrum non datur nisi in casibus in quibus non suppetat ordinarium remedium appellationis vel querelae nullitatis, non obscure innuitur ut restitutio etiam in casibus detur, in quibus secus querela nullitatis praesto est. Querela autem nullitatis exclusive tantum contra sententias competit, quibus ius formale laesum est.

Obiicitur tamen (28): « Quamvis § 2, 4°, ca-

(27) *Comm.* ad cap. 1, tit. 27, l. II, n. 8, et ad cap. 9.
(28) Cfr. Apollinaris, a. I, n. 5, p. 480-481.

nonis 1905 absolute loquatur, verbum « *lex* » ius substantivum, non autem formale audire dignoscitur ex § 1 et 2 eiusdem canonis. Restitutio enim datur ob iniustitiam sententiae. Porro sententia quae solo vitio formae laborat non ex hoc dici potest iniusta. Potest haberi sententia, pluribus formae vitiis affecta, quae tamen sit iusta; quemadmodum dari potest sententia omnibus formalitatibus induta, quae sit iniusta. Sententia autem quae ius tantum formale violavit, potius quam iniusta, dicitur *vitiosa* vel *illegitima*. Hac ratione Codex actus contra legem formalem positos vocat *illegitimos* (can. 1892 n. 1, 3; 1894 n. 1; cfr. can. 1723, etc.); idemque distinguit inter actus *nullos* et *iniustos* (can. 1625 § 1, 1603 § 1 n. 1), inter sententiam *illegitimam* et *iniustam* (can. 1654 § 1), atque *erroribus* (can. 1878) *ac vitiis formae* (can. 1892, 1894) opponit sententiae *iniustitiam* (can. 1095 § 1, 2). Hoc confirmatur ex natura rei iudicatae quae praesumitur *vera* et *iusta* (can. 1904 § 1); nec non ex diverso iudice cui lex sententias *retractandas* vel *reformandas subiicit* ».

Ad hoc tamen faciliter, ni fallimur, respondi potest.

Imprimis terminologiae Codicis non est insistendum ad apicem, praesertim relate ad strictiorem et technicum sensum adiectivi « *legitimus* » (29); at, etiam ad huiusmodi apicem, argumentum non est, ni fallimur, contra thesim nostram. Admittimus enim differentiam inter sententiam *iniustam* et sententiam *illegitimam*, quae postrema habetur solummodo — ut asseritur ex supra citatis canonibus — si ius tantum formale violetur. Tunc: si in canone ageretur de una sententia *iniusta* (= contra ius substantivum), mentio huius quarti incisi esset inutilis; sed Legislatori visa est

(29) E. g. quamnam vim habet in can. 346? quam vox *illegitimae* in can. 2381? Item in Iure Romano; cfr. e. g. Bonfante, *Istituz. di Dir. Rom.*[6], pag. 410, nota; d'Angelo, *Ius Digestorum*, I, 29. Ceterum in *Schemate*, can. 390, 5°, legebatur: « ex praescripto *iuris* » et « personae *legitimae* », in *Codice*, can. 1905, § 2, 4: « *Legis* praescriptum ». Innovatio inducta nos ducit ad extensivam interpretationem.

necessaria; ergo hoc unum iure deduci debet ex contextu: quidquid sit de ceteris canonibus (30), hoc in casu concreto sententia *illegitima* (= contra ius formale), ita clare disponente Legislatore, praesumitur, et quidem — remur saltem — *praesumptione iuris et de iure,* iniusta.

III. *Finis legis.* — Restitutio est, absque ullo dubio, remedium extraordinarium « adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis » (can. 1905 § 1); ergo tale, saltem iure Codicis (31), quod in quibusdam tantum casibus in eo expressis proponi possit.

Designatio casuum ergo clara esse debet et concessio, ad neglectum legis quod attinet, reservatur iudici superiori (32).

Ex quo duo deducuntur: - 1) res aperta esse debet; quae talis non est si in systemate iuridico seu legali omnes induci cupiantur distinctiones ac subdistinctiones quae locum inveniunt in systemate scientifico (33); - 2) si examen iudicis, pro concedenda

---

(30) Ceterum allata argumenta exegetica nihil in contrarium probant. Etenim: — 1) can. 1892, n. 1,3 et 1894, n. 1 (1723 etc.) agunt de actis contra legem formalem. Optime; et conceditur querela nullitatis. In ceteris casibus ergo peti potest restitutio in integrum; — 2) can. 1625 § 1 et 1603, § 1. 1°. agunt de actis *nullis* et *iniustis*. Ergo ipsa terminologia constans haud est in Codice; - 3) can. 1654 § 1 continet claram distinctionem inter sententiam *iniustam* et sententiam *legitimam* quae tamen maiorem vim ac efficaciam tribuit relatae interpretationi can. 1905 § 2: « *De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi... 4°. Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit* ». Vim auget illud § 1: « *dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet* ». Cfr. D'Angelo, in Saggi, p. 122 sq.

(31) Nostrum non est terminologiae rationem praebere, de qua, ne inter Canonistas quidem, satis non constat. Cfr. Oietti, *Synopsis,* III, 3520.

(32) Tribunali *appellationis* (can. 1907) vel Apostolicae *Signaturae* (can. 1603, 4°).

(33) Nec nostrum est limites statuere influxus systematis *scientifici* in systema legale. Hoc unum notandum: activitas scientifica systematis in iure est complexus regularum systematis iuridici (in concreto). Hinc illud Pauli in l. 1 D. 50. 17: « *Regula est, quae rem quae est breviter enarrat. Non ex regula ius formatur, sed ex iure quod est regula fiat* ». Cfr Filomusi-Guelfi, *Enciclopedia giuridica*[7], § 35; Brugi, *Introduzione enciclopedica alle scienze giuridiche e sociali*[4], pag. 166 sq.

In systemate nunc vigenti, scil. in Codice, saltem in hac materia, *sub-*

restitutione in integrum, vertere deberet circa « meritum » quaestionis, quaenam differentia esset amplius inter revisionem sententiae in casu appellationis, et revisionem processus in casu petitionis huius remedii extraordinarii?

Ex quo concludi liceat legem, vi peculiaris ipsius instituti naturae, tendere ad hunc finem: faciliorem reddere remedii rationem, inducendo nempe praesumptionem casu quo legis — cuiuscumque *legis* — praescriptum evidenter neglectum fuerit.

Perperam ergo, eo quod in ius formale facilius peccatur quam in ius materiale, quis contrarium deduceret ita ratiocinando: si restitutio in integrum contra omnem laesionem legis processualis, etiam *formalis,* admitteretur, eo ipso desisteret esse remedium extraordinarium. Huic remedio enim recurrendum: - 1) in casibus iure *expressis*, - 2) quando non suppetant *ordinaria* remedia.

IV. *Mens Legislatoris.* — Sed est ipsa ratio quae exigit, quod sub nomine praescripti legis etiam solemnitates iudiciales in re gravi canon intellexerit; aliter dicendum foret quod Legislator iudices arbitros constituisset suae legis servandae vel negligendae impune, quando vicissim in capite libri « *De processibus* » praestituit: excepto Tribunali S. Officii « *cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur* » (can. 1555).

Quod fortius resultat si cursim graviora expendantur praescripta, quorum observantiam Codex ipse peculiari modo praecipit vel ipsa rei indoles exigit, quae idem Legislator resecavit a supra citato can. 390 *Schematis.*

---

tilitates de natura ac divisione legum processualium, ni fallimur, parum praestant; scimus enim systema, interne receptum in Codice, fuisse *codificationis*, quibusdam inductis innovationibus, uti in re nostra. Cfr. Ortscheid, *Essai concernant la nature de la codification*, p. 6-14.

Si comparatio instituatur, statim *mens Legislatoris* luce meridiana patebit:

a) Voluit enim Legislator imprimis institutum restitutionis ad pristinam dignitatem vehere. Cogitabatur enim illud reducere ad petitionem « ex gratia » (*Schema,* can. 421, § 1); quod re factum non fuit (34).

b) Iuxta vel contra canonem 391 *Schematis,* quaedam laesiones dant hodie motivum querelae nullitatis quaedam vero restitutioni (35), et quidem explicite vel implicite.

c) Inter laesiones quae implicite continentur in inciso « *legis praescriptum* » haec, ni fallimur, absque dubio, praescripta veniunt, quorum mentio plus minusve expresse, legebatur in n. 5 eiusdem can. 390 *Schematis:*

can. 1585: de *interventu* Notarii;
can. 1587: de necessaria *praesentia* Promotoris iustitiae aut Defensoris vinculi;
can. 1595-1596: de *constitutione* Tribunalis appellationis (36);
can. 1655: de *constitutione* advocati ex officio;
can. 1682 (cfr. can. 1855): de *nullitate* actus ex officio non declaranda;
can. 1731 (cfr. can. 1844): de *mutatione* libelli;
can. 1861: de *admissione* novarum probationum;
can. 1880 (cfr. can. 1891): de *normis* in appellationibus;
can. 1767: de *iureiurando* testium;
can. 1792: de *peritorum* operae usu;
can. 1934: de *accusatione* criminali.

Haec aliave non minoris momenti, si a iudice neglecta, nullum obtinerent defensionis praesidium in

(34) Ceterum § 2 can. 421 *Schematis* tansiit, mutatis mutandis, in can. 1907; « *supplicatio ad SS.* » abolita est. Restat intentionem Legislatoris instituti mutandi in *natura* et *limitibus.*

(35) Cfr. e. g. *Schema,* can. 390, n. 2, cum can. 1905 § 2, 1. et 2.

(36) Haec dispositio nullo modo cum alia est confundenda de qua in can. 1576 § 1 et 1892, 1.

hypothesi, quod sub vocabulo « praescripti legis », comprehensa non essent; nam inter nullitatis capita non sunt inserta, et aliunde ordinaria appellatio non competeret, re iudicata obstante.

Quod ne intelligi quidem potest, quin summa iniuria ipsius legis auctoritati irrogetur.

Requisita ad concessionem.

Quaeri solet quot elementa requirantur ad restitutionem in integrum ob praescriptum legis evidenter neglectum concedendam; et, ni fallimur, ad duo reducuntur: — *a)* ad *violationem* seu neglectum legis claraе; — *b)* ad *laesionem* gravem.

Primum exigitur ipso canone per verba: « evidenter neglectum »; unde in lege dubia vel obscura evidens neglectus ne concipi quidem potest.

Alterum indole ipsius extraordinarii remedii corrivatur, quod concedi solummodo potest intra fines can. 1687-1688 (can. 1905 § 1). Ius vero non praefinit quandonam laesio gravis vel levis habenda sit: iudicis est, omnibus attentis adiunctis, in concreto decernere, ad effectum huius beneficii concessionis, an laesio adsit, et, quatenus affirmative, utrum gravis an levis seu minima. Est res *aequitatis* (37).

---

(37) Cf. Reiffenstuel, tit. 41, l. I, n. 8. Scribebamus iam in Saggi, p. 125, nota 12: « Crediamo che *fondamento* della restituzione sia sempre *una lesione grave*, anche quando si tratta di restituzione processuale: qui è *lesione giudiziaria*, che fa presumere la lesione per gravame. Vero è che i can. 1687, § 2, e 1905, § 1, usando la stessa espressione *dummodo*, pare vogliano determinare i requisiti fondamentali dei due casi ben diversi, ma la esplicita menzione nel can. 1905 dei limiti già stabiliti pel can. 1687 fa ritenere — e giustamente — che quelle condizioni o modalità imposte in quest' ultimo non si escludono, bensì si presuppongono trattandosi del caso di restituzione processuale. La dimostrazione quindi o prova dell' assenza di dolo occorre anche qui, nel senso che — per stare al caso nostro — il richiedente non deve essere stato causa diretta nè indiretta della inosservanza della legge. Sicchè, se fondamento *prossimo* per la concessione della restituzione processuale è l' ingiustizia, *remoto* è sempre la lesione, la quale, in quei casi di ingiustizia, va presunta, restringendosi l' *onus probandi* del richiedente alla sola esclusione di ogni sua imputabilità ». Cfr **not. 46**.

Praeter has conditiones, haud necesse est ulterius ostendatur praescriptum legis evidenter neglectum secumtulisse evidentem *iniustitiam* rei iudicatae. Hoc quidem ipse canon 1905 exigere videtur per verba § 1: « dummodo de evidenti iniustitia... manifesto constet »; at illico — et hoc ad praxim requirebatur — subnectit in § 2: « De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi... 4⁰ Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit ».

His igitur ostensis: — 1) *neglectu* legis clarae; — 2) gravi *laesione*, iam eo ipso — praesumptione iuris et de iure — de iniustitia rei iudicatae manifesto constare censendum est.

Ex his patet quamnam vim habeat illud quod opponitur huic nostrae sententiae: fundamentum restitutionis in integrum eiusque constantem finem esse reparandi iniustitias, ideoque ad illud concedendum in casu nostro requiri, praeter laesionem gravem et causam, etiam relationem causalitatis inter legem violatam et sententiae iniustitiam. Hanc relationem iam admittit ipse Legislator quando edicit: neglectus *legis*, dummodo illa clara sit et indubia, secumfert iniustitiam (38).

Solvuntur difficultates.

Opus non esset ceteras difficultates solvere quae contra nostram extensivam sententiam proponuntur;

---

(38) Non ergo omnia arrident quae ad rem tradebat ROHRACHER in sua cit. *thesi*. « Reasumendo — ipse ait, fol. 35 — quae disseruimus, can. 1905 § 2 n. 4 sic interpretandum est: *laesio praescripti legis est iusta in integrum restitutionis causa*: — 1) si neglectum est praescriptum legis sive *materialis* sive *formalis*; — 2) si hoc praescriptum *evidenter* neglectum est; — 3) si hic neglectus est *causa* et *fundamentum* sententiae iniustae; — 4) si sententia hoc modo fit evidenter *materialiter* iniusta ». Et in nota 5: « Thesim nostram illustrandi causa provocari posset etiam ad Codices civiles modernos, qui restitutionem i. i. contra sententias *materialiter* iniustas tantum admittunt. Cfr. Cod. proc. civ. austr., § 530; ital., aa. 494-495; Cod. proc. poen. austr., § 353; ital., a. 538 ». Agitur de solito usu confundendi *systemata* scientifica cum legalibus, vel etiam legalia inter se diversa.

pretium tamen operis putamus eas saltem memorare quae praxim tangunt:

a) Si omnes leges procedurales sub illo inciso veniant, ex his et minimae servandae sunt: ergo etiam, e. g. ex neglectu can. 1874 § 1, derivari potest concessio restitutionis. — Nil falsius, quia *leges procedurales* (= formales) intelliguntur quae rem gravem attingant (= in re gravi). Notum est adagium « de minimis non curat praetor »; nec vim haberet argumentum « ubi lex non distinguit », eo quod in hac materia, ut vidimus, maximum relinquitur arbitrio iudicis.

Ceterum si haec sententia extensiva respuatur, in praxi restitutio in integrum, ex hoc capite concedenda, reduceretur ad nihilum, forte ad illum casum typicum — nisi *unicum,* ut traditur — in quo violatio legum processualium sententiam iniustam gignere videtur, quando nempe legitima defensio est interdicta. Quod ex dictis, ex eo praesertim circa mentem Legislatoris innovandi substantialiter et systematice hoc institutum, logicum non apparet.

b) Non pauci essent pertimescendi *abusus* si forte quis posset ob quamlibet violatam formam praetendere restitutionem: dum, e converso, si agatur de violatione legum substantialium, datur actio nullitatis; si de formalibus, vel parvi sunt momenti vel partes non proposuerunt, tempore opportuno, exceptionem vel appellationem, et tunc nullum datur remedium.

Vidimus voluisse Legislatorem *nullitatis* quaedam capita resecare et novo capiti de *restitutione* adiicere: nec valet argumentum tacitae renunciationis partium, quod non omnibus procedurae legibus aptari potest. Cfr. e. g. can. 1861 § 2, et vide **not. 46.**

Nec obstat non interposita tempore utili exceptio; imo, ad tradita DD., remedium facilius concedendum est in casu. Scribit De Luca (39): « Magna con-

(39) *De iudicis,* disc. 38, n. 19.

stituenda venit differentia inter illam restitutionem in integrum, quae petatur adversus rem iudicatam resultantem solum a non interposita appellatione suo tempore, sive ab eius desertione, etsi ex causa solius negligentiae, qua non accedente integra remaneant una vel plures instantiae, in quibus etiam ex simplici et ordinaria iniustitia, quae resultet a maiori vel minori probabilitate in quaestione dubia, sperari debuisset infirmatio sententiae iudicis *a quo*: et alterum casum, in quo restitutio petatur adversus tres conformes. Ex ea differentiae ratione, quod in primo casu agitur de restitutione adversus dictam negligentiam, quae ut plurimum est potius causidici defensoris quam ipsius principalis, quodque ista restitutio est cognita a iure communi, atque ab eodem permissa: in altero autem est incognita, imo prohibita, dum lex civilis, a qua non discordat canonica, disponit, ut tres conformes omnimodum finem litibus imponant ».

Concessio restitutionis ei non obstat qui appellare poterat et neglexit; ergo, a fortiori, et qui excipere poterat et non fecit, quod absque dubio litigantis ius ad extraordinarium remedium invocandum minime perimit. Ad rem et GONZALES (40): « Sunt aliquae limitationes complectentes nonnullos casus, in quibus exceptiones *dilatoriae* (seu temporales) nec ante litis contestationem opponi possunt, et etiam post litis contestationem opponi valent, immo etiam post sententiam... Denique omnis exceptio, *quae iudicium retro reddit nullum, quocumque tempore, etiam post latam sententiam opponi potest* ».

Optimo tamen iure animadvertit, cum aliis, REIFFENSTUEL (41): « Fallit enim hoc, quando quis sciens, in *fraudem* ac *malitiose* praetermisit opponere excep-

(40) L. II, tit. 25, cap. 4, n. 10.
(41) L. II, t. A. 25, n. 75.

tionem peremptoriam in causa principali (et idem intelligendum de quacumque exceptione), ut sic fatigaret adversarium suum. Quia tunc dolose praetermittens opponere exceptionem non est audiendus in secunda instantia... quia *malitiis hominum non est indulgendum* ».

Hoc idem non obscure innuit can. 1687, intra cuius fines restitutio peti potest (42).

Praxis interpretativa.

Quando haec quaestio primum proponebatur, in *votis* erat ut interpretes et tribunalia illam illustrarent atque, pro posse, resolverent (43). Hodie, tribus post annis, ex professa doctrina et ex iurisprudentia iure merito desumi potest interpretationem extensivam, in terminis supra relatis expositam, saltem veriorem esse.

---

(42) Non abs re erit haec referre quae exponebamus in Saggi, p. 125: « Nè si dica che una tale interpretazione possa condurre a serii inconvenienti pratici per il dolo di chi, p. es., subendo maliziosamente e silenziosamente la violazione delle norme procedurali nella speranza d'un trionfo, si faccia poi attivo nella richiesta della restituzione in caso di sconfitta.

Conveniamo sulla verità del principio enunciato dal giureconsulto Paolo (D. 22, 6, 9): « ignorantia facti non iuris excusat », ma non ci si neghi la verità dell'altra massima del medesimo in altro luogo (D. 41, 4, 2, 15): « *iuris error nulli prodest* »: il fondamento della restituzione ha una lesione, non imputabile al richiedente (can. 1687, § 2), non già l'ignoranza della legge. Una tale ignoranza, di fatto, se non scusa agli effetti dell'obligatorietà, non può nuocere ad uno, per giovare, con lesione, all'altro.

Che se apparirà dal tutto che si tratta proprio di malizia, è il vero caso di ripetere col giureconsulto Celso (D. 6, 1, 38): « *malitiis non est indulgendum* ». Si verificherebbe proprio l'inverso del caso contemplato nel can. 1905, § 2, 3, per cui la restituzione non andrebbe concessa senza alcuna remissione, tanto più che questa, come prescrive il can. 1905, § 1, va concessa *infra fines can. 1687*, in cui, al § 2, si richiede la prova, oltre che di una giusta causa anche della lesione non imputabile, come ha pure confermato la S. Romana Rota (in *Luganen,* 16 febbraio 1925) ».

(43) Tunc enim in *conclusionem* scribebamus (in Saggi p. 126):

« Lungi da noi ogni idea e presunzione di aver voluto dare, in così brevi cenni, una risoluzione esauriente e sicura di una questione tanto ardua, sin'oggi, a quanto sappiamo, non ancora trattata nè discussa presso i sacri tribunali. Ci è di soddisfazione di averla rilevata e lanciata nel campo della discussione, augurandoci che gli studiosi portino contributi più sodi per la retta interpretazione di questo punto, della massima importanza pratica ».

Nimirum:

a) Quamvis non omnes *interpretes* et expositores huius partis Codicis hanc quaestionem proponant (44), tamen plures, uno alterove excepto, hanc eamdem nostro sensu resolvunt.

Eminent ccll. WERMEERSCH - CREUSEN (45), VIDAL (46), et, saltem implicite, BLAT (47) et STOCCHIERO (48).

b) Concinit recentior *iurisprudentia,* post Codicem promulgatum; et quatuor liceat afferre latas sententias, quarum duae a S. Romana Rota, duae a Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali.

1. S. R. Rota (c. SINCERO pon., PRIOR, MASSIMI) — *Restitutionis in integrum,* d. 8 apr. 1919 (49). Inter alia haec leguntur: « .... ante Codicem de iniustitia sententiae per ordinaria probationis media constare poterat.... Nunc autem de iniustitia rei iudicatae manifesto constare debet; non censetur autem de inius-

---

(44) Mentio desideratur et in studiis peculiaribus, e. g. in *La « restitutio in integrum » nella legislazione canonica vigente* » apud *Il diritto Eccles.*, a. XXXIX, N. 3-6, p. 205-235.

(45) *Epitome I. Can.*, III[3], n. 246.

(46) WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* VI, 639. Magnum pondus practicum non videtur illa restrictio habere, quam idem cl. P. VIDAL in nota (13) hisce verbis proponit: « Non tamen facile idem extendendum est ad leges processuales, circa actus, quorum recta positio debet invigilari et exigi a partibus interesse habentibus; nam partes possunt renuntiare iuri in earum favorem constituto ». Etenim de duobus, in praxi, alterum: *vel* pars leges ignorabat, et tunc earum recta positio bona fide facta non fuit: ergo, iuxta illud « nihil cognitum nisi praecognitum », in casu sermo esse non potest de tacita renunciatione ideoque remedium concedendum; *vel* pars leges cognoscebat et fraudulenter seu dolose illis usus non est tempore opportuno, et tunc restitutio in integrum deneganda est — ni fallimur — non vi renunciationis sed vi *doli* quo illa usa est, uti retro adnotavimus (NOTAE 37 et 41). Congrua congruis referendo, cfr. l. 1 C. 2. 27 (28) *de denegata restitutione* in integrum *minori* qui iuramento promissionem confirmavit illam non petendi, et relativa autentica Fridericiana « *Sacramenta puberum* », de qua WERNZ, III, 246 et D'ANGELO, *Ius Digestorum,* I, 787 (p. 596-597).

(47) *De processibus,* n. 438 (1927; p. 418). Scimus etiam cl. P. NOVAL in altera editione, quam ipse parat, sui operis *De Processibus,* ad hanc eamdem sententiam adhaerere.

(48) *Il Codice del Clero,* n. 988, p. 720.

(49) Cfr *S. Rom. Rotae decisiones,* Vol. XI, p. 76-87.

titia *manifesto* constare, nisi modis et mediis a iure determinatis in cit. can. 1905 § 2 ». Et alibi: « Quare hac in re ius vetus non parum immutatum fuit ».

2. S. R. Rota (c. PARRILLO), S. Iacobi de Chile. — *Restitutionis in integrum,* d. 25 iul. 1927. Acta Apostolicae Sedis (50) huius sententiae tantummodo *inscriptionem* referunt; sed, si vera sunt quae nuperrime ad me relata sunt, in specie thesis extensiva integre recepta est, solidissima doctrina atque latissima eruditione illustrata.

3. Supr. Signaturae Ap. Tribunal, Paderbonen. — *Nullitatis* matrimonii, d. 10 maii 1919 (51). Ex hac causa desumi licet casus can. 1892 et 1894 de querela nullitatis esse habendos *exclusivos.*

4. Supr. Sign. Ap. Tribunal, De Manila. — *Restitutionis in integrum,* d. 6, apr. 1920 (52). Inter alia haec leguntur: « Aperta est... Codicis quo utimur littera (can. 1905, § 2. n. 4) huiuscemodi extraordinarium remedium concedendum esse iubens, si claris univocisque probationibus demonstrentur « legis praescriptum evidenter neglectum fuisse »; enimvero « beneficium istud legis potius quam litigantium favore inductum est » ut constans tenuit Ordinis Nostri disciplina (cfr. *Decis. Sign.*, 70 § 2; 204, § 22). Nec nomine *legis* solummodo generale praescriptum Codicis heic intelligendum; verum etiam *peculiaria* praescripta et statuta quibus a partibus contra venire non licet — ut sunt fundationis tabulae, ultimae voluntates, pacta conventa, ceteraque id genus — ad effectum restitutionis in integrum ex hoc capite neglecti praescripti legis concedendae, comprehendi, id innumeris Signaturae dicisionibus firmatum est... Notissimum enim illud est prin-

(50) 1920, XX, p. 49.
(51) Cfr. A. A. S., IX, pag. 295-299.
(52) Cfr. A. A. S, XII, pag. 257 sq.

cipium, posse in contrahendo partes quam sibi libuerit *legem edicere;* cfr. Reg. CLXXXV in VI: « contractus ex conventione *legem* accipere dignoscuntur ».

Conclusiones.

Ex hucusque dictis, haec doctrinaliter veriora apparent, salvo meliori iudicio:

1° enumeratio canonum 1892 et 1894 de *querela* nullitatis est *exclusiva,* ita ut, praeter illos casus, alii non dantur;

2° incisum can. 1905 § 2, 4.° « legis praescriptum evidenter neglectum fuerit » late seu extensive sumendum est, ita ut ob leges quoque *procedurales* in re gravi neglectas dari debeat *restitutio in integrum;*

3° ex hoc capite *duo* requiruntur et sufficiunt ad huiusmodi restitutionem concedendam: — a) violatio seu *neglectus* legis clarae; — b) *laesio* gravis;

4° iudicium de *gravitate* sive violationis legis sive laesionis relinquitur arbitrio iudicis qui debet illam concedere, omnibus in concreto *aequitative* perpensis de singulis casibus.

S. d' ANGELO.

De crematione corporis humani praesens quaestio.

Introductio.

In medio anno 1926, die 19 iunii, *Suprema S. C. S. Officii* ad omnes locorum Ordinarios, instructionem de crematione cadaverum misit, ex qua, pro consilio nostro, hanc partem nobis decerpimus: «... Quum

non pauci, etiam inter catholicos, barbarum hunc morem, nedum christianae sed et naturalis erga defunctorum corpora pietatis sensui constantique Ecclesiae, inde a primis eius initiis, disciplinae plane repugnantem, veluti unum e potioribus hodierni, ut aiunt, civilis progressus scientiaeque valetudinis tuendae, meritis celebrare non dubitent; haec eadem Sacra Congregatio christiani gregis Pastores quam vehementissime hortatur ut concreditas sibi oves omnimodis edocendas curent hoc reapse consilio a christiani nominis hostibus cadaverum crematiónem laudari ac propagari ut, animis a mortis consideratione speque corporum resurrectionis paulatim aversis, materialismo sternatur via. Quamvis igitur cadaverum crematio, quippe non absolute mala, in extraordinariis rerum adiunctis, ex certa gravique boni publici ratione, permitti queat et revera permittatur; communiter tamen ac veluti ex regula ordinaria eidem operam vel favorem praestare, impium et scandalosum ideoque graviter illicitum esse nemo non videt. »

Sollemnis ista declaratio, post plura decreta vel responsa antea, saec. XIX, iam lata (1) et per ipsum

(1) Primum occurrit nobis responsum 19 maii 1886 ad ambo haec dubia:

1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?

2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumque corpora comburantur?

Ad utrumque dubium responsum dedit S. Officium « negative »; et ad primum addidit: « et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra has latas ».

Eodem anno, 15 decembris, nova statuta est lex a Congregatione *S. Officii*, vi cuius privatione supulturae ecclesiasticae plectuntur omnes « qui propria voluntate cremationem elegerunt et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseveraverunt ».

Sex post annos, 27 iulii 1892, plurima dubia practica fuerunt a S. Officio definitive resoluta, ita ut sole clarior appareat mens Ecclesiae hac in re. Dubia fuerunt haec.

1. Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae sectae non adhaerent, nec eius ducti principiis, sed aliis rationibus moti, corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?

Ad hoc respondetur: « Si moniti renuant, negative. Ut vero fiat aut omit-

Codicem I. C. confirmata (1), certum nobis iudicium est ingruentis periculi moralis et socialis, cui sine mora occurrendum est. Ac revera, ipsa Suprema Congr. duplicem causam nobis tradit cur « probante SS° Domino Nostro » « muneris sui esse duxerit locorum per orbem Ordinariorum hac super re attentionem denuo instantiusque.... excitare »

Prior causa est in dies, ut relatum est, invalescens cadaverum cremationis praxis nonnullis in regionibus.

---

tatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi ».

2. Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae Sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare?

Respondetur: « Circa publicam S. Missae applicationem, negative; circa privatam, affirmative ».

3. Utrum liceat cadaverum crematioui cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus? Et utrum hoc liceat saltem si fiat in quadam necessitate, aut ad evitandum magnum damnum?

Respondetur: « Numquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo: 1° crematio non habeatur pro signo manifestativo massonicae sectae; 2° non aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; 3° neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum, quamvis in hisce casibus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne crematioui cooperari intendant ».

4. Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare Sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant?

Respondetur: « Provisum in praecedenti. Et detur decretum feriae IV, 15 Decembris 1886 ».

Omnia haec decreta et responsa, confirmata et promulgata sunt a Leone XIII s. m.

In novo Codice Iuris Canonici cadaverum crematio iterum reprobatur, renovatur decretum diei 15 decembris 1886, et sanciuntur poenae contra transgressores prohibitionis de deneganda ecclesiastica sepultura iis qui mandaverint suum corpus cremationi tradi.

(1) Can. 1203 § 1.: « Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, reprobata eorundem crematione »; § 2: « Si quis quovis modo mandaverit ut corpus suum cremetur, illicitum est hanc exsequi voluntatem; quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tamquam non adiecta habeatur ».

Can. 1240 § 1, n. 5: « Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa... Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi » (etiamsi crematio non sequatur: *Comm. I. C.* 10 nov. 1925). Can. 1241: « Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica funebria ».

Altera causa est periculum contagii inter catholicos, ne ipsi ut unum e potioribus meritis hodierni, ut aiunt, civilis progressus scientiaeque valetudinis tuendae, celebrare incipiant usum ab Ecclesia non semel repudiatum et reprobatum.

1) De *initiis, incrementis* et *hodierna fortuna* cremationis iuvat haec referre (1).

a) *Initia.* Anno 1872, in urbe Patavina, Italus BRUNETTI primum incinerationis experimentum instituit et iam anno sequente 1873 comprobationem ab auctoritate civili pro tota Italia est consecutus. Anno 1876, prima publica instaurata est crematio Mediolani. Ex illo tempore, nonnullae exortae sunt consociationes quorum praecipuus scopus fuit propagatio consilii cremationis per universam Europam. Et sic apparet in Germania, eodem anno 1876, elaborata et promulgata lex, qua facultas cremationis in tota civitate conceditur. In Gallia, anno 1886, proposita est lex optionis: eligendi scilicet aut tumulationem aut crematione proprii cadaveris, sed tantum pro maioribus natu vel filiis emancipatis, quae lex approbata est die 15 nov. 1887, et vigere coepit die 27 aprilis 1889. Idem in omnibus regionibus septemtrionalibus, inclusis Statibus Foederatis Americae, eodem fere tempore, sancitum est.

b) *Incrementa et status ante bellum :* Introducta in Galliam incineratione, orta est Parisiis consociatio quaedam massonica, cui titulus « *Société pour la propagation de l'incinération* », quae a Praeside Reipublicae D. FAURE recognita et approbata est die 12 octobris 1897. Anno 1910, huic consociationi adhaerebant 671 cremationis fautores (dum anno 1905 ei admunerabantur 643). In 24º conventu generali illius consociationis (1905), sequens status rei comprobari potuit: Inde a cremationis instauratione exstructa sunt in Europa et America *90* crematoria (29 in Statibus Foederatis Americae, 12 in Anglia, 28 in Italia, 9 in Germania...), cadavera autem humana cremata aestimabantur circiter 125.000, quorum 73.330 in sola Gallia.

Sed notandum est quod ex his 73.330, solum 3.486 combusta sunt ex propria vel parentum voluntate seu iussione; reliqua

---

(1) Cfr *Dictionnaire de Théol. Cathol.*, Tom. VI « *Cremation* » Dr G. ARNOULD, « *Nouveaux éléments d'hygiène* » — *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* tom. II « *Incinération* » (J. BESSON) — Dr WITSCH (AQUARIUS) « *Feuerbestattung* ». Dr WITSCH est promotor actionis cremationem in Germania catholica impugnantis.

fuerunt aut fetus immaturi (32.757) aut membra amputata (37.082) « cadavres déchiquetés dans les amphithéatres ».

Anno 1909, numerabantur in Europa 72 crematoria (28 in Italia, 17 in Germania, 13 in Anglia, 6 in Helvetia, 4 in Gallia, 2 in Suecia, 1 in Norvegia, 1 in Dania) et in America 37 (34 in Statibus Foederatis Americae sept., 1 in Canadensi Dominio, 1 in republica Argentina, 1 in Guatemala).

Immediate ante bellum, in sola Germania et in Statibus Foederatis Americae sept., causa cremationis progredi videbatur. Frustra, anno 1912, de roganda lege quae crematione permitteret in Belgio agi coeptum est.

Inter ipsum bellum sollicitudo de diffundenda crematione intermissa est.

c) *Post sopita*, anno 1918, vastissima immanis belli incendia, id effecit error materialismi, ut opinio de comburendis cadaveribus denuo invalesceret, sibique in quibusdam partibus novos patronos acquireret. Ac re vera, anno *1927*, cremata sunt in universo mundo christiano, nonaginta circiter milia corporum humanorum (90.000!), quorum 46.000 in sola Germania (pro 16000 anno 1919): Berolini, 14.000! Eodem anno combusta sunt in Statibus Foederatis Americae sept. 11.679, in Helvetia 4.291; in Tschechoslowakia 3.756; in Anglia 3.266; in Austria, 3.000, quorum duo circiter milia dicuntur fuisse catholicorum!; in Dania 1.265; in Norvegia 934; in Gallia et Argentorati (Strasbourg) simul, 900; in Suecia, 453; in Hollandia, 352; in Argentina 184; in Italia circa 250 (in 1928 etiam rariores fuere: Romae 7 tantum).

Crematoria quod attinet, Status Foederati Americae sept. possident 87, Germania, 83, quorum tria Berolini; Italia 32 (1); Helvetia, 19; Anglia, 16 (sicut ante bellum); Tschechoslowakia, 8; Gallia et Argentorati simul, 6; Dania, 4; Canadense dominium, 1 (Summa; 269 crematoria).

Nec desunt consociationes et scriptae lucubrationes, quae destinantur fere exclusive propugnandae causae cremationis. Sic v. g. Berolini maxime floret foederatio huiusmodi consociationum « pro crematione », cui titulus: « *Verband der Feuerbestattungsvereine Deutscher Sprache* ».

Ope istius foederationis magna copia sparguntur folia separata communi nomine *Flammarum Germanicarum* (« *Deutsche*

(1) Omnia sunt bello anteriora. Hodie enim crematio in Italia inclinat ad ruinam quam sperare licet irremediabilem. Ut Prof. Gasdía et Maroi nobis benigne testati sunt, vix unum vel alterum « crematorium » usurpatur. Nec statisticae rationes de crematione iam curantur.

Flamme »). Unaquaeque editio constat 350.000 exemplarium quae gratis distribuuntur. Praeter istam Foederationem, memorandae potissimum in Germania sunt *quinque* Berolinenses consociationes quae suam quaeque edit ephemeridem et quamplurimos habet asseclas. Principalis titulum habet « *Verein für Freidenkertum und Feuerbestattung* » (Consociatio pro libera mente et crematione): ei 600.000 sociorum ascripti sunt; altera « *Volksfeuerbestattungverein* » fere aequalis momenti, (*Consociatio popularis pro crematione*): huic 100.000 personae nomen dederunt.

2) *De altera causa.* Hactenus catholici qui cremationi patrocinari coeperunt vel adeo corpora comburenda tradiderunt ex iis sunt qui nomen catholicorum retinent, mere quia catholice baptizati ad nullam sectam acatholicorum transierunt, et potius practice quam formaliter sunt apostatae.

Periculum tamen habetur ne catholici fideles in controversiis cum adversariis nesciant quibusnam rationibus leges faventes cremationi impedire possint; timendum etiam est ne speciosis quibusdam rationibus decepti, minus capiant quam necessaria et opportuna sit Ecclesiae severitas et mox ipsi saltem interne a S. Sedis directione dissentire incipiant.

Quare operae pretium nobis visum est ut quaestionem istam propius examinemus.

I. Genuina vis instructionis Supremae Congregationis.

In primis quaerendum nobis est de significatione et vi instructionis S. C. *S. Officii.* Recolamus verba initio nostrae disputationis allegata (1). Negari non potest severam prohibitionem cooperationis conecti cum pravis propositis fautorum cremationis.

Sic enim ait: « S. Congregatio Christiani gregis Pastores quam vehementissime hortatur, ut concreditas

(1) In loco isto ubi crematio dicitur « non absolute mala » quidam legerat « absolute non mala »!

sibi oves omnimodis edocendas curent, hoc reapse consilio a christiani nominis hostibus cadaverum crematio-nem laudari ac propagari ut, animis a mortis consideratione speque corporum resurrectionis paulatim aversis, materialismo sternatur via ».

Huiusmodi argumentum tale sane est, quod christianos practice commoveat qui nollent profecto propagando materialismo operam aliquam conferre. Atque istud etiam addamus, primis christianis placuisse debere istam imaginem, ab Apostolo insinuatam, qua, instar sementis quod humo commissum ibi perit ut exsurgat virens gramen, corpus terrae mandatur consumendum ut gloriosius inde resurgat. « Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? Qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum utputa tritici aut alicuius ceterorum... Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale » (1 Cor. 15, 35-43).

Num tamen haec sola ratio, ad fideles trahendos accommodatissima, praecepta istius instructionis fundat? Occurrunt quaedam apud aliquot probatos ceterum scriptores, quae huiusmodi interpretationi favere possunt.

Ita LEHMKUHL, S. I. *Theol. mor.* II, 1174 et 1175, ubi sententiam suam explicat, ante oculos potissimum ponit minorem congruentiam cremationis cum professione doctrinae christianae et positivam Ecclesiae prohibitionem. Moralem autem eius malitiam ex adiunctis repetit « quae morem illum hodiedum comitantur ».

Qualia autem intellegat adiuncta, his declarat: « Qui enim cremationis morem promovere student, probe norunt se, posthabito christiano more, morem a vera religione immunem et ethnicum repristinare, atque id intendunt, quo se fateantur christiana religione superiores. Immo qui quod in animo habent,

sincere pandunt, non obscure innuunt, crematione sibi signum esse annihilationis totius hominis, eamque faciunt professionem negatae immortalitatis » Ed. 11. In prioribus eadem habentur II, 919 et p. 796. 797.

NOLDIN-SCHMITZ, S. I. II, 717. 718, postquam, errore historico deceptus, compluribus gentilium populis morem cremandi defunctorum corpora imputavit, allegat rationes propter quas *Ecclesia* morem humandi corpora introduxerit (ut ipse ait) et servet, et sic profert sententiam suam: « Etsi crematio corporis humani nec ulli veritati religionis christianae contraria nec intrinsecus mala sit, iure tamen ecclesiastico prohibetur et ex adiunctis in quibus recenti tempore promovetur, magis adhuc illicita evadit ».

R. P. PRÜMMER, O. P., in suo *Manuale Theol. mor.* mere in nota ad n. 509, III, memorat privari sepultura ecclesiastica eos qui mandaverunt suum corpus cremationi tradi. Rationem autem cur sit proscripta non aliam affert nisi quod sit « contra mores et liturgiam christianorum (1) » Fusius quidem tractat argumentum in *Theol.-prakt. Linz. Qtschft*, 1928 (539-546). Immo titulo « *Die Feuerbestattung menschlicher Leichen vom Standpunkt der Moral betrachtet* », nuntiare videtur intrinsecum argumenti examen. Sed etiam ibi bene quidem demonstrat cremationem nulla ratione commendari, eandem antireligioso animo praedicari, et accurate refert positiva S. Sedis decreta. Morale tamen cremationis examen instituere omittit. Immo id subiungit: « per se *indifferens* est utrum hominis cadaver dissolvatur in tumulo vel incineretur in crematorio. Nec dogma quoddam nec moralitatem *directe* tangunt diversi illi depositionis modi ».

Temperatae istae dicendi rationes non sunt tamen immunes a gravibus incommodis quae, procul dubio, a mente clarissimorum virorum prorsus aliena sunt. Etenim, si sola positiva Ecclesiae decreta cremationi repugnant, catholici armis et telis destituuntur ad convincendos multos istos acatholicos qui, quamvis honestatis sensu non destituantur, ecclesiastica tamen praecepta flocci faciunt. Quid igitur opponere poterunt audacibus istis novatoribus qui leges obtinere student

(1) In ultima editione, eod., ex Instr. S. Officii 19 iun. 1926, id solum excerpit, cremationem ex certa gravique causa boni publici permitti posse.

quae optionem cremationis darent in regionibus in quibus sola adhuc inhumatio permittitur? Vix poterunt appellare accidentalem difficultatem processus criminalis, pro quo causa mortis exploranda foret.

Praeterea, si ipsum Ecclesiae vetitum innititur tantum menti et intentioni fautorum, qui per combustionem materialismum persuadere et completam hominis annihilationem repraesentare intendant, cum intentiones istae variare queant, cum ipsa schola iam profiteatur se nulla duci aversione a religione, ratio vetiti non videtur iam stabilis et permanens futura. Quod tamen cum rigore sanctionum, cum sollemnitate et frequentia decretorum aegre conciliari potest. S. Sedes crematione vere bellum indixit. Num sic in aciem procederet contra rem in se indifferentem, cuius soli patroni reprobandi forent?

Verum ipsum examen decretorum demonstrat crematione minime pro re indifferenti a S. Sede haberi. Num per se indifferentem habet morem quem in Instructione pronuntiat « barbarum, nedum christianae sed et *naturalis* erga defunctorum corpora *pietatis* sensui constantique Ecclesiae, inde a primis eius initio disciplinae plane repugnantem »?

Num per se aequali loco habet, id de quo dicit « communiter ac veluti, ex regula ordinaria eidem operam vel favorem praestare, *impium* et scandalosum ideoque graviter illicitum esse nemo non videt »?

Indubia igitur est Ecclesiae reprobatio crematione *ut barbari et impii usus,* et, potius quam in re apertissima immoremur, reprobationem istam via ac ratione iustam esse efficiamus. Ad hoc etiam haesitatione quorundam scriptorum eiusque damnosis sequelis impellimur.

II. Intrinseca causae indagatio

1. In primis autem removeamus praeiudicium quod ex leviter facta relatione historica oriri posset. Qua ducti ratione, qua frequentia, qua antiquitate et constantia gentes nonnullae crematione celebraverint, nondum satis exploratum videtur. Sed ea quae novimus satis sunt ut negemus exempla plurium populorum pro crematione allegari posse.

Ita enim res summarie exhiberi possunt.

Ut exordiamur a Palaestina, unicum vestigium cremationis apud Neulithicos terrae Chanaan sunt cineres circa centum hominum in hypogaeo Gézer, initio huius saeculi detecto (1907). Sed fuitne causa specialis, nobis ignota, an usus generalis? Sane quod in gente, quae per 1500 annos terram Chanaan habitavit, non reperiatur nisi unum exemplum combustionis, id, potius quam usum, exceptionem insinuat (Cf. H. VINCENT « *Chanaan d'après l'exploration récente* » pg. 207. 214. 262).

b) Semitae, Neulitharum successores in Palaestina (2500-600), semper defunctos tumulabant, numquam eos comburebant, uti evidentissime apparet ex excavationibus hucusque peractis (Cfr H. LAGRANGE O. P., *Études sur les religions sémitiques* » 2 ed. Paris, 1905, pg. 330. 331; H. VINCENT, op. cit. pg. 212-236).

c) Iudaei sepeliebant similiter omnes mortuos in coemeteriis extra civitatis muros; omnia humabant cadavera hostium in bello, immo lex mosaica praecepit, ut ii etiam seppelirentur qui propter aliquod facinus morte plecterentur (*Deut.* 21, 22. 23). Nulla fit in Vetere Testamento mentio de corporum crematione, nisi in extraordinariis rerum adiunctis, alicuius belli vel pestis grassantis (I *Reg.* 31, 12. 13), vel ut genus poenae capitalis pro atroci scelere (*Lev.* 21, 9).

d) Apud Chananeos, Phoenices, Carthaginenses constat de sola crematione victimae diis oblatae, praecipue ad eorum iram placandam. — Ceteri more solito sepeliebantur. (CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE « *Manuel de l'histoire des religions* » Paris, 1904, pag. 185.)

e) Apud Aegyptios et Chaldaeos, unum alterumve vestigium cremationis detectum est ab archaeologis; quam plurima vero corpora humatione donata inventa sunt, immo certo con-

stat Chaldaeos cadavera ut plurimum tumulasse (G. MASPERO, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique*, Paris, 1895, t. I, pg. 687-688; t. II, pg. 309-312; 506-508).

f) Medi et Persae consueverunt sepelire defunctorum corpora, et quando in Irania introducta est incineratio, Avesta omnibus viribus protestatus est contra talem innovationem. Ritus Iraneorum erga cadavera consistebat in eorum expositione in cacumine montium. (H. VINCENT. « *Chanaan* » pg. 280. 281 — CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE: op. cit. pg. 438, 448, 463, 471, 472).

g) Graeci quoque morem corpora incinerandi abhorrebant, saltem usque ad sic dictam epocham Homericam, in qua utique praevaluit crematio; sed in periodo classica iterum universaliter introducta est tumulatio (PERROT et CHIPIEZ: « *Histoire de l'art dans l'antiquité* », Paris 1882-1903, t. VI pg. 561-568).

h) Apud Romanos, ritus primitivus et universalis fuit omnino humatio. Crematio, uti testatur PLINIUS l. VII, c. 44, introducta est tempore Reipublicae. Anno 308 ab Urbe condita vigebant adhuc eadem iura pro tumulatione et pro incineratione. Numquam cremabantur infantes nondum dentientes. Nec tempore Imperii fuit universalis consuetudo cremandi. Tempore Antonini iam coepit praevalere humatio, et tandem saec. V post. Christum crematio cadaverum cessavit (influxu, uti patet, christianismi). (« *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines* » DAREMBERG et SAGLIO, t. II. pg. 1386-1409).

i) Primitivi Italiae incolae indubitanter tumulatione tantum sunt usi, uti probat FR. LENORMANT (« *Histoire ancienne de l'Orient* « 9e édit; Paris, 1881, L. I, pg. 144.) » Tempore vero invasionum barbarorum etiam crematio, sed raro, locum habuit. Idem dicendum est de regionibus septemtrionalibus Europae.

k) Apud Indos, uterque ritus viguit et adhuc viget, sed tamen humatio videtur fuisse etiam in India primus et universalis ritus, uti asserit CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE (op. cit. pg. 344.345).

b) Apud gentes quas moderni nomine primitivorum compellare amant, quales sunt tribus Africanae, corpora sepeliuntur. Comburuntur tantum corpora eorum qui gravissimi reatus insimulantur, nempe sortilegii et maleficii.

Namque id etiam observandum est, usum comburendi quorundam corpora imperari potuisse propter veram aut existimatam causam boni communis, propter quam, in nostra etiam sententia, locus exceptionis

fieri potest. Ita crematio corporum quorundam sontum vindicta publica; nobilium vel principum timore aemulae contentionis explicari possunt (1).

2. Sed iam ad *argumenta intrinseca* properemus.

Ab hoc initio proficiscendum est. In communi hominum aestimatione, corpus defuncti hominis nequit vulgaribus rebus aequiperari, sed quamdiu non est in elementa resolutum, seu quamdiu recognosci potest, propter relationem ad personam ad quam ut pars pertinuit, transcendit ordinem omnium entium non rationalium. Actu quidem non iam est persona, nec proin est absolute inviolabile; et simili modo quo viventis corporis membra ad bonum totius corporis ordinem habent, propter quem necessaria ad salutem corporis mutilatio honestari potest, ipsum defuncti corpus subordinatur communi hominum bono, et propter communem utilitatem mutilari vel destrui honeste poterit. Sed, salva hac subordinatione, reliquiae humanae quidpiam sacrum retinent virtute pietatis colendum. Inde, etiam hodie, cultus silentii in cubiculo ubi corpus iacet, inde sollemnis deductio ad locum sepulturae, inde universalis salutatio qua in eius occursu, sive fuerit divitis sive fuerit pauperis, honoratur.

Si ope cuiuspiam analysis explicatius nobis rationem reddere voluerimus istius tam ultronei affectus, haec videntur subici posse.

In omnis defuncti corpore praestantissimam totius hominis imaginem veneramur, cuius corpus fuit pars essentialis, intime cum anima copulatum, condicio sine qua non ipsius creationis animae immortalis, fructum amoris parentum, obiectum maximae sollicitudinis tum proximorum tum fortasse plurium aliorum.

---

(1) Haec optime observat D.r Professor Aloysius Schrattenholzer in sua declaratione quam rogante D.r Witsch confecit. Cfr etiam D.r Schindler, *Moraltheologie*, Wien, 1916, II, 2, p. 503 ss. In quibusdam regionibus, promptior metempsychosis combustis corporibus speratur.

In membris istis rigidis, instrumenta videmus totius nobilissimae efficientiae humanae. Si fuit benefici hominis, nobis repraesentat beneficia quibus miseris huius mundi tanta generositate et liberalitate subvenit. Estne forte cadaver alicuius militis ? Memores nos facit fortitudinis, qua pro patria in aciem descendens, pericula vulnerum et necis contempsit, caritatis quam sic erga concives demonstravit. Quid si heroicis actibus illustratur ? Caput et cerebrum in memoriam nobis revocant tot labores, meditationes, tot salutaria consilia filiis aliisque data, tot principia fecunda ingenii, artis, scientiae. Oculi exstincti speculum nobis sunt tot affectuum amoris, misericordiae, pietatis, sanctae irae et indignationis in malum. In corde symbolum ipsorum affectuum habemus. Totum corpus comprincipium fuit animae, quae facta est ad imaginem et similitudinem Dei, et sine eo nulla humana societas possibilis esset. En opus, quod amore infinito et paterna sollicitudine ab omnipotenti Deo in sinu matris tam mirabiliter est efformatum, et quod assiduo labore, ancipiti opera, sacrificiis ingentibus, non paucis comitantibus lacrimis, gestavit mater, coluitque pater !

Amanti iam pretiosae sunt ipsae res quibus defunctus usus est, ipsum cubiculum ubi degere solebat ; quanto magis, propter intimiorem coniunctionem, ipsum corpus !

Sensus autem *pietatis* est affectus, mixtus veneratione et benevolentia, quo colimus Deum, parentes, patriam, et propter ipsos, ceteros homines et nosmetipsos. Ad virtutem igitur qua sensus iste regitur pertinet iste debitus cultus mortuorum. Hoc omnes ultro admittunt. Quare apud Romanos, iusta funebria persoluta parentibus vocabantur *sollemnia pietatis* (1) ; et verba *ex pietate*, inscribebantur monumentis se-

(1) TACITUS, *Agricola*, 7.

pulcrorum, quae, nullo testamento imperata, cura superstitum erant erecta.

Age porro, quo fert veneratio et benevolentia? Ferri ad conservanda ea quae sic coluntur, et ad abstinendum non necessario vel utili contactu seu manipulatione, quis dubitet?

Conferamus iam *humationem* cum *crematione* (1). Corpus humandum reverenter defertur ad sepulturam, quia alibi tuto asservari non potest, ibique repositum permittitur lentae dissolutioni naturae. Permittitur, inquam, ab invitis cognatis vel proximis, qui interdum, ex pietate, dissolutionem istam artificiose impedire vel retardare student. Ista naturalis actio subducitur, ut nimis crudelis, oculis viventium, qui visitando sepulcrum, ex servata vel etiam putata membrorum integritate, solacium aliquod capere possunt.

In toto isto processu nihil quod non sapiat venerationem et pietatem.

Quid autem *crematio*, quando nulla causa publica imperatur? Est inutilis et violenta destructio corporis, quam citissime per artem humanam peracta!

Quam violenta sit, nobis in vivida descriptione ostendit testis oculatus, accademicus DE LAVEDAN (2).

Sive autem contemplanda detur sive occultetur,

---

(1) De hac re optima habet R. P. PRÜMMER, O. P. in laudata disputatione ephemeridis, 539. 540.

(2) En eius verba: « Certainement, c'est la plus poignante impression d'horreur que j'aie jamais éprouvée, telle que je ne ne tenterai même pas de vouloir la rendre. Au seul souvenir de ce corps se tordant, de ces bras battant l'air, demandant grâce, de ces doigts crispés et s'enroulant comme des copeaux, de ces jambes noires, qui donnaient de grands coups de pied, ayant pris feu ainsi que des torches (un instant je crus l'entendre hurler), il me court des frissons, j'ai la sueur froide, et rétrospectivement je compatis au supplice de ce mort inconnu dont j'ai entendu la chair crier et protester ». (*Questions actuelles*, t. LXXII, pag. 290.)

Huc etiam fortasse facit sequens factum historicum: Nuperrime, die 2 martii huius anni, senex 64 annos natus, nomine *Hugo Andeska*, dum Vindobonae cremationi amici intererat, repraesentata sibi, ut putamus, flamma, quae corpus consumebat, adeo commotus est ut subitanea morte correptus sit (cf. *Corriere d'Italia*, 3 martii 1929).

superstites conscii sunt intensissimae flammae quam accenderunt, ut mox non remanerent nisi confusi cineres et minutissima fragmenta ossium illius quem saltem ut proximum amare debebant.

In isto processu quid non contrarium pietati?

Vera fides intellectum illuminat. Quare mirari non debemus, quod religio christiana, in societate cuius mores emendabat, etiam mentem acuebat ut, dissipata caligine, quae deceant et non deceant perfectius discerneret. Ita evenit ut non solum propter proprias christianorum rationes. infra indicandas, sed etiam propter communes virtutis considerationes, fideles Christi a primis novi aevi initiis, non sine magno sumptu et labore, repudiata crematione, suis defunctis elegerint humationem. Eorum igitur auctoritate dicta confirmare fas nobis est.

TERTULLIANUS, *Apologeticus,* c. 37 (P. L. I, 493) testatur a christianis maiore pretio christianis sepeliendis destinari unguenta et odores, quam pagani emebant « diis fumigandis ». Postquam autem, in libro *de anima,* reiecta superstitione eorum qui damnabant ignes funerum ut parcerent animae defunctorum, quam putabant in corpore usque ad completam huius dissolutionem manere, ipse haec notabilia subiungit « Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animae adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix quod, et ipsum homo non utique mereatur poenali exitu impendi » (c. 51 P. L., II, 737).

Generalem christianorum aversionem a corporum combustione nobis refert MINUCIUS FELIX, in dialogo *Octavius,* ubi paganum inducit obicientem « et exsecrantur rogos et damnant ignium sepulturas » (c. 11. P. L., III, 267). Ipse autem respondet c. 34: « Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodia asservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timetur, sed *veterem et meliorem consuetudinem humandi* frequentamus ».

Usus iste fidelium, impellente natura, fuit omnibus acceptus, adeo utIULIANUS *Apostata,* inter causas

diffusionis evangelii sollicitudinem de sepultura numeraverit. « Non consideramus quomodo impietas (fides catholica) maxime crescat propter philanthropiam erga hospites, et *curam circa sepulcra mortuorum,* et compositam vitae gravitatem » (ep. 84ª, olim 49ª, ed. Paris, 1922, p. 113). (1)

Saeculo XIII, philosophus belga GODEFROID DE FONTAINES de pietatis cultu corporibus debito ita disserit, reprobans divisionem corporis in partes ut in pluribus locis sepeliretur: « Idem patet *ex naturali et ordinato appetitu naturae.* Denique contra naturale desiderium etiam est et horribile videtur et inhumanum, quod circa corpus humanum, maxime recenter mortuum et integritatem et figuram suam retinens, fiat aliqua divisio violenta, nisi ex aliqua causa necessaria; sed debet relinqui actioni naturae..... etiam inhumanum videtur facere corruptionem violentam in illo corpore mortuo per divisionem partium et membrorum; immo vel debet permitti cursus naturae sive naturalis corruptionis, vel etiam convenientius videtur illud per aliqua naturalia condimenta retardare, si commode fieri posset, et aliud non obstaret, sicut antiquitus corpora mortuorum condiri consueverunt. (Huitième « quodlibet » tome IV fasc. I p. 89: texte inédit. « Les Philosophes belges » textes et études, Louvain, Instit. Supér. de philosophie, 1914.)

Non multo post BONIFATIUS VIII († 1303), Extrav. comm. *Detestandae,* 1, de sepulturis, feritatis, impietatis, immanitatis, crudelitatis damnat decoctionem cadaverum ideo factam ut separata a carnibus ossa sepelienda in terram propriam defuncti deferantur. (2).

Ex nostra aetate referre iuvat hanc responsionem Vindobonensis *Consilii tuendae valetudinis,* quam edidit anno 1892, de exstruendo furno pro corporum crematione. Post diligentem deliberationem declaravit: « Consilium eius est sententiae, cremationem cadaverum inquisitiones cadaverum impediri, et simul

---

(1) *Ἡμεῖς διόμεθα ταῦτα ἀρκεῖν, οὐδὲ ἀποβλέπομεν ὡς μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν ἡ περὶ τοῦς ξένους φιλανθρωπία καὶ ἡ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον.*

(2) Cum a saec. V ad saec. XIX apud excultas gentes de crematione corporum ne cogitaretur quidem, facile explicatur saeculare immo plus quam millenarium de isto abusu silentium monumentorum.

offendi reverentiam sensui religioso debitam et pietatem erga vita functos ».

Iusta haec pietatis aestimatio etiam nunc in multitudine persistit, quando malitiose excitatis passionibus acatholicis non obtunditur. Quot milia et milia hominum in ultimo bello perierunt! Facile dixisses causam adesse cur propter rationem boni communis corpora comburerentur. Et tamen tanta fuisset indignatio militum et parentum, ut nulla publica potestas ausa sit crematione (saltem palam) imperare, sed ubique coemeteria erecta sint pro honesta occisorum sepultura.

III. **Propriae christianorum rationes**

Hactenus egimus de communi debito pietatis erga omnes defunctos, etiam reos, nisi ipsa publica vindicta eos rogo addixerit.

Quid autem dicemus de corporibus fratrum nostrorum in Christo, quos epistolae Apostolorum *sanctos* vocare non dubitant?

Corpus christianorum sublimi ratione et modo sacrum et nostro amore et reverentia dignum efficitur. Fuit enim templum vivum Spiritus Sancti; instrumentum efficacissimum ad virtutes supernaturales exercendas et augendas; toties per sacramenta est sanctificatum; per praesentiam et contactum realem Corporis et Sanguinis Christi, Redemptoris nostri, illustratum; toties per manus Ministrorum Dei benedictum, fortasse iam unctum oleo sancto Confirmationis et Extremae Unctionis; nobilissima et divina caritate exaltatum! In eo semen resurrectionis ad vitam aeternam Christus Dominus benignissime posuit et ad eandem sperandam nobis indidit supernaturalem etiam pietatem, qua movemur ad corpora, pro viribus, in sua primitiva forma servanda. Ipse Christus voluit sepeliri, ut exem-

plo nobis esset etiam, in sua requie, corporum resurrectionem exspectantium!

Praeterea, nonne haec est, uti supra vidimus, pia traditio totius populi credentis, tum aute tum etiam post Christum? Quantum abhorrebant negationem sepulturae christiani! Adeo eis repugnabat crematio, ut ipsae legendae martyrum non semel negarent efficaciam suppliciorum quibus corpus destruebatur. Quot etiam difficultatibus, quantis periculis quantisque expensis et sacrificiis exstructae sunt immensae illae catacumbae, quae hodie adhuc mundus universus obstupescens miratur? Et haec omnia ex pietate erga fideles defunctos. Quanta veneratione, quanta cura servabantur corpora martyrum! Quot peregrinationes in catacumbas instituebantur!

Intacta enim manebant in suis loculis et sarcophagis corpora etiam martyrum, donec barbarorum profanationes, demolitiones et rapinae moverunt Pontifices ut sanctas exuvias in Urbem transferrent (1). Immo usque ad S. Gregorium Magnum, divisio corporum propter reliquias inde habendas, non tolerabatur. Christiani semper voluerunt cum Christo in sepulchro iacere et numquam tam violenti et repugnanti modo incinerari!

Cum iam exploratum sit crematione nulla positiva ratione ut quae ex publica valetudine allegabatur commendari, (2) traditio ista christiana non solis catholicis sed omnibus honestis viris veneranda est. Communi societatis humanae et civitatis bono contrarium est, ut tot civilibus discordiis nova addatur perturbatio animorum, eo fine ut magnis sumptibus, in gratiam paucorum fanaticorum, erigantur nova monumenta, quae sunt perpetua iniuria illata religioni et etiam longe plurium persuasioni de genuino mortuorum cultu.

(1) Cfr. v.g. Bullam *Inter diversa,* Pauli I in synodo Romana 761 lectam (Sub initio *Mon. German. Historica*, Concilia, II, 66).

(2) Cfr. v. g. disp. R. P. Prümmer, O. P. in cit. disputatione.

IV. **Breviter satisfit obiectis**

Post haec, expeditne argumenta fautorum cremationis breviter redarguere? Omnia, ni fallimur, hac brevi formula complecti licet. Crematio, aiunt, plane exanimi corpori indifferens, sollicitudine de publica valetudine commendatur; immo *moraliter* praestat sepulturae, cum corpus ab immunda corruptione redimat et cultum perpetuum urnae cinerariae permittat. Igitur nihil obstat cremationi, pro qua militat argumentum physicum et morale.

Primum argumentum iam reperimus productum a Minutio Felice in suo *Octavius*, ubi paganus verba profert quae dixeris ex ore moderni « crematoris » elapsa esse. Christiani « damnant ignium sepulturas quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resolvatur, nec intersit utrum ferae diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina ».

Hodie non deerit fortasse qui, attendens ad lentum processum quo varii vitae gradus recedere videntur, sensum aliquem violentae flammae non perfracte ab adhuc integro corpore abiudicare ausus sit; sed, hoc omisso, etiam nobis sufficit responsum tunc iam datum a pio auctore « Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus « (*Octavius* c. 11 et 34. P. L. 3, 267 et 347).

Quod *ad publicam valetudinem*, hodierna scientia nihil timendum existimat ex bene constitutis coemeteriis, dum fumus nimis frequentis combustionis cadaverum potius damnosus esse perhibetur. Ac praeterea fautores cremationis, si hac ratione persuaderentur,

deberent non facultatem sed obligationem cremationis praedicare. Quid enim valetudini publicae prodest, si iuxta coemeteria ardeant nonnulli furni crematorii?

Ad tertium argumentum, iste urnae cultus per se privilegium foret divitum, qui in amplis domibus cubiculum defunctis reservare possunt, dum pia visitatio coemeterii omnibus patet. Iidem autem divites non prohibentur exuvias corporum consumptorum colligere et honorare, sicut reliquias santorum servamus et honestamus. Sed dum nihil venerationi obstat collectarum ex naturaliter absumpto corpore reliquiarum, nonne cultui officeret recens memoria violentae et arbitrarie peractae destructionis? Officeret sane per se apud omnes. Quod autem id hodie minus a non nullis percipiatur, non valde mirari debemus in aetate, qua etiam sensum pudoris apud plures e falsis doctrinis adeo hebescentem deplorare debemus.

Conclusio.

Recte omnino in suo libro « *Die Geschichte der Kirchlichen Leichenfeier* » (1) scribebat Dr. Ludwig Ruland « Consuetudo sepeliendi corpora et eorum dissolutionem operationi virium naturalium relinquendi, initium habuit ex lege naturali et non ex nostro arbitrio. Unde evidenter contra naturam peccat, qui deliberate et violenter accelerare intendit organismi dissolutionem, quae nobis ut tantum malum apparet ». Hinc non est solum pietati « conveniens », quod corpora, in quantum fieri potest, sepeliantur, « sed vera et stricta obligatio pietatis naturalis erga vita functos ».

Perspectis enim argumentis rationis et auctoritatis, hanc conclusionem proferendam habemus. « *Non soli traditioni christianae, sed etiam naturali pietati*

(1) Regensburg, Manz, 1901, p. 4.

adversatur crematio corporum defunctorum, nisi extraordinaria adiuncta eandem propter publica mutilitatem faciendam suadeant. » Natura ipsa non dedit liberam optionem sepulturae vel combustionis cadaverum.

Crematio est non absolute quidem sed *per se* graviter illicita. Ecclesia, per evangelium, societatem Romanam ad sensum pietatis non minus quam ad sensum pudoris revocavit.

Hactenus *speculative* diximus.

Practice autem, christianis praedicandae sunt S. Sedis reprobationes earumqué iustissimae causae. In omnibus autem fovendus est vel — in iis qui nefaria novitatis propagatione decepti sunt — instaurandus sensus genuinae pietatis erga defunctos. Voce, scriptis et actione retundenda est audacia neopaganorum. Et cum agatur de excitanda virtute naturali, non nimis difficilis victoria speranda est. Id ipsa facta comprobant. Recolatur (cfr p. 66* cum nota) despectus quo crematio deseritur in Italia, unde tamen originem habuit, et communis per ultimum bellum aversio ab ista barbarie.

De hac re silentio praeterire non possumus nobilia studia Dr. Witsch Antonii, qui, fatis propriae patriae commotus, fortiter bellum denuntiavit fautoribus cremationis. Ipse Berolini, die 26 oct. 1928, primam consociationem adversus cremationem condidit, cui titulus « *Ausschuss zur Bekämpfung der Feuerbestattung im Katholischen Deutschland* ». Berolini, C. 25, Kaiserstrasse 36 a). Ipse etiam in scribenda praesenti disputatione fuit nobis exemplum, hortator et adiutor. Hinc ipsi simul gratulamur, grates agimus et faustissima exoptamus.

C. S.

Ex Academia Theol. moralis Pontificiae Univ. Gregorianae

Num diaconus sollemniter baptizans benedicere valeat salem et aquam?

Diaconus est extraordinarius baptismi sollemnis minister (can. 741; Rituale Rom. tit. 2 c. 1. n. 15). Qui totum Ritualis ritum servare debet, « tamen sale et aqua utetur *a sacerdote* ad hunc usum rite prius benedictis » (Rituale tit. 2 c. 2 n. 27 et c. 4 n. 51). Quibus verbis aperte dicitur salem et aquam baptismalem a diacono *non* esse benedicenda.

Quaeritur vero, num diaconus possit valide haec benedicere, si desint, nec sacerdos haberi possit? Affirmat Grosam in periodico *Linzer Quartalschrift* 1923, p. 108 s. ac 1926, p. 375; De Smet, De Sacramentis in genere etc. ed. 2 n. 197 bis; Sipos, Enchiridion iuris Canonici p. 422. Sed negandum est.

Diaconi illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur (can. 1147 § 4; Rituale tit. 8 c. 1 n. 1). Quare probandum esset diaconis expresse concessam esse facultatem salem et aquam baptismalem benedicendi. Nec sufficit asserere relata verba Ritualis non declarare invalidam eiusmodi benedictionem a diacono factam, praescribendo ei usum harum rerum a sacerdote benedictarum. Non enim egemus textu, qui expresse illam facultatem eis adimit, sed quia per se omni facultate carent, requiritur textus expresse facultatem faciens; qui in casu omnino deest. Quare *e can. 1147 § 4 benedictio* salis et aquae baptismalis a diacono facta invalida est.

Praeterea exstat declaratio S. R. C. d. d. 10 februarii 1888 (Dec. Auth. n. 3684): « Cum aliquando necessitas exigat, ut diaconis committatur sollemnis baptismi administratio, quaeritur: Potestne diaconus

salem benedicere et aquam? » S. R. C. vero respondit: « Negative. Atque ita declaravit ac rescripsit ». Ideo non solum indirecte, sed etiam directe diaconi vetantur benedicere salem et aquam baptismalem. Iamvero « omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur (can. 2). Nulla autem hac in re correctio facta est. Immo nova rubrica Ritualis post Codicem confecta aequipollentibus verbis eam dispositionem repetit, dicendo diacono utendum esse sale et aqua a sacerdote rite prius benedictis (tit. 2 c. 2 n. 27 ac c. 4 n. 51), quod est idem atque: *ipse* haec benedicere nequit.

Arguunt tamen auctores citati canonem 1153 diacono in casu favere, at immerito. Hic canon statuit: « Ministri exorcismorum, qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem, qui eorundem sacrorum rituum legitimi ministri sunt ». Totus iste canon nihil aliud statuit nisi in facultate baptizandi aut benedicendi vel consecrandi contineri facultatem *peragendi exorcismos accessorios* seu qui sunt partes eorundem rituum, qui aliunde peragi valent. Supponitur igitur facultas aliunde habita explendi benedictiones vel consecrationes, sed ea minime hoc canone conceditur. Qui igitur inde deducere vellet diaconum posse benedictiones ipsas impertire, peccaret in canonem 18, neglegendo omnino propriam verborum significationem, seu intellegendo canonem 1153 de re plane alia ac verba valent, eo vel magis, quia recensitae benedictiones, praesertim aquae baptismalis, supponuntur factae ante baptismum, non vero faciendae in eius decursu. Sic etiam Rituale (l. c.): « sale et aqua utetur a sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis ».

Consequitur ergo diaconum baptismum sol-

lemnem ministrantem non posse valide salem et aquam baptismalem benedicere. Auctores quoque generatim docent haec a diacono benedici non posse; exempli gratia afferuntur hi auctores, qui post Codicem scripserunt: AUGUSTINE, A Commentary on Canon Law, tom. 4 ed 2 p. 564; CAPPELLO, De Sacramentis I ed. 2 n. 113, 4° et 145, 3°; HAEGY, Manuel de Liturgie ed. 13 I p. 590 nota I; HÉBERT, Leçons de Liturgie I ed. 7 p. 242 nota 4; VERMEERSCH-CREUSEN, Epitome Iuris Can. II ed. 3 n. 465.

Auctores modo citati tamen non dicunt, quid faciendum sit, si diaconus sollemniter baptizaturus sale et aqua baptismali caruerit nec sacerdos praesto sit. Quare hunc casum breviter consideremus. Si sal benedictus deest, gustatio salis in casu omittenda est. Ut enim ipsum Rituale dicit, « praescripti ritus ad baptismi essentiam non pertinentes » urgente necessitate omitti possunt (tit. 2, c. 4 n. 53). Profecto necessitas proportionata esse debet. Incommodum autem iterum afferendi infantulum baptizandum ad ecclesiam in plerisque casibus sufficit, ut solus ritus salis gustandi omittatur.

Si vero aqua baptismalis deest, baptismus differendus est, si condicio infantuli id sinat. Nam in baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta (can. 737 § 2 & 757 § 1) sub gravi. Solum in mortis periculo baptismum privatim conferre licet (can. 737 § 2 & 759 § 1); si tunc non habeatur aqua baptismalis, sacerdos utatur aqua simplici (Rituale tit. 2 c. 2 n. 29). Verum multa responsa S. Sedis, praesertim pro regionibus missionum, docent baptismum sollemnem quoque ministrari posse cum aqua lustrali vel simplici in casu necessitatis; cfr *Collectanea Prop. Fid.*, ed. 2, n. 345, 537 § 5, 885, 1060, 1346 § 42, 1598 etc. Extra loca missionum vel diasporae, raro admodum aqua

baptismalis deerit, velut si corrupta fuerit vel effluxerit, cum necessitas sit baptizandi sollemniter. Stante vera necessitate, v. g. quia praevidetur infantulum vix iterum oblatum iri ad baptismum, oportet baptizare cum aqua lustrali vel simplici. Extra casum necessitatis vero exspectandum est, donec habeatur aqua ad hoc a sacerdote rite benedicta.

Similiter si s. olea desint (v. g. deficiente clavi), urgente vero aliqua necessitate baptismus conferendus videatur, sive a sacerdote sive a diacono, unctiones omittuntur supplendae postmodum; caerimoniae enim « quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quam primum in ecclesia suppleantur » (can. 759 § 3; Rituale tit. 2 c. 1 n. 28 & c. 5 n. 1), nisi incommodum grave excuset. Ritus tamen gustationis salis exigui momenti est; unde non oportet eum supplere, quando, deficiente sale rite benedicto, a diacono praetermissus est.

Franciscus Hecht, P. S. M.
(*Limburgi in Germania*)

Nonnullae quaestiones de Iubilaeo.

I. Utrum degentes Romae, qui semel visitaverint Basilicas Lateranensem, Vaticanam et Liberianam, possint, extra dioecesim Romanam, tres alias ecclesias legitime assignatas visitare ad Iubilaeum lucrandum?

Resp. Nulla est solida ratio dubitandi de hac re. Nam verba Const. « *Auspicantibus Nobis* », quae referuntur sub n. IV, respiciunt omnes fideles et universas dioeceses, absque ullo discrimine inter fideles Romae degentes et alios extra Urbem exsistentes, inter dioecesim Romanam et ceteras quascumque dioeceses. « *Visitationes,* ait Constitutio, *possint peragi partim in*

una dioecesi et partim in alia... in templis tamen pro unoquoque loco legitime assignatis ».

II. Num ex facultate concessa confessariis absolvendi etiam a censuris *ab homine* iure deduci possit eas reservatas non esse iis qui easdem inflixerunt?

Resp. Illud nequaquam deduci potest ex verbis Const. « *Auspicantibus Nobis* », quae ita sonant: « Absolvere valeant (confessarii) poenitentes rite dispositos ab omnibus casibus vel *ab homine* vel a iure, sub censura vel sine censura utcumque *reservatis*, exceptis.. ». Per haec verba non excluditur profecto reservatio, ut palam est, nec eo minus reservatio illi Superiori qui censuram forte inflixit aut sententiam tulit ad normam can. 2245, § 2.

Aliud, contra, erui potest ex Constitutione. Sane in ea legitur: « Qui aliqua censura fuerint *nominatim* affecti vel uti tales publice renuntiati, nequeunt tamdiu frui beneficio Iubilaei, quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure... ». Haec verba coniuncta cum praecedentibus ita necessario interpretanda sunt, ut, aliter ac nonnulli opinantur, dentur irretiti censura *ab homine,* qui tamen non sint ea *nominatim* affecti.

III. Utrum confessarius opera praescripta in aliquod aliud opus commutare valeat solum cum Iubilaeun prima vice acquiritur, an potius etiam *deinceps*, toties quoties nemque fideles velint indulgentiam Iubilaei lucrari.

Resp. P. Creusen (1) scribit: « Le pouvoir de commuer les oeuvres prescrites pour le jubilé n'est pas mentionné parmi les facultés extraordinaires des confesseurs. Ils pourront donc s'en servir chaque fois qu'un fidèle voudra gagner l'indulgence jubilaire. Sans quoi, des fidèles incapables de jeûner ou absolument empêchés de faire les visites ne pourraient gagner le jubilé qu'une seule fois ». Alii quoque in

(1) *Nouvelle Revue Théol.*, 1929, 420.

hanc sententiam inclinant, plerisque tamen contradicentibus.

Pauca animadvertenda:

1. Verba Const. perspicua sunt: « Iubilaeum, quod attinet ad plenariam indulgentiam sibi vel animabus purgatorii applicandam, bis aut pluries acquiri potest, *iniuncta opera bis aut pluries iterando;* sed tum tantummodo, *cum Iubilaeum prima vice acquiritur,* confessarii uti possunt, etiam pluries, facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis, *commutandi* vel *dispensandi* cum eodem poenitente, qui nondum *omnia opera iniuncta adimpleverit* ».

Quonam iure verba « *commutandi* » et « *dispensandi* » restringantur, in opposita sententia, ad *vota,* de quibus nulla fit mentio, cum exclusione operum iniunctorum, nescimus prorsus. Nonne applicandum axioma iuridicum: *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus?*

2. Confundenda non est facultas *dispensandi commutando* cum facultate *commutandi* tantum. In priore casu commutatio fieri potest in *minus* bonum (cfr. can. 1314); in altero casu, contra, commutatio potest fieri dumtaxat in bonum *aequale* aut *fere aequale.* Porro ex iure Codicis, nempe ex can. 935 confessarii pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta in alia *commutare* possunt, non vero *dispensare commutando,* pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant. Haec facultas est *ordinaria* et *generalis.*

Ex Const. « *Auspicantibus Nobis* » competit confessariis etiam facultas *peculiaris* et *extraordinaria,* scil, *dispensandi* per commutationem. Dicitur enim: « Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa « impediti quominus vel aliquod ex recensitis operi- « bus vel etiam omnia rite compleant, *confessarii* « *poterunt dispensare,* opera praescripta in aliquod aliud « opus *commutando* ».

In hoc praecise consistit *peculiaris* et *extraordinaria* facultas confessariis concessa occasione Iubilaei, quod nempe valeant non solum *commutare* opera iniuncta ad normam can. 935, verum etiam *dispensare commutando.*

3. Qua doctrina admissa, nequaqnam excluditur, ut immerito supponunt patroni opinionis contrariae, iteratam Iubilaei acquisitionem ex parte fidelium qui legitime sint impediti quominus opera iniuncta praestent. Huiusmodi fideles, legitimo detenti impedimento, qui post acquisitam semel indulgentiam Iubilaei, hanc iterum lucrari velint, optime poterunt a confessariis obtinere *commutationem* ab operibus, quae impleri nequeant, ex ordinaria facultate per canonem 935 omnibus confessariis concessa.

4. Quare, mature perpensis verbis Constitutionis, recedendum non videtur ab iis quae tradidimus, donec contrarium authentice declaratum non fuerit.

IV. Num confessarius secum dispensare valeat in in votis, ieiunio, etc ?

Resp. Quidam dubitant, quidam negant, at sine solido, ut videtur, fundamento. Sane praescriptum can 201, § 3 haec habet: « Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, *potestatem iurisdictionis voluntariam* seu non iudicialem *quis exercere potest etiam in proprium commodum* ». In casu agitur profecto de potestate *iurisdictionis*, et quidem *voluntariae.* Aliud non constat *ex iure*, quia Constitutio « *Auspicantibus Nobis* » minime excludit usum facultatum in proprium commodum ; neque aliud constat *ex rerum natura*, quod verificaretur si facultates exercendae essent *dumtaxat* in foro *sacramentali*, dum contrarium in casu expresse statuitur, nimirum illas exerceri posse in foro conscientiae « *etiam extra-sacramentali*, nisi, ut patet, agatur de peccato sacramentaliter absolvendo ». Neque difficultatem facessit vox *poenitentium*: tum

quia haec natura sua ordinem dicit ad confessarium, ideoque iure adhibita est talis vox, nec alia profecto adhibenda; tum quia nomine *poenitentis,* ubi agitur de foro extra-sacramentali, intelligi potest revera ipse sacerdos seu confessarius, diverso tamen sub respectu, sicuti vocabulum *subditorum*, pro quibus Ordinarius vel parochus dispensare potest a lege ieiunii et abstinentiae, non excludit ipsum Ordinarium et parochum, qui secum dispensare possunt.

Igitur, attento praescripto can. 201, § 3, plane confirmamus quae diximus (1) de facultate confessarii dispensandi in sui favorem.

V. Quomodo sint intelligenda verba « *intra limites iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae, qua a suis Ordinariis* (*confessarii*) *instructi sint* ».

Resp. 1. Iurisdictio potest esse restricta ad certum *locum*, ad *tempus* determinatum, ad certas *personas;* praeterea exercitium eiusdem potest esse obnoxium peculiaribus *conditionibus* servandis. Facultates, ex Const. « *Auspicantibus Nobis* », sunt exercendae a confessariis « *intra limites iurisdictionis*... qua a suis Ordinariis instructi sint ». Id procul dubio *ad valorem.*

2. Potestas *ordinaria* potest exerceri ubique locorum (cfr. can. 201, § 3, 881, § 2). Unde parochus ubique terrarum uti valet facultatibus Iubilaei erga paroecianos suos. Quoad iurisdictionem *delegatam*, attendendi sunt fines intra quos circumscribitur.

3. In dubio positivo et probabili de ambitu, duratione, etc. iurisdictionis, Ecclesia supplet, etiam ad facultates quod attinet, ad normam can. 209.

VI. Num probabilis censenda sit opinio quae tenet ieiunium pro lucrando Iubilaeo fieri posse die Veneris ?

Resp. Haec opinio probabilitate caret, cum perspicuis verbis Const. « *Auspicantibus Nobis* » adver-

(1) *Periodica*, 1929, p. 29.

setur manifeste. Sane Constitutio decernit: « Quibus diebus, praeter illos in quibus ieiunium et abstinentia ex praecepto obligant, ieiunent cum abstinentia ad normam canonum Codicis I. C. ». Igitur ieiunium non potest separari ab abstinentia, et ieiunium cum abstinentia peragendum est praeter dies in quibus ieiunium et abstinentia *ex praecepto* obligant. Porro certum est ex can. 1252, § 1 legem abstinentiae servandam esse « *singulis sextis feriis* »; ergo certum item est ieiunium cum abstinentia *fieri non posse feria sexta,* ad Iubilaei indulgentiam lucrandam.

Etiam Codex praefatum principium continet hisce verbis expressum: « *Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri,* nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur » (can. 932).

Haec interpretatio certa dicenda, attentis verbis ipsius Constitutionis, in qua non dicitur « ieiunium *cum* abstinentia » vel ieiunium *simul* et abstinentia ». At scimus interpretationem *extensivam* admitti et promulgatum iri, qua Sedes Apostolica, ad faciliorem reddendam Iubilaei acquisitionem, permittet ut ieiunium fiat quoque feria sexta. Standum igitur huic authenticae declarationi.

VII. Quoad « privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie (sacerdotes) possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare », plane confirmamus, attento textu Constitutionis, quae diximus (1); simulque laeto animo excipimus ex *Monitore ecclesiastico* (2) responsum a S. Poenitentiaria die 8 mart. 1929 datum, quo declaratur, sacerdotes litantes, in quolibet Missae sacrificio, plenariam indulgentiam lucrari et applicare pos-

(1) *Periodica*, 1929, p. 38.
(2) Fasc. III, marzo 1929, p. 65.

se, *independenter a Missae applicatione*, uni animae in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae.

Votis nostris satisfactum omnino est. « Proinde — dicebamus — *donec authentice declaratum fuerit contrarium*, opinio praedicta tuto posse retineri non videtur ». Nam, ubi agitur de natura, ambitu et applicatione indulgentiae, pars *tutior*, ex communi certaque doctorum sententia, retinenda est.

Praefata declaratio S. Poenitentiariae data est probante SS.mo, qui eam publici iuris fieri mandavit, ideoque ad normam can. 17, § 2 est interpretatio authentica, per modum legis exhibita, legitima forma in Commentario officiali promulganda, quae manifesto ostendit sensum Constitutionis, secundum nostram et aliorum sententiam, fuisse revera dubium. Hinc necessitas *authenticae declarationis*, nunc, favente Deo nobisque ipsis vehementer optantibus, datae.

FELIX M. CAPPELLO, S. I.

Quaesitum de ecclesia a Regularibus exstruenda.

Species facti. — Alexander Episcopus, nixus R. P. AUGUSTINE, O. S. B., qui, in opere suo « *A Commentary on the new Code* », vol. III, ad can. 497 § 2, affirmat, distincta pro ecclesia aedificanda Episcopi licentia opus esse Regularibus post obtentam facultatem habendi monasterium, Regulares impedire vult ne ecclesiam suam iterum aedificent, ampliorem ea quam prius eodem loco, adiacente monasterio, exstruxerant, nisi ipse prius formam et amplitudinem ecclesiae cognoverit et approbaverit. Debentne re vera Regulares licentiam episcopi exquirere; eique aedificandae ecclesiae descriptionem exhibere?

Resp. locum cl. scriptoris confusione laborare nec ullam licentiam Antistitis esse praefatis Regularibus necessariam. Etenim :

Can. 497 § 2 ubi formaliter statuitur : « Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus (1) habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui annexum », mere praeservat § 4 canonis 1162, qua non agitur ut in § 3 de licentia aedificandi novam ecclesiam, sed de certo ac determinato loco ubi ponatur ecclesia, quam aedificare est ipso iure communi concessum religioni clericali quae licentiam aedificandae domus obtinuit. Iam vero R. P. AUGUSTINE non satis § 4 a § 3 distinxit. Ceterum si nova licentia pro ipsa aedificatione foret necessaria, frustra can. 497 § 2 dixisset licentiam istam in ipsa permissione constituendae domus contineri.

Age porro, cum in casu proposito non de prorsus nova ecclesia agatur sed de ecclesia quae *eodem loco* quo erat iterum exstruitur, locus iam legitime selectus est, nec nova de isto loco deliberatio exigi potest.

Ita can. 497 § 2 commentati sumus, tum in *Epitome iur. can.* 3, I, 561, tum in *Theol. mor.* n. 106; nec ullum scriptorem novimus qui dissentiat. Cfr v. g. FANFANI, O. P. *De iure religiosorum,* n. 305 (ed. 1); T. SCHAEFER, O. M. Cap. *De Religiosis,* n. 84. 85; et, ne mere auctores religiosos allegemus, CLAEYS BOÚÚAERT, *Manuale Iur. Can.* n. 604, III 1 ed., et DE MEESTER, *Iur. can. et iur. canonico civilis Compendium,* II, 942 ed. 1923 ubi haec occurrunt : « Consensus Ordinarii tantum respicit determinationem loci ubi ecclesia est aedificanda ».

A. VERMEERSCH, S. I.

(1) Observes igitur istud non de solis regularibus, sed quoque de religionibus clericalibus, etiam non exemptis valere.

Solutio casus de delegatione pro matrimonio, propositi p. 36.*

1. Potuitne Nazarius parochus suum Vicarium cooperatorem generalem ad assistendum matrimoniis delegationem concedere et simul eum *efficaciter* prohibere ab omni subdelegatione facienda ?

Resp. Nazarius valorem futurae subdelegationis quam vicarius faceret nullatenus impedire potuit. Ob iustam tamen causam licuit ipsi se ostendere invitum. Vicarius autem rationabili voluntati parochi in exercendo ministerio obtemperare debet. Quare huiusmodi subdelegatio contra directionem parochi confecta, insimulari poterit per se cuiuspiam reatus qui tamen venialem culpam plerumque non excedet.

Quod autem, propter parochi vetitum, subdelegationes a vicario factae nutare nequeant, inde efficitur quod *a*) vi canonis 199 § 3 potestas delegata ad universitatem negotiorum potest in singulis casibus subdelegari, et quod *b*) die 28 mensis decembris 1927, *Pont. Commissio Interpretando Codici,* in IV responso suo hanc subdelegandi facultatem Vicario cooperatori formaliter agnovit. (Cfr *A. A. S.*, XX (1928), 61. 62, vel *Per.* XVII, 37.)

In potestate autem Ordinarii vel parochi non est eam actus iuridici vim restringere quae lege generali definita est. In casu igitur, delegatio quidem a Nazario sed facultas subdelegandi a legislatore universali exorta est.

2. Postquam Ordinarius loci dixerit nupturientibus « quaerite sacerdotem qui velit vestris nuptiis assistere, quem inveneritis ego delego », eritne repertus sacerdos valide delegatus ?

Attentis responsis Pont. Commissionis, negativas partes sequendas esse ducimus. Etenim fuit, v. g.

LINNEBORN (1), qui existimaret posse a parocho habilem ad assistendum matrimoniis fieri religiosum quem Superior postridie mitteret ad eius vices supplendas; sed die 20 maii 1923, Pont. Commissio negavit sacerdotem istum esse satis determinatum (cfr *A. A. S.*, XVI (1924) 115, vel *Per.* XIII, 80). Recens quidem, 28 dec. 1927 in IV responso, eadem Commissio declaravit posse a *delegante*, *delegato sacerdoti* facultatem fieri subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio pro quo erat delegatus. Sed in proposito casu determinatio fit a personis non delegatis. Et responsum 28 dec. 1927 mere certum fecit usum qui consentaneus est can. 199 § 4, uti observabamus in *Theol. mor.* III, n. 745, 3 prioris editionis (2).

Casus de piis voluntatibus implendis

I. Veterem loci morem secutus, Casimirus testamento suo agrum quempiam fabricae ecclesiae legaverat, adiecto onere curandi missam anniversariam et distributionem panum pauperibus qui missae interessent. Sed post plures annos factum est ut nullus iam loci incola, crescente prosperitate et quadam animi superbia, distributionem huiusmodi participare vellet.

Quaeritur inde utrum necne Ordinarius loci pecunias pro panibus istis expendendas alii pio fini destinare possit; fabrica autem ecclesiae obligata sit ad obtemperandum Ordinarii iussioni.

(1) *Grundriss des Eherechts*, p. 321, edit. 1922.

(2) In solutione quae in Ephem. *Perfice numus* 1929 p. 111 et 112 proponitur ad speciem satis nostrae similem, non satis attentum est ad resp. 1923 et ad diem qua LINNEBORN, i. e. ante severum responsum 20 maii 1923, scripserat. Quare, nisi parochus iam vel nomine vel qualitate noverit religiosum quem Superior ad ipsius ecclesiam missurus erat, non potest per aedituum significare ei voluntatem eum delegandi qua habilis fiat ad assistendum matrimonio.

II. Iacobus parochus ante varias Virginis et Sanctorum imagines, capsas recipiendis oblationibus fidelium in ecclesia sua disposuit. In alia autem capsa legitur : pro cultu S. Iosephi, in alia pro « Madonna »; alia demum nullam inscriptionem fert.

Cum autem ecclesia careat reditibus, collectas singulis mensibus elemosynas, in communes eius sumptus expendit, praesumens, ut ipse aiebat, consensum caelitum et fidelium.

Quid de modo agendi Iacobi sentientum est ?

III. Gregorius, in sua ecclesia paroeciali arcam posuit « pro eleemosynis missarum ». Verum, cum in dioecesi ista, taxa synodalis stipendiorum haereat infra summam quam non pauci pro stipendiis dare solent, Gregorius dubius haeret, utrum pecuniis collectis missas secundum taxam dioecesanam an secundum magis usualem aestimationem dicendas curare possit vel non.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sint neganda.

Canone 731 § 2 statuitur: « Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint ». Iam quaeritur, quo iure haec valeat prohibitio, utrum ecclesiastico tantum, an etiam divino.

Ne nimium quaestionem implicemus, vel ab initio dicendum videtur, non tam baptismum et matrimonium, quam cetera sacramenta hic esse consideranda. Etenim *baptismum* quod attinet, is iam valide susceptus supponitur, cum agatur de haereticis et schismaticis, qui valide baptizati praesumuntur. Sin autem de condicionata baptismi iteratione quaestio ponitur, sane suo modo etiam de hoc sacramento valet canon prohibens eius collationem, quatenus nec condicionata administratio licita sit, nisi fiat in ordine ad Ecclesiam catholicam, id est ad haereticum aut schismaticum reconciliandum cum vera nostra Ecclesia. *Matrimonium* vero illud prae ceteris sacramentis habet proprium, ut inter baptizatos nequeat matrimonialis contractus validus consistere, quin eo ipso sit sacra-

mentum (can. 1012 § 2). Quoniam vero supponere non liceat, haereticos aut schismaticos a contractu matrimoniali eoque etiam licito iure sive ecclesiastico sive divino excludi, consequitur, tum ipsos non illicite inter sese sacramentum matrimonii et administrare et suscipere, tum etiam catholicum non eadem ratione a nuptiis cum parte haeretica aut schismatica arceri, qua minister catholicus canone 731 § 2 prohibetur a sacramentis reliquis baptizato acatholico conferendis. Hinc etiam esse videtur, cur Ecclesia matrimonia mixta non absolute prohibeat (cfr can. 1061).

A. De haerecitis et schimaticis extra mortis periculum constitutis.

I. — Ac primo quidem ad quaestionem nostram solvendam interrogandi esse videntur fontes canoni nostro adiecti. Quibus inspectis fatendum est, admodum pauca inibi inveniri, quibus responsum in alterutram partem firmari queat. Semel tantum, id est Responso S. Offici d. 20 Iulii 1898 (GASPARRI, Fontes IV n. 1203) dato tanquam ratio, cur schismaticis absolutio sit neganda, affertur « *scandalum* ». Ad quaestionem enim « An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur » respondetur: « Cum scandalum nequeat vitari, Negative; praeterquam in mortis articulo; et tunc efficaciter remoto scandalo ». Liceat huic aliud eiusdem S. Officii Responsum addere, durante bello immani anno 1916 (d. 17. Maii) diversis Ordinariis datum, quod, quamvis inter fontes ad can. 731 § 2 non enumeretur et quamvis expressa Summi Pontificis approbatione carere videatur, nihilominus consideratione nostra valde dignum est, quoniam tum quoad partem dispositivam tum quoad rationem additam cum Responso modo allato ex anno 1898 omnino conveniat, simulque assignet rationem, quanam in re

scandalum vitandum consistere videatur. Ad interrogationem « An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio conferri possit? » respondetur: « Sub condicione affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere, eos in ultimo momento ad unitatem rediisse » (*Kölner Pastoralblatt* 50 [1916] 304 sqq.; *Theol. - prakt. Quartalschrift* [Linz] 69 [1916] 693 et 79 [1926] 693; CAPPELLO, *De sacramentis* 1926, n. 237). Hinc concludendum est, iuste scandalum inde oriri, si ex collatione sacramentorum ansa detur opinioni, acatholicis aeque ac catholicis sacramenta et dari et forte etiam deberi. Haec porro opinio est falsa et perducens ad indifferentismum religiosum idque non ideo, quia Ecclesia sua ex potestate statuit, sacramenta esse solis catholicis seu unitis cum Ecclesia catholica concedenda, sed iam antecedenter et independenter ab ecclesiastica lege. Quod vel inde patet, quod scandalum illud seu ansa indifferentismi sublata Ecclesiae prohibitione non modo non cessat — ut cessat v. g. scandalum oriundum ex sumptione Eucharistiae per non-ieiunum cessante lege mere ecclesiastica — sed potius augetur, immo, supposita Ecclesiae concessione positiva, positive promovetur. Quis enim non sine fundata ratione diceret: Si ipsa Ecclesia acatholicis aeque atque catholicis communionem in Ecclesiae sacramentis concedit, ipsa Ecclesia eiusmodi concessione docet, parum interesse, utrum unitus sis cum ipsa an ad sectam pertineas haereticam vel schismaticam. Quare certissime scandalum illud seu ansa indifferentismi non solum quia et quamdiu Ecclesia prohibet sacramenta dare acatholicis, habetur, sed etiam seposita eiusmodi prohibitione. Unde fatendum est, hic agi de lege saltem naturali, quae semper valet, ubi scandalum seu peri-

culum promovendi indifferentismum non evitatur. Proinde canon 731 § 2 non est lex mere ecclesiastica, sed — saltem, ubi scandalum non evitatur — lex naturalis.

II. — At plura scire cupimus. Exstatne forte specialis aliqua lex divina, quae vetat sacramenta dare acatholicis baptizatis? Aliis verbis: suntne sacramenta ex positiva voluntate Christi Domini ita reservata catholicis, ut acatholici vi huius voluntatis positivae ab eorum usu, quamvis non valido, immo fortasse neque fructuoso, attamen *legitimo* sint exclusi? Specialem et peculiarem sola sacramenta respicientem eiusmodi legem expressam, claris verbis Christo Domino tributam, nullibi est invenire, neque in S. Scriptura, neque in Traditione. Nam praeceptum illud Domini (Matth. 7, 6): « Nolite sancta dare canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos » etiam de indignis catholicis arcendis nec tantum de sacramentis (1), sed etiam de doctrina non prodigenda valet.

1. Sacramentorum usum legitimum ex voluntate Christi soli competere Ecclesiae catholicae *sequi* videtur ex definitione seu conceptu Ecclesiae, prouti a multis theologis exhibetur. Ita v. gr. beatus Robertus Bellarminus Ecclesiam definit (*De controv.* t. II, controv. generalis I, lib. 3; de Ecclesia; c. 2): « Coetus hominum eiusdem christianae fidei professione et *eorundem sacramentorum communione* colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis ». Quam Ecclesiae definitionem acceptat etiam Chr. Pesch S. I., *Praelectiones dogmaticae* I, ed. 7, n. 309, eamque Reg. Schultes O. P., *De Eccl. Cath.* 1926, p. 143 vocat inter recentiores theologos « communissimam ». Eorundem

(1) Effatum illud Domini revera etiam sacramenta acatholicis neganda respicere, ex infra dicendis iuste concluditur.

sacramentorum participatio vel communio vel administratio in Ecclesiae definitione ponitur praeterea a S. Petro Canisio, Billuart, de Groot O. P., quos laudando citat I. Muncunill S. I., *De Christi Ecclesia* 1914, n. 113 sq.; a Stapleton laudato ab Aem. Dorsch S. I., Instit. theol. fund., ed. 2, 1928, p. 628; ab Ant. Straub S. I., *De Eccl. Christi* 1912, n. 1488; ab A. Tanquerey, *Synopsis de vera relig.* 1910, p. 612, etc.

Quoniam vero in definitione Ecclesiae eae tantum poni possint notae, quae eidem competunt iure divino, « sacramentorum eorundem communio » censetur esse aliquid *iure divino* Ecclesiae *proprium;* quod cum nequeat esse sacramentorum usus validus, immo nec fructuosus, quippe quo gaudent etiam acatholici — saltem per accidens — communio debet intellegi *legitima*, adeo, ut ex voluntate Christi sacramentorum usus legitimus soli sit reservatus Ecclesiae catholicae.

A veritate vix aberraverit, qui in eundem sensum seu de sacramentorum usu legitimo sumat verba Bonifacii VIII in Bulla « Unam sanctam » (Denzinger n. 468) dicentis de Christo Domino: « Corpus unicam scl. Ecclesiam nominavit, propter sponsi, fidei, *sacramentorum*, et caritatis Ecclesiam *unitatem* ».

Non tam certo in idem tendere videtur doctrina ab Eugenio IV in Bulla « Cantate Domino » Iacobitis proposita (Denzinger n. 714): « Tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant »; etenim haec verba de illis sane intellegi possunt, qui personaliter ab Ecclesia sese separantes in ea non sint « permanentes » ideoque omnium fructuum salutarium ex sacramentis antea susceptis cumulum amittunt et ob fidem malam personalem ab Ecclesia separati exsistentes sacramenta « ad salutem » percipere nequeant. — Pariter omitto verba Catechismi Romani (Pars I, c. X, q. 13): « Sola Ecclesia legitimum sacrificii cultum et salutarem habet sacramentorum usum, per quae tanquam efficacia divinae gratiae instrumenta Deus veram sanctitatem efficit, ita ut, quicumque vere sancti sunt, extra hanc Ecclesiam esse non possint »; insinuare etenim videntur haec verba, illos quoque baptizatos

acatholicos, qui vere sancti sint, vera aliqua ratione esse intra Ecclesiam: non tam agitur de sacramentorum usu legitimo, quam (per accidens) salutari.

2. Sed praeter Ecclesiae definitionem, vi cuius usus sacramentorum legitimus ita proprius est Ecclesiae, ut omnis, qui de eius corpore non sit, ab eo exclusus censeri debeat, similis quaedam ratio ex ipsa sacramentorum interna ratione, ex ipsorum inquam s y m b o l i s m o, desumenda esse videtur. Nam, ut recte Ecclesiae Doctor, S. PETRUS CANISIUS (*Summa doctrinae christianae.* De sacramentis, c. VI) docet, sacramenta ideo a Christo sunt instituta « tertio, ut exstent velut *symbola* et *externae notae* christianae professionis, quibus Dei et Ecclesiae filii se *mutuo* agnoscant ». Neque aliter *Catechismus Romanus* (Pars II, c. I, q. 9): « Quarta etiam causa accedit, cur sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet *notae quaedam* et *symbola* essent, quibus *fideles internoscerentur;* quum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a D. Augustino (C. Faust. XIX, 11) traditum est, sive verae sive falsae religionis nomine, quasi in unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere coniungantur. Utrumque igitur praestant novae legis sacramenta, quae et christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se conectunt ». Hunc ergo scopum inter alios sacramenta habent, eumque sane non ab hominibus, sed ab ipsorum conditore eis praestitutum et per vim symbolizandi impraegnatum, ut verae fidei socios et Ecclesiae filios inter sese faciant internoscere. Unde illico consequitur, iure non mere humano, sed vere divino, et infideles et haereticos a sacramentorum usu, etsi non valido, immo neque per accidens fructuoso, attamen legitimo excludi. Maxime perspicue vero symbolismus iste divinus invenitur et elucet in SS. Eucharistia, « in hoc unitatis signo, in

hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo » (Conc. Trid., sess. 13, cap. 8; Denzinger n. 882). Quare iam S. Paulus dicit (1 Cor. 10, 17): « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus ». Et in eundem sensum S. IGNATIUS M., Ep. ad Philad. 4; — S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, In Ioann. hom. 46, 2; In Ep. 1 Cor. hom. 24, 2; — S. AUGUSTINUS, Serm. 227; Serm. 272; In Ioann. tract. 26, 13; — Liturgiae passim.

Quanta porro sit vis symbolismi sacramentorum ad determinandum, quibus sacramenta sint sive concedenda sive neganda iure divino, docemur a Doctore communi, S. THOMA, qui (*Summa theol.* III, q. 80, a. 4) ex ss. Eucharistiae symbolismo responsum haurit ad quaestionem, « utrum peccator [catholicus] sumens Corpus Christi sacramentaliter peccet »: « Duplex autem est res huius sacramenti...: una quidem, quae est significata et contenta, scilicet ipse Christus: alia autem est significata, et non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicunque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum et membris eius incorporatum ». Ergo etiam haereticus vel schismaticus ipsa huius sacramenti sumptione significat, se esse Christo unitum et membris eius incorporatum: quod sane reale est mendacium. Idem utique mendacium reale ab eo committitur ministro catholico, qui haeretico vel schismatico porrigit Eucharistiam. Idemque, licet non tam manifeste, de eo liquet, qui baptizato acatholico aliud praebet sacramentum: laedit ius divinum sacramenti symbolismo expressum. Et quamvis sacramentum collatum valide, immo etiam per accidens, id est spectata bona fide suscipientis, fructuose sit receptum, illegitime tamen actum est. Consone ad praecedentia idem S. Doctor de illo, qui aut fidem nunquam habuit aut (cfr II, 2, q. 10, a. 8) aliquando

habitam, ut haereticus, abiecit, dicit (*Summa theol.* III, q. 80, a. 5 ad 2): « Peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiae unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti [scl. Eucharistiae], quod est sacramentum ecclesiasticae unitatis...: unde et gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator ». Et omnino generaliter docet S. THOMAS (*Summa theol.* III, q. 68, a. 4): « In sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas; est autem signum falsum, cui res significata non respondet ». Quibus verbis subiungere licet: Atqui res significata, id est communio in vera catholica fide, signo non respondet, quando sacramentum datur haeretico aut schismatico non reconciliato. Ergo.

3. Quod si SS. Patres Ecclesiae interrogemus, utrum liceat necne sacramenta dare haereticis aut schismaticis, nullibi videmur vel vestigium invenire responsi affirmativi. Immo ab eiusmodi doctrina longissime abfuerunt. Testis est famosa illa lis de baptismo haereticorum. Tam parum ad haereticos spectare sacramenta S. CYPRIANUS eiusque asseclae censuere, ut illos ne valide quidem ea administrare posse tenerent. Quae quidem opinio falsa est. At verum quiddam in hoc ipso latet errore (1), quod est: ab usu sacramentorum legitimo haeretici et omnes, qui non sunt de Ecclesiae corpore, excluduntur idque iure divino; etenim in lite de rebaptismate non de iure quaerebatur ecclesiastico, sed divino. Cum similis quaestio de valore sacramentorum ab haereticis collatorum agitaretur inter S. Augustinum et Donatistas, AUGUSTINUS acerrime propugnabat doctrinam, sacramenta adeo non spectare ad haereticos, ut nullus extra Ecclesiam catholicam — in qua sola habeatur Spiritus

(1) Vix invenies aliquem errorem, in quo nulla lateat scintilla veritatis; plerumque error consistit in exaggeratione alicuius veritatis, ut hic.

Sanctus (s. gratia) — positus posset eadem fructuose recipere. Haec quidem doctrina temporum successu attemperata est ita, ut nunc vix invenias theologum, qui haereticum vel schismaticum bona fide errantem et sacramenta flagitantem ea cum fructu suscipere posse perneget. At certe etiam in S. Augustini doctrina aliquid veri agnoscendum est, quod videlicet sacramenta ad haereticos et schismaticos legitime non pertineant. Iuxta S. Augustinum sacramentorum consortium pignus est et signum unionis religiosae. In libro De unitate Ecclesiae (14, 35; ML 43, 418) dicit contra Donatistas: « Nulla ergo malorum (catholicorum) commixtio terret bonos, ut propterea velint tamquam retia rumpere et a congregatione unitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum caelorum in sacramentorum (qua voce Augustinus comprehendit *etiam* sacramenta nostra stricte dicta) consortio patiantur ». Itemque iuxta S. AUGUSTINUM ille est « frater » in oppositione ad haereticum vel schismaticum, qui sacramenta habet communia cum catholicis: « quia et malus [catholicus] propter sacramenta communia frater est » (*Brev. coll.* c. Donat.; Coll. tertii diei, c. 7; ML 43, 628. Cfr etiam *Ad Donatistas* post coll. 28, 48; ML 43, 682). Similiter de hac essentiali relatione inter Ecclesiam et sacramentorum communionem dicit (*De unitate Eccl.* 14, 35; ML 43, 418): « Est in Canticis Canticorum, quod de S. Ecclesia dictum omnis christianus agnoscit: " Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum „ (Cant. 2, 2). Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum? » (Cfr *C. Cresc.* III, 35. 39; IV I, I; ML 43, 517 542). Concedit quidem AUGUSTINUS, posse aliquem necessitate praeventum etiam ab haeretico non solum valide, sed et fructuose baptizari, modo interius velit Ecclesiae catholicae sociari (*De bapt. c. Donat.*

I, 25; ML 43, 110). At nullibi concedere videtur posse extra Ecclesiam catholicam sacramenta unquam fructuose recipi: veritas necessario in hoc errore latens in eo est, quod sacramenta nonnisi in Ecclesia catholica *legitime* suscipiantur et conficiantur. Et hoc sensu recte accipi potest, quod S. Augustinus de baptismo dicit (*De bapt. c. Donat.* V, 7, 8; ML 43, 181): Qui ab haeretico baptizatur, « baptismum quidem legitimum habet, sed *non legitime*. Ita enim habet, quemadmodum utitur: non autem legitime utitur, qui eo contra legem utitur », contra legem utique divinam.

4. Iam accedamus ad apostolorum tempora. Certe nullum apparet in apostolorum scriptis vel minimum vestigium collati haeretico vel schismatico ullius sacramenti. Immo ab eiusmodi consortio et communione tam longe abfuerunt, ut dicere non vererentur, ne cum « fratre » quidem fornicatore, avaro, idolis serviente, maledico, ebrioso, aut rapace esse cibum sumendum (1 Cor 5, 11): quid autem de eo, qui non est « frater »? Praeterea: « Si quis venit ad vos et hanc [genuinam Christi] doctrinam non affert..., nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis » (2 Ioann. v. 10 sq.): quid autem de eo, qui huiusmodi Ave diceret ipso opere maxime fraterno, i. e. collatione sacramenti? Iterumque (1 Ioann. 5, 16): « Est peccatum ad mortem [quod peccatum a multis intellegitur esse defectio a doctrina genuina Christi, seu haeresis]: non pro illo dico, ut roget quis [id est actu publico, cuiusmodi necessario est collatio sacramenti utpote actus nomine Christi et Ecclesiae positus] ». Non ergo videtur diffitendum, apostolos prohibuisse, saltem implicite, quominus sacramenta praeberentur haereticis vel schismaticis. At quo iure? Apostolico-humano, ut v. gr. praeceptum est datum mulieribus in ecclesia velandi capita (1 Cor 11, 5 sqq.)? Annon iure potius apostolico-divino? Revera apostolos eius-

modi prohibitionem ut legem divinam proposuisse inde necessario *concludendum* videtur, quod secus explicari nequeat, cur SS. Patres tam strenue renuerint sacramenta dare haereticis, quod immo aliqui eo usque processerint, praxim ab apostolis eorumque doctrinam perperam exponentes, ut tenerent, haereticos ne valide quidem sacramenta posse conficere, et, quod sat multi, inter quos praesertim S. Augustinus, passim affirmarent, haereticos, utpote extra corpus Christi mysticum a Spiritu Sancto vivificatum versantes neque a catholico ministro posse sacramenta suscipere fructuose: quorum errorum nucleus veritatis in eo solo est, quod sacramenta ab haereticis illegitime usurpantur eisque conferantur illegitime, contra ius divinum.

Quae cum ita esse videantur, non immerito dixeris, canone 731 § 2 proponi legem non mere ecclesiasticam, nec legem solummodo divino-naturalem (vitandi scandala), sed legem positivam divinam, quae sit ab apostolis tradita tum verbis tum praxi, et implicite contentam ipso sacramentorum symbolismo, quo indigitatur, sacramenta esse signa unitatis in fide et in corpore Ecclesiae et proinde applicabilia *legitime* (1) nonnisi iis, qui revera sunt in corpore Ecclesiae et fidem etiam externe profitentur unicae et verae Ecclesiae catholicae. Quae lex divina, quomodo urgeat etiam quoad illos

(1) Omnino aliter res se habet, si non de sacramentorum, sed de sacrificii Missae applicatione quaestio agitur. « Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis » (can. 809), nec prohibentur sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo applicare pro excommunicatis (can. 2262 § 2). Ratio est haec, quod iure divino Missa applicari possit, remoto scandalo, pro acatholicis: quod vel inde patet, cum iam antiquissimis temporibus (cfr. S. Iustinus M. Apol. I, c. 65; S. Cyrillus Hieros., Cat. myst. 5, 6 sqq.) in Missis preces publicae fusae sint pro acatholicis, idque sane ea mente, ut Missa qua sacrificium impetratorium prodesset iis, pro quibus in ea oratio publica fundebatur. Revera saltem impetratorius Missae fructus applicabilis est et valide et per se — ut sequitur ex antiquissima Ecclesiae praxi — etiam licite seu legitime omnibus hominibus et « pro totius mundi salute » (oratio ad oblationem calicis). Conclusio ad similem sacramentorum applicabilitatem esset certe illegitima.

haereticos et schismaticos, qui, in mortis periculo constituti, bona sunt fide et sacramenta petunt, discendum est ab Ecclesia ipsa, quae pro his adiunctis legem divinam legitime valet interpretari.

B. De haereticis et schismaticis in mortis periculo constitutis.

Eiusmodi interpretatio iuris divini contineri videtur quattuor S. Officii decisionibus, quae decursu temporum emanavere, et quae hic referre iuvabit.

1. Die 25. Julii 1630 (*Collectanea* S. C. de Prop. Fide I [1907] n. 57; Gasparri, *Fontes* IV, n. 721) huius tenoris data est decisio: « Miss. Tuneti. — Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas [ad sectam Mahumeti] poenitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secreto arcessitur, ut secreto absolvat. Ratio difficultatis est, quia in illo articulo solent ab infideli familia vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsae religionis, nec possunt abnuere sine periculo mortis. — R. SS.mus censuit confessarium debere absolvere apostatam poenitentem in articulo mortis constitutum, abiurata prius apostasia in foro conscientiae; et si per aliquod temporis spatium supervixerit, et si poterit, abiuret in balneo coram fidelibus; et si non poterit, relinquat chirographum suae abiurationis, saltem signo crucis subscriptum; quod si neque hoc possit, committat confessario, ut suam abiurationem fidelibus manifestet. Non tamen teneri apostatam poenitentem tunc in periculo vitae constitutum, etiam suadentibus turcis, cum periculo vitae, fidem catholicam, quam tunc abiurata infidelitate amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere vel non respondendo vel aequivocis verbis utendo ». Hoc Urbani VIII responso ergo enuntiatur moribundum apostatam — idemque ex

mente Summi Pontificis etiam de haeretico et schismatico valere recte dixeris — sacramentum Poenitentiae petentem tunc tantum absolvi posse, si formaliter haeresim abiuravit, — saltem tunc, quando usu rationis et sensuum non est destitutus; id est eiusmodi *moribundus essentialiter eodem modo tractandus est ac sanus*. Liquido apparet, hic urgeri ad amussim ius divinum supra demonstratum, quo videl. legitimus sacramentorum usus nonnisi catholicis conceditur.

2. De haereticis et schismaticis moribundis bona fide errantibus agitur Responso S. C. S. Officii de die 13. Ianuarii 1864 (*Collectanea* S. C. de Prop. Fide I, n. 1246; GASPARRI, *Fontes* IV, n. 975): « Hierosolymae. — An sit probandus usus inductus in aliqua hospitali domo absolvendi sacramentaliter sub condicione moribundos haereticos et schismaticos, idque iuxta naturam condicionatae absolutionis et ob praesumptam bonam fidem multorum, qui in haeresi vel schismate educati fuere, nulloque praevio actu, quo possint, saltem implicite, reconciliati catholicae Ecclesiae iudicari: silentio super hoc servato vel ob impossibilitatem, vel ne turbetur moribundi conscientia. — R. Usum, de quo quaeritur, prout exponitur, esse improbandum; et ad mentem: La mente è di accennare a Mons. Patriarca di Gerusalemme che, qualora il moribundo eretico o scismatico avesse dato un qualche segno su cui fondare un ragionevole dubbio che quegli aderisca alla santa Chiesa cattolica, in tal caso i preti di quella delegatione dovranno seguire le norme dettate da accreditati autori ».

Ut in priori, ita in hac quoque decisione S. Officium negat posse haereticis et schismaticis, quamvis in bona versentur fide, dari absolutionem sive absolute sive conditionate, nisi ipsi moribundi aliquod signum dederint, quo probabiliter iudicari possint, velle sese in unitate Ecclesiae catholicae mori: quod sane

idem est, ac denuo *enuntiare normam lege divina statutam et superius expositam*. Et notatu dignum esse videtur, mentem S. Officii esse, tunc tantum posse in praxim deduci auctorum sententiam benigniorem, si moribundus aliqua probabili ratione manifestaverit desiderium suum reconciliationis cum Ecclesia catholica. Norma a Suprema Congregatione hic statuta forte eos tantummodo respicit casus, in quibus moribundi haeretici vel schismatici usu fruuntur rationis et sensuum, quamvis in quaestione ipsa verbis « silentio super hoc [id est de reconciliatione cum Ecclesia catholica et absolutione impertienda vel data] servato.... ob impossibilitatem » indicari videatur, agi etiam de sensibus destituto. Si vero dixeris, responsum e mente S. Officii de iis quoque valere haereticis et schismaticis, qui, utpote sensibus destituti, desiderium catholice moriendi (antea nunquam manifestatum) nunc ostendere nequeant, fateberis, S. C. S. Officii postea nonnihil in partem mitiorem declinasse.

3. Fortasse id obtinet in responso, quod tempore proxime sequitur, id est in decisione diei 20. Iulii 1898 (*Collectanea* S. C. de Prop. Fide II, n. 2012; GASPARRI, *Fontes* IV, n. 1203). Operae pretium excedere non videtur, si referatur ad verbum sat longa expositio cum interrogationibus et responsis:

« Bonifatius, in partibus schismaticorum orientalium arduam missionarii apostolici vitam agens, quadam die in tribunali poenitentiae sedens inter alias Agatham invenit, quae generalem anteactae vitae confessionem apud ipsum instituendam humiliter et enixe petit. Agathae petitioni Bonifatius annuens, eam maxima patientia et caritate audit et adiuvat. Sed ecce, dum bona mulier ordine et praecisione admirabili, nec non fervida fide, humilitate ac lacrymarum copia sordes confitetur, hoc deinde subiungit: se nunquam suis sacerdotibus, utpote pravis moribus imbutis ac sacramentalis sigilli minime curantibus, conscientiam suam ita fideliter aperuisse, ac denique confessarium exorat, ut ei det veniam se apud ipsum Confessionem semper in posterum peracturam, ut Eucharistiae

Sacramentum in sua propria ecclesia recipere digne valeat. Quibus auditis, confessarius comperit illam non esse de gremio, saltem de corpore, Ecclesiae catholicae, et anxius non parum factus, secum quaerit, quomodo cum spirituali poenitentis bono haud facile iudicium componat. Ac primo quidem de praecipuis fidei articulis illam interrogat, quam satis instructam reperit; dehinc prudenter sciscitatur ab ea, quid de schismate sentiat, quidque de necessaria fide ac subiectione in Ecclesiam catholicam atque in eius visibile Caput. Quibus illa: *Christiana sum*, respondit, *schisma nescio quid sit*; *ego unam ubique terrarum veram Christi Religionem agnosco, in qua vivere et mori cupio*: *mea certe non refert de quaestionibus iudicare, quae sicut a sacerdotibus exortae sunt, ita et ab ipsismet christiana inter se caritate concilientur. Quare*, [pro-]sequitur devota mulier, *cum crastina die sit apud nos, ob peculiare festum, magnus in communione altaris populi concursus, obsecro te, peter sancte, ut sicut meam plenam confessionem iam audivisti, ita nunc et absolvas me pauperculam a peccatis, de quibus maxime doleo, ut et ego exsultanti animo ad sacram Synaxim accedere possim.* — Mulieris constantiam admiratus, cum ex sua parte de illius bona fide certus sit, ex altera serio timens, ne amplior disquisitio obfutura ei magis, quam profutura esset, autumans se bonum facere, Bonifatius Agatham, ceteroquin confessam et contritam absolvit. Nec eamdem impedit, quominus S. Eucharistiam per ministrum schismaticum accipiat, silentio concedens, quod per se concedere non posset, eo vel magis, quod ipse optime noscat *sacramenta, ritus et preces* apud schismaticos, nihil in se continere, quod catholicum non sit ». Hinc quaeritur:

« I. An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur.

« 2. An eisdem concedi possint *saltem tacite*, ut in propriis ecclesiis aliquando sacramenta recipiant, atque sacris functionibus assistant.

« 3. An Bonifatius bene revera egit, et quid ei consulendum.

R. Ad I. Cum scandalum nequeat vitari, Negative: praeterquam in mortis articulo; et tunc efficaciter remoto scandalo.

« Ad 2. Negative.

« Ad 3. Negative: et consulendum confessario, ut,

praehabita licentia a poenitente, ipsam opportune et caute moneat. SS.mus adprobavit ».

Tenore verborum Responsi ad I (iam supra relati), in quo solo de moribundo schismatico agitur, indiscriminatim concedi *videtur*, ut moribundis schismaticis bonae fidei omnibus, tum iis, qui rationis vel sensuum usu potiuntur, tum ceteris absolutio impertiatur, modo tunc efficaciter removeatur scandalum, id est periculum promovendi indifferentismum. Nullum Responso exigi *videtur* signum, quo vel probabiliter iudicari possit, moribundum schismaticum velle uniri cum Ecclesia catholica. Nihilominus haec Responsi interpretatio minime certa est. Cum enim in *quaestione* agatur de schismaticis *sanis* in optima fide versantibus, atque de his interrogetur, an « aliquando » possint absolvi, etiam Responsum ex professo nonnisi de sanis schismaticis agere debuit; et si cautelae gratia in eodem Responso etiam de moribundis agitur, id *summarie* tantummodo et generaliter, sine ulteriore distinctione de variis moribundorum classibus, fieri potuit, et *sine indicatione modi, quo scandalum efficaciter removeri possit*. Quae cum ita sint, praepropere concluderetur, hoc Responsum essentialiter alio modo esse interpretandum ac Responsum diei 25. Iulii 1630, quo videlicet enuntiatur, eum tantummodo haereticum vel schismaticum moribundum bona fide errantem esse absolvendum, qui aliqua ratione probabili manifestaverit (saltem, si rationis et sensuum usu fruatur) desiderium suum in unitate cum Ecclesia catholica moriendi. Uti ergo patet, res clara non est.

4. At, quae in hucusque allatis et discussis tribus Responsis claritas et distinctio deest, haec aperte exhibetur illo Responso, cuius aliquam partem iam supra retulimus. Die 17. Maii 1916 ad varios locorum Ordinarios huius tenoris dedit S. Officium documentum:

« 1) An schismaticis materialibus in mortis articulo

constitutis, bona fide sive absolutionem sive extremam unctionem petentibus, ea sacramenta conferri possint sine abiuratione errorum ?

« Resp.: Negative, sed requiri, ut meliori quo fieri possit modo, errores reiciant et professionem fidei faciant.

« 2) An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio conferri possit ?

« Resp.: Sub condicione affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere, eos in ultimo momento ad unitatem rediisse ».

« 3) Quoad sepulturam ecclesiasticam, standum Rituali Romano.

« 4) Quoad baptismum infantium a parentibus schismaticis oblatorum : non esse baptizandos, extra mortis periculum, nisi probabilis affulgeat spes catholicae educationis ». (*Theologisch-praktische Quartalschrift,* Linz, 69 [1916] 693 ; *Kölner Pastoralblatt* 50 [1916] 304 sqq.).

Ut vel prima fronte apparet, hoc Responsum, *saltem quoad tenorem verborum*, medium tenet inter Decisiones priores. Anno 1630 ab omni apostata ante obsolutionem, etiam in periculo mortis, postulabatur expressa aliqua abiuratio errorum; et etiam Decisione anni 1864 praxis absolvendi moribundos haereticos et schismaticos improbatur, excepto casu, quo moribundus manifestaverit aliquo probabili signo, sese adhaerere Ecclesiae catholicae. Rigori horum verborum e contrario opposita videbatur esse Decisio anni 1898, qua edicebatur omnem moribundum, schismaticum materialem, illum quoque qui ratione et sensibus uteretur, posse absolvi, « efficaciter remoto scandalo ». Hoc autem Responso ex anno 1916 effertur, nonnisi sensibus destitutum absolvi et extrema unctione mu-

niri posse, idque « sub condicione » tantum, « petentem » vero seu usu rationis et sensuum praeditum ea sacramenta recipere non posse sine praevia aliqua (« meliori quo fieri, possit modo ») reiectione errorum et fidei professione. Servatur ergo hoc Responso rigor Decisionum ex annis 1630 et 1864 quoad illos, qui signa edere possint intellectus et voluntatis, et tenetur praxis mitior Decisionis ex anno 1898 quoad eos, qui, utpote rationis et sensuum usu carentes, eiusmodi signa dare nequeant. At vero, ut iam supra insinuatum est, vera contradictio inter singula Responsa non est necessario affirmanda : etenim nostro Responso (anni 1916) id expresse enuntiatur, quod in prioribus nec negatum, nec expresse affirmatum fuit. Ita saltem dicendum videtur.

Hic quaerendum est, cur — iuxta Responsum ad 2) — schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio nonnisi « *sub condicione* » conferri possint. Ratio dubitandi est haec, quod ex altera parte schismatici eo ipso, quod bona sunt fide et fidem habent in haec duo sacramenta, in mortis articulo eadem recipere velle non dubitantur, et quod consequenter hac voluntate seu intentione habita sint horum sacramentorum capaces, et quod altera ex parte iuxta communem theologorum doctrinam capacitate subiecti supposita saltem extrema unctio non conditionate, sed absolute sit conferenda ob vere fundatam spem reviviscentiae huius sacramenti, si nempe moribundus, quamquam forte in ipsa sacramenti susceptione indispositus, post extremam unctionem valide susceptam, obicem, adiuvante gratia divina et cooperante homine, sit remoturus et consequenter etiam fructum praecipuum, id est gratiam sanctificantem, consecuturus.

Quoniam vix admittendum est, S. Officium hanc theologorum doctrinam in sua Decisione neglexisse,

asserendum esse videtur, agi in Responso ad 2) de moribundo schismatico tali, de cuius dubitetur capacitate: quod tunc obtinet, si non constat, eundem velle sacramentum extremae unctionis recipere de manu sacerdotis *catholici,* id est, si agitur de schismatico, qui ante amissionem usus sensuum voluntatem suam recipiendi unctionem de manu sacerdotis catholici nulla ratione manifestaverit.

Quodsi res ita se habet, ilico sequitur, disiunctionem eorum moribundorum schismaticorum, de quibus in Decisione anni 1916 agitur, non esse completam. Datur enim praeter schismaticos, qui ratione et sensibus utuntur et in eiusmodi statu sacramenta a catholico « petunt » ministro, — de quibus tractatur in Responso ad 1), — et praeter eos, qui antequam rationis vel saltem sensuum usum amitterent, sacramenta a catholico sacerdote nulla ratione petierunt — de quibus tractatur in Responso ad 2), — tertia classis, eorum scilicet, qui antequam sensibus destituerentur, sacramenta a catholico ministro petierant et nunc demum, sensibus destituti, iisdem sacramentis muniri possent. Quid de his? De horum capacitate dubitari, saltem quoad extremam unctionem, nulla ratione potest, adeoque, si ad mentem S. Officii rationabiliter praesumptam respondendum est, non condicionate, sed absolute extrema unctio eis conferenda est. Idemque valet de absolutione iisdem schismaticis impertienda: nam confessio, quae iuxta dogma a Concilio Tridentino (sess. 14, can. 9 de sacramento poenitentiae; Denzinger n. 919) definitum ad hoc requiritur, ut sacerdos absolvere possit, continetur eaque formaliter integra (quamvis generica tantum) in ipsa manifestatione voluntatis accipiendi a sacerdote catholico absolutionem, eodemque actu externo continetur etiam manifestatio doloris ad validam absolutionem impertiendam indispensabilis.

Quare si agitur de moribundis schismaticis bona fide errantibus, disiunctio hac ratione facienda est: eiusmodi moribundus aut ratione et sensibus fruens a ministro catholico praesenti petit absolutionem et extremam unctionem aut non: *si petit a sacerdote catholico praesente,* valet Responsum S. Officii ad 1), id est, ea sacramenta recipere non potest, sed requiritur, ut meliori quo fieri possit modo errores reiciat et fidei professionem faciat.

Si moribundus schismaticus a sacerdote catholico *praesente* ea sacramenta *ideo non petit, quia sensibus destitutus est,* iterum distinguendum est: aut *numquam petiit,* id est ne absente quidem sacerdote catholico, — et tunc valet Responsum S. Officii ad 2): videlicet « sub condicione » (si capax es) semper ea sacramenta recipere potest, etiamsi si nulla ex adiunctis colligi possit ratio, quod saltem implicite errores suos reiciat, « praesertim » vero, si ex adiunctis conicere liceat, eum saltem implicite errores suos reicere, si v. g. aliqua ratione probabili mentem hanc manifestavit, qua ea tantummodo eaque omnia credat, quae Christus revelaverit. — Si vero *ante adventum sacerdotis catholici indubie ostendit voluntatem moriendi in Ecclesia catholica,* tunc sane ea sacramenta absolute ei possunt dari. Idemque de eo quoque dicendum esse videtur qui, praesente sacerdote catholico adduci ob bonam suam fidem non potuit, « ut meliori quo fieri possit modo errores suos reiceret et professionem fidei faceret »: eiusmodi moribundus — nisi tamen *expresse* renuerit sacramenta recipere a ministro catholico — postea, rationis vel sensuum usu amisso, a sacerdote catholico absolutionem et extremam unctionem *sub condicione* recipere poterit, dummodo servetur id, quod semper procurandum est: « Remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus (qui secus inde ansam

sumerent indifferentismi), Ecclesiam supponere, eum in ultimo ad unitatem rediisse ».

Et haec quidem ad mentem S. Officii dicenda videntur de schismaticis moribundis. Quid autem de moribundis haereticis? Etenim de his Responso ex anno 1916 (explicite saltem) non agitur, et difficultas magna exsurgit quoad eos haereticos, qui *fidem in sacramenta poenitentiae et extremae unctionis non habent,* et proinde intentione eadem suscipiendi et consequenter capacitate carere videntur. Sane ille haereticus materialis, qui in mortis articulo constitutus « meliori quo fieri possit modo errores reiciat et professionem fidei catholicae emittat », brevi instructione ad debitam intentionem sacramenta catholica recipiendi et ad dispositionem necessariam adduci potest: quod si obtinet, certe sacramenta recipere poterit. Maxima vero difficultas exoritur, si haereticus materialis nullo probabili signo ostendit, velle se mori more catholico, et deinde sensibus destitutus moribundus iacet. Si eiusmodi haereticus ad sectam, quae *fidem in poenitentiae et extremae unctionis sacramenta profitetur,* pertineret, applicari quidem posset Responsum S. Officii ad 2): posset, remoto efficaciter scandalo, sacramentis « sub condicione » muniri, maxime (« praesertim »), si ex adiunctis conicere liceret, eum implicite saltem errores suos reicere. Ita ergo agendum cum moribundis, qui bona fide adhaerent ecclesiae monophysiticae, nestorianae, sectae iansenisticae et antiquocatholicae. At vero omnino aliter res se habet quoad plurimos *protestantes,* qui videlicet cum Luthero, Calvino, Zwinglio nonnisi duo sacramenta admittunt: baptismum et cenam. Habentne isti voluntatem ea recipiendi sacramenta, quae ex fide sua tanquam abominabilia respuunt? Iuxta doctrinam theologorum ex parte ipsorum catholicorum ad validam sacramentorum susceptionem requiritur saltem ea intentio interpretativa

stricte dicta, quae coincidit cum *intentione habituali implicita*. Itaque catholicus valide suscipere potest extremam unctionem et viaticum, si altera ex parte nullum sacramentum vel negavit vel simpliciter respuit, et si altera ex parte intentionem habuit v. g. more catholicorum seu in religione catholica moriendi: quae intentio quoad obiectum *formaliter* identificatur cum susceptione poenitentiae, unctionis et viatici, nam « catholice mori » ex conceptu suo est « mori munitum poenitentia, unctione et viatico ». Protestans vero, qui suam religionem unice veram esse autumat, mori vult more protestantico, id est *sine* extrema unctione et etiam *sine* absolutione. Et quo magis in sua religione est bona fide, eo minus habet voluntatem in extremis suscipiendi sacramenta « catholica ».

Nec valet obiectio, qua dicatur, eum praecise ideo, quod optima sit fide, velle mori « modo a Christo Domino ordinato » ideoque munitum sacramentis illis catholicis. Nam huiusmodi intentio reducenda est ad hanc cogitationem: *si sciret* eiusmodi haereticus Christum pro moribundis instituisse illa sacramenta, certo certius eadem suscipere *vellet*. Attamen ad validam sacramentorum susceptionem non tam quaeritur, quid quis *vellet*, sed potius, quid *velit*, seu non sufficit voluntas hypothetica *irrealis*, sed requiritur voluntas aliquo modo *realis*. Intentio enim illa, quae vocari potest et solet interpretativa late dicta et adaequate exprimitur verbis « si sciret, vellet », certissime non sufficit. Etenim illud « si sciret » est adeo indeterminatum, vagum et amplum, ut, si fundare valeret veram intentionem, absurdissima secum ferret. Sequeretur v. g. ludaeum « bonae fidei », qui vaferrimum se usque ad mortis articulum exhibuit omnis religionis christianae osorem et adversarium, habere intentionem sufficientem ad valide suscipienda sacramenta baptismi, unctionis, immo et confirmationis et Eucharistiae; in eo enim *perfecte* verificatur vagum illud « si sciret, vellet », id est, *si* revera *sciret* (vel crederet), Christum esse Deum eumque religionem unice veram catholicam fundasse in eaque pro fidelium usu salutifero instituisse sacramenta ita, ut qui ea omnia respuat, gehennae terribilissimae sit obnoxius, — *si*, inquam, haec probe *sciret*, certe vellet sacramenta recipere. Quis vero

ausus fuerit asseverare, huiusmodi intentionem sufficere ad validam sacramentorum susceptionem? Quare omnino tenendum est, illud « si sciret » ita esse restringendum, ut intellegatur: « Si *pro scientia* (vel fide), *quam* aliquando actu habuit et *nunc habitualiter retinet*, adverteret ad praesentes circumstantias ipsi de facto ignotas, vellet ». Propterea etiam tenendum est, protestantem « bonae fidei » *iuxta scientiam vel fidem, quam in mortis periculo actu vel habitu habet,* non habere intentionem illam habitualem implicitam, quam habet catholicus, qui aliquando habuit actu et habitu retinuit voluntatem « catholice moriendi ». Quare, cum protestantes ob defectum intentionis sint sacramentorum « catholicorum » incapaces, haec sacramenta etiam in mortis articulo eis non possunt impertiri, nisi antea aliquod signum saltem probabile dederint, velle se catholicorum more mori. — Nec recurrere licet ad possibilitatem, quod fortasse interius, movente gratia divina, voluntatem suam haereticam mutaverint et desiderium habeant sacramenta catholica suscipiendi; nam si agitur de capacitate, *non secundum meram possibilitatem,* sed *secundum veram probabilitatem* procedendum est. Recursus ad gratiae divinae miraculum ad licite agendum vanus est; secus enim omni omnino homini, illi quoque, qui usque ad amissionem usus sensuum sacerdotem et sacramenta odio diabolico respuisset, post defectionem sensuum sacramenta omnia possent (saltem sub condicione) conferri, — et plene vanus esset v. g. canon 942: « Hoc sacramentum [extremae unctionis, — consequenter etiam absolutio] non est conferendum illis, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant » [adeoque requisita carent intentione]: nam quis est qui neget, etiam eiusmodi hominem per miraculum gratiae *posse* interius suam mentem mutare et converti et proinde capacem fieri ad sacramentorum susceptionem? Ergo ministro non licet procedere iuxta meram possibilitatem, sed tantummodo iuxta veram probabilitatem.

Attamen vera et sufficiens intentio adest in illo protestante moribundo, qui ostendat velle se iuvari eo modo, quo sacerdos catholicus iuvare valeat moribundos: tunc enim virtualiter implicite petit sacramenta catholica et capax censeri potest extremae unctionis et — si praeterea sacerdoti faciat peccatorum accusationem *formaliter* integram (quamvis forte genericam tantum) atque ostendat attritionem — etiam absolutionis.

S. Officium in allatis Decisionibus circa sacramenta moribundis haereticis vel schismaticis in bona

fide versantibus administranda tantummodo egit de sacramentis maxime necessariis, praeter baptismum. Si ad mentem S. Officii rationabiliter interpretatam aliquid de *baptismo* addere licet, dicendum videtur: 1) in multis regionibus de certo valore baptismi in haeresi collati tam parum constat, ut in casu necessitatis, quando nempe accuratior inquisitio fieri nequit, baptismus ut dubie validus tractandus, adeoque sub condicione iterandus sit; 2) haec condicionata repetitio, remoto semper scandalo, tunc licita est, quando iuxta S. Officium licita est collatio sive absolutionis sive extremae unctionis: nam irrita erit absolutio et unctio, si absolvendus vel ungendus non fuerit baptizatus.

Pariter S. Officium nihil edixit de SS.ma *Eucharistia*. Menti S. Officii conformis ille unus erit, ni fallor, qui tenuerit, hoc excellentissimum unitatis in fide symbolum nunquam posse administrari illi, qui non formaliter antea reconciliatus fuerit Ecclesiae, seu nisi antea modo aperto et minime dubio ostenderit voluntatem suam moriendi in Ecclesia catholica et fidem in SS.mam Eucharistiam professus fuerit et consequenter absolutionem ab haeresi receperit. Idemque dixeris de sacramento *confirmationis*, si in aliquo casu eius collatio sit physice possibilis. Sacramentum *ordinis* hic considerandum non est; *matrimonium* vero, ut iam ab initio dictum est, exceptionem patitur in favorem compartis catholicae et tractandum est iuxta canones sacros.

Et haec quidem dicenda esse videntur ad mentem S. Officii in quaestione de sacramentis haeretico vel schismatico conferendis et negandis.

Ut vero ad caput nostrum redeamus, nunc demum dispiciendum est, *quomodo* Decisionibus allatis et tractatis Ecclesia interpretetur ius divinum

seu specialem legem divinam superius expositam et, quantum videre licet, demonstratam.

Et primo quidem, si agitur de schismaticis et haereticis *malae fidei,* adeo patet iis sacramenta conferri non posse, ut de iis S. Officium nihil dicat. Haereticis deinde et schismaticis *bonae fidei* in mortis periculo constitutis et usu sensuum rationisque *fruentibus* pariter Ecclesia negat posse sacramenta dari, nisi « meliori quo fieri possit modo errores reiciant et professionem fidei faciant » : quibus verbis (materialiter) nihil aliud edicitur, quam quod lex habet specialis divina, quod sacramenta haereticis et schismaticis legitime administrari nequeant. Sicubi vero meliori quo fieri possit modo errores reiciant et fidei professionem faciant, secundum legem et divinam et ecclesiasticam non amplius sunt tractandi ut haeretici vel schismatici, sed ut catholici, quibus sacramenta legitime impertiri possunt.

Quod vero iuxta S. Officium schismaticis (iisque haereticis, qui fidem in sacramenta conferenda habent), quando sensibus sunt destituti, sacramenta, saltem sub condicione, dari possint, quin antea ullo signo ostenderint fidem in Ecclesiam catholicam, id ex lege divina speciali (prohibente sacramenta dare haereticis et schismaticis) a privato, ni fallor, deduci nequit; sed hoc in casu supponenda videtur authentica iuris divini interpretatio, duce Spiritu Sancto, ab Ecclesia facta. Quare tenendum est, ipsam quoque legem divinam, qua collatio sacramentorum haereticis vel schismaticis facta edicitur esse illegitima seu prohibita, ita intellegenda est, ut haec prohibitio non urgeat in casu, in quo agitur de haeretico vel schismatico moribundo, sensibus destituto, sacramentorum saltem probabiliter capaci.

Dictum est supra, Decisionem Ecclesiae, qua sacramentorum collatio haereticis etsi bona fide erran-

tibus et sacramenta petentibus, quamdiu rationis et sensuum sint compotes, prohibeatur etiam in mortis periculo, « materialiter » concordare cum speciali lege divina. Verba enim S. Officii ad eiusmodi legem divinam (saltem explicite) non provocant, sed unice niti videntur lege naturali prohibente scandalum. At forte fas est loqui etiam de « *formali* » concordantia inter legem ecclesiasticam et divinam; etenim « scandalum », quod semper esse vitandum inculcat Ecclesia, *praecipue* tunc adesse potest, si fideles vel alii ex administratione sacramentorum haereticis vel schismaticis facta concludere posse videntur, ipsam legem divinam non obstare, quominus haereticis vel schismaticis aeque ut catholicis sacramenta conferantur, adeoque parum interesse, spectata *Dei* voluntate, utrum catholicus an acatholicus quisque sit. Quam formalem concordantiam ecclesiasticae cum divina lege continere videntur illa verba in Responso anni 1916 ad 2: « remoto tamen efficaciter scandalo », manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere, [sensibus destitutos schismaticos] in ultimo momento ad unitatem rediisse »: nam, nisi ex mente S. Officii obstaret lex divina, scandalum sufficienter removeri posset dicendo, *Ecclesiam* in hisce adiunctis sacramentorum *suam* non sustinere prohibitionem, sed concedere collationem condicionatam. Qui scandali removendi modus cum adhibendus a S. Officio non indicetur, sed alius prorsus, quo nempe tamquam necessarium suppositum ad licitam sacramentorum collationem absolute efferatur reditus ad unitatem cum Ecclesia, subindicatur, hanc cum Ecclesia unionem ipso iure divino esse requisitam, adeo ut implicite dicatur exsistere lex divina specialis prohibens illis dare sacramenta, qui cum Ecclesia uniti non sint.

Ioh. B. Umberg, S. I.
Prof. Univers. Oenipontanae

Practica disquisitio de sacramentis conferendis vel negandis acatholico.

Nuper, in ephemeride *Theologisch-Praktische Quartalschrift,* 1929, pp. 327-334, Rev. P. PRUEMMER, O. P. disputationem conscripsit cui titulus: *Bedingte Sakramentenspendung an sterbende Akatholiken* (Condicionata sacramentorum administratio moribundis acatholicis). In hac profitetur se velle ad normas Codicis Iuris canonici et Supremae Congregationis S. Officii, casum practicum solvere.

Inducit siquidem catholicam quandam Beatam, curae infirmorum in magno civili nosocomio addictam, quae impigro zelo et non sine arte aeternam salutem protestantium et etiam iudaeorum piis hortationibus in tuto ponere conatur. Neque inutilem operam navavit: plurium enim conversione laetatur. Cum autem in articulo mortis versantur, et saepe etiam aliquanto prius, pia mulier baptismum aegrotis istis condicionate ministrare non dubitat.

Eius autem agendi rationem ad trutinam revocans, cl. Professor in primis nimium Beatae zelum carpit, quod non ad morales hortationes faciendas sed ad corpora curanda deputata sit, quod indiscretae instantiae non semel occasionem dederint expellendi religiosas e nosocomiis; eamque monet ut contenta obiter dictis verbis quae religiose solari queant, abstineat « proselytismo ».

Subinde calculum suum adicere non audet ad sententiam qua LEHMKUHL, p. m. GÉNICOT, CAPPELLO et nos ipsi, nulli moribundo, nondum certo baptizato, baptismum condicionatum negamus cum est sensibus destitutus; et in fine lucubrationis, de baptismis a Beata collatis sententiam suam sic positive profert: 1. Iis qui

animo praesentes baptizari annuerunt, Beata recte, deficiente tamen sacerdote, Baptismum contulit. — 2. Si autem sensibus destituti fuerint, Beata recte baptizavit probos et religiosos protestantes; malos vero protestantes, vel iudaeos aut paganos, cum probabilia signa de vera horum intentione deessent, sacramentaliter lavare non potuit: probabilia enim signa voluntatis in adulto, saltem ad licitam baptismi collationem requiri.

Quocirca haec ipse facienda suadet. Coram moribundis qui a sensibus alieni videntur, sed non ita raro dicta audiunt et capiunt, actus fidei, spei caritatis et contritionis elata voce recitentur; dein infirmis catholicis sacramentalis absolutio impertiatur, detur etiam extrema-unctio; immo, si istud pacate recipere queant, ipsum viaticum. Protestantibus vero qui ordinate vixerunt nec fanatici osores catholicorum erant, sub condicione ministretur baptismus et absolutio sacramentalis; nullum autem sacramentum conferatur protestantibus irreligiosis et iudaeis vel ethnicis, nisi hi baptismi voluntatem antea explicite vel saltem implicite significaverint. Iis vero quibus sacramenta ministrantur actio sacra quae peragitur explicari tentetur, si forte id interne percipere queant.

Haec disceptatio viri cui laus est in theologia morali, nos movet ut serio examinemus fundamenta tantae severitatis, si re vera sit vel doctrina catholica vel normis Codicis aut Supremae Congregationis nobis imposita.

Nemo enim nostrum est qui contrarias istis normis partes amplecti voluerit. Ita etiam fiet ut ad magis theoricam expositionem quam supra a R. P. Umberg, S. I. gratanter accepimus, prorsus practicam subiungamus de argumento cuius momentum neminem sane fugere potest.

Aeterna enim animarum salus agitur; nec resi-

gnato animo ferre possim ut vel una anima in aeternum pereat quam suppeditatis mihi gratiae instrumentis salvare potueram.

Maioris perspicuitatis gratia, hoc ordine procedendum nobis videtur. Post praemissas duas observationes generales, orationem circumscribemus sacramento baptismi conferendi moribundo qui propriam voluntatem nullatenus significare queat; dein generaliorem quaestionem versabimus de sacramentorum administratione concedenda vel neganda acatholicis; denique schematice proponemus quid, in variis casibus, agendum sit vel saltem tuto fieri permittatur.

I. Observationes generales.

I. Ab hoc initio est proficiscendum. Cum sacramenta sint propter homines, eorum administratio inter ea ponenda est quae licent nisi demonstrentur prohibita. Ut igitur moribundis sacramenta negare debeas, oportet ut *constet* de eorum inutilitate vel de vetito legis divinae aut ecclesiasticae.

Neque ullo modo appellanda huc est obligatio consulendi validitati administrationis ex parte idoneitatis subiecti, cum, si SS. Eucharistiam excipias, tutiorismus, in hac materia, sit, saltem principaliter, inductus, non propter reverentiam sacramentis debitam, sed propter bonum suscipientium. Reverentiae enim sacramentorum administratio condicionata, per se satis consulit.

Iam vero, sicut in extrema corporis necessitate, non sola certa vel vere probabiliter utilia pharmaca, sed, his deficientibus, etiam alia tentantur quorum non sit certa inutilitas, ita ubi, plus quam vita corporalis, aeterna animae vita in discrimine versatur, nihil per se omittendum est quod morienti proximo fortasse auxilio esse possit.

Dum igitur R. P. PRUEMMER postulare videtur *probabilem* effectum sacramenti tunc administrati, requirit quod minime ex ratione sacramenti necessarium ostenditur et quod extrema casus necessitate excluditur.

Ab hac severitate quantum alienum se prodit S. AUGUSTINUS, dum, agens de baptismo eorum qui in adulterio vixerant, haec scribebat: « Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad baptismum tamen si desperati iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortasse adulterinae carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri?... Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa si forte paenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet mater Ecclesia » (P. L. 40, 470. *De coniugiis adulterinis,* L. I, c. 28.)

II. Nec plene assentiri possimus acri reprehensioni « proselytismi » Beatae. Proselytismus enim etymologice nihil aliud est quam studium propagandi doctrinam vel conscribendi quibusdam partibus seu magistris socios seu discipulos. Quod studium, cum agitur de vera religione, de partibus christianae et catholicae religionis, valde laudabile est et nobilissimis affectibus imperatur: fide viva in Ecclesiam catholicam et commiseratione erga eos qui extra viam veritatis et salutis positi, periculo aeternae ruinae sunt obnoxii. Atque id addemus: magis timendus est indifferentismus, seu modernismus, qui omnes religiones quasi aequi valoris habet.

Haeretici protestantes, cum contendant in omni christianismi forma salutem esse securam, formalem inter varias « confessiones » pacem praedicant cui

subscribere non possumus. Nomine proselytismi reprobant apostolicum zelum, dum nos solas improbare possumus indiscretas et imprudentes sollicitationes quae odia verae religioni parant potius quam animos cum Ecclesia concilient.

Sed iam ad principale intentum nostrum mentem convertamus.

II. De baptismo acatholici moribundi qui voluntatem suam exprimere nequit.

Propriae mentis significatio impediri potest statu perpetuae amentiae, completa linguae ignoratione, morbo qui quempiam usu sensuum privat. Cum tria ista obstacula personam ad eandem impotentiam redigant, communis est trium causa, ita ut tamquam una tractari possit.

Quae modo supra diximus sinunt ut hanc normam generalem statuamus: *Iis solis acatholicis moribundis, qui mentem suam exprimere nequeunt, negandus est baptismus qui certo illud invalide reciperent* (ut si constet de priore baptismo valido) *vel illud recipere certa lege prohibentur.* Duo igitur sunt examinanda: spes utilitatis; positiva prohibitio.

I. *De sperata utilitate.*

Semper utilis sperari potest administratio quae valida speratur. Cum autem in praesenti, nec de ritu nec de intentione ministri quaestio moveatur, de sola capacitate subiecti agendum est. Quae capacitas in casu aestimanda est ex sufficienti voluntate recipiendi sacramenta.

Porro CAIETANUS, O. P. in 3 q. 68 art. 7, refert tres esse sententias de intentione quae in subiecto adulto ad valorem sit necessaria.

Prima, quam DURANDO et non nullis imputat, tam in adulto quam in infante positivum consensum dicit esse necessarium.

Altera, quam S. THOMAE ascribit in IV Sent. d. 6, q. 1. art. 2, tenet neque in infante neque in adulto, *per se* loquendo, voluntatem propriam esse necessariam ; *per accidens* tamen requiri in adulto consensum ut *removentem prohibens,* puta peccatum (quod gratiam impediret), vel contrariam voluntatem quacum sacramentum haberi nequit.

Ac re vera, in l. c. solutio III tum in corpore tum ad 1 et ad 3, S. THOMAS haec habet : « in adulto intentio non requiritur quasi causans, sed solum quasi removens prohibens impedimentum, quod nihil aliud est quam voluntas contraria ».

Tertia sententia, SCOTI et aliorum, voluntatem non in puero sed in adulto exigit.

Sententiae autem S. THOMAE CAIETANUS adhaeret, tum ob c. *Maiores,* 3 De Baptismo et eius effectu, III, 42 : « Tunc caracterem imprimit sacramentalis operatio, quando obicem contrariae voluntatis non invenerit ; » tum quia, quod non est de necessitate sacramenti in uno recipiente, non est per se de necessitate in ullo. Sed in parvulis consensus non est de necessitate sacramenti ; Ergo neque in ullo est per se necessarius.

Quocirca, secundum CAIETANUM, valide baptizatur adultus dormiens qui vel explicite vel implicite vult baptismum, vel saltem non habet voluntatem contrariam, ita ut haec *neutra* esse videatur. Simul monet rarissimos tamen esse qui voluntatem neutram gerant.

Communis tamen, ait LUGO, *De Sacramentis,* d. 9 n. 115, evasit theologorum sententia quae in adulto consensum *positivum* exigit ad valorem, saltem quatenus *neutralem* sufficere negat.

Quod concedere facile possumus, dummodo consensus iste ne requiratur actualis vel stricte virtualis, sed sufficere dicatur habitualis non retractatus. Habitualis vero supponit aliquem consensum *explicitum* anteriorem. Quemnam ? Id est, debuitne explicite in

se terminari ad baptismum, ut in catechumeno, an possit contineri in alio explicito? Ac sufficere istud postremum omnes admittunt. Nemo enim negarit valere baptismum collatum alicui moribundo qui explicite voluerit fieri christianus sed de ipso baptismo nullam habuerit notitiam. Itaque sola controversia erit de ipsa voluntate explicita, quaenam esse debeat.

Atque, in omni sententia, istud etiam retinendum est, quaeri de consensu qui nihil agere debet sed mere actionem ministri recipere. Exigentia igitur consensus positivi, ut minimum excludit sufficientiam voluntatis neutralis qua CAIETANUS contentus erat; sed quod ad ea quae includit, variae esse possunt sententiae.

Huc iam intervenit sententia illustris et probatissimi theologi AEGIDII CONINCK (1), quam sic proponit: « Quicumque vult fieri christianus, atque adeo omnis qui habet veram contritionem de peccatis censetur implicite petere baptismum, etsi de eo nihil umquam audierit, quia talis dolor includit virtuale propositum servandi omnia praecepta ad talem finem necessaria quorum unum est praeceptum suscipiendi baptismum ». Cum CONINCK, fatente LUGO, consentit PETRUS LEDESMA (2). LACROIX, L. 6, p. 1, n. 168 et 288, idem ut probabile admisit et citat pro se novem doctores inter quos isti tres eximii: Di CASTILLO, a n. 323; GOBAT, I, n. 236 et SPORER, n. 151. Et n. 289 subiungit: VALENTIAE et LEDESMA voluntatem interpretativam ad valorem satis esse.

SUAREZIO (3) videtur voluntas magis expressa et formalis requiri « quia baptismus est ianua ad Ecclesiam, et in eo fit prima sollemnis professio fidei et legis Christi ». Quod argumentum rem fortasse suadet cum agitur de adultis sanis vel saltem consciis et ca-

(1) *De sacramentis et censuris,* in 3 P. q. 64 art. 8 dub. 5 n. 103.
(2) In IV, 1 p. q. 9 art. 7.
(3) *De sacramentis in genere,* in q. 64 d. 14, s. 2.

pacibus ad significandam voluntatem, non autem de moribundis, in quibus profecto votum baptismi sufficere debet.

De sententia CONINCK, LUGO (1) haec habet: « Haec doctrina adeo generalis et lata mihi difficilis est » eique opponit consectaria: potuissent omnes fideles iudaei dormientes baptizari, pariter omnes infideles qui fortasse haberent desiderium procurandae salutis suae. Consectaria ista, a quibus CAIETANUS non refugit (2), ait LUGO, absurda esse constat (3). Consectaria tamen ista minime certa sunt, quia implicita voluntas baptismi non est certa voluntas recipiendi baptismum omni die vel hora, ut bene animadvertit LEHMKUHL, II, n. 65, nota.

Necessitatem voluntatis magis explicitae directe probare volens, LUGO, l. c. n. 130 sic ratiocinatur: Qui profitebatur iudaismum secure se eius legibus committebat, nihil autem cogitaverat de lege Evangelica et ideo non proponebat aut volebat eius ritibus uti nisi post examen et novam persuasionem suam; similiter Gentilis attritus non habet immediate praeceptum ac proin voluntatem nisi quaerendi et subinde amplectendi veritatem. Sed, pace dixerim tanti theologi, LUGO hic in facto et in iure decipitur. *In facto,* dum supponit iudaeum qui, examine propriae religionis instituto, secure se eius legibus committebat, dum ex propriis libris sacris qui iudaeis obiciuntur, ex christianismo cuius spectaculum eius oculos percellit, facile

---

(1) *De sacramentis in communi,* d. 9, n. 129.

(2) « Uno inconvenienti dato multa inconvenientia sequi possunt; et ideo dato hoc inconvenienti quod minister temere baptizaret adultum neutrum, non est mirum sequi aliud inconveniens ». Ac re vera, quot inconvenientia sequuntur iugem praesentiam realem Christi in SS. Eucharistia, eo quod sunt sacrilegi homines.

(3) Observes igitur, contra atque asserit R. P. PRUEMMER, l. c. p. 331, LUGO non absurdam sed sibi difficilem dicere ipsam doctrinam CONINCK; sed sola quaedam consectaria quae magis cum opinione CAIETANI conectuntur absurditate notat.

de sua secta dubitare potest et, in extremo discrimine, etiam expresse cupere ritum christianum si hoc sit Deo gratum; ac perinde dicas de Gentili, saltem qui ad populum cultum pertinet; *in iure* autem LUGO decipitur, quatenus supponit necessitatem fidei in baptismum, et voluntatem agentem, dum sufficit fides quae in attritione supernaturali continetur et implicita acceptatio actionis ministri Ecclesiae (1).

Pari modo iis non paucis qui obiciunt voluntatem eius qui nihil de baptismo audivit non posse esse nisi interpretativam « si scirem, vellem » quae voluntas nulla est, facile respondetur huiusmodi voluntatem nullam esse ut efficientem, sed valere posse ut assentientem, praesertim si implicite contineatur in voluntate absoluta.

Nonne sic ex voluntate interpretativa recte licentia praesumitur; nonne in voluntate efficaci matrimonii continetur sufficiens voluntas recipiendi immo et administrandi sacramentum matrimonii, etiam in eo qui aperte non tamen voluntate praevalente sacramentum repudiabat? Ut ait R. P. NOLDIN - SCHMITT, « si suscipiens *duas contrarias intentiones* habet, alteram qua actu respuit, alteram qua habitu desiderat sacramentum, hoc ei conferri potest, ubi intentio illud suscipiendi praevalet » (*De sacramentis,* n. 41, e).

Verum minus probare possumus quae ibidem paulo ante tradit, spectans ad nostram quaestionem: « Haec voluntas (votum) baptismi sufficit quidem ad iustificationem per contritionem perfectam obtinendam, at non sufficit ad baptismum valide suscipiendum: ad hoc enim requiritur voluntas absoluta et quidem ipsius baptismi saltem implicita ». Quomodo enim

(1) Ansam errandi dare potuit CONINCK dum, l. c. inducit voluntatem quae implicite baptismum *petat*, quae *proponat* observationem praeceptorum: haec supponunt activas voluntatis partes, dum, ut accepimus a S. THOMA, sufficit voluntas baptismo non contraria (sive explicite sive implicite).

haec inter se cohaereant nullatenus videmus. Namque votum vel est verum vel non. Si non est verum, non sufficit ad iustificationem ; si est verum, dicit acceptationem baptismi, quod sufficit ad baptismi valorem. Ad rationem autem quam addit R. P. NOLDIN : « Qui baptismum suscipit simul contrahit obligationem observandi praecepta religionis christianae ; sed adultus hoc ipsum saltem implicite velle debet, quia nemo obligatur nisi voluntarie », respondemus in vero voto baptismi hanc voluntatem contineri ; si enim votum baptismi ferret hanc explicationem : « volo baptismum sed sine coniunctis obligationibus, vel modo ne mihi videantur nimis graves, » huiusmodi votum minime cum perfecta contritione concilari posset, nec proin sufficeret ad iustificationem.

Sane in persona sana voluntas explicita baptismi propter obligationes conscio modo acceptandas exigi potest, sed in extremo discrimine huiusmodi voluntas acceptandi istas obligationes praesumi potest et in voluntate salvandi animam continetur, sicut, in gravi morbo, voluntas absoluta recuperandae valetudinis continet consensum in expensas etiam ingentes. Itaque, ut omnia in pauca contrahamus :

1. CAIETANUS formaliter docet in suscipiente nullam positivam voluntatem ad valorem baptismi requiri. Atque in hac re etiam se existimat fidelem esse interpretem S. THOMAE.

2. S. THOMAS, l. c. et quidem ter expresse declarat in suscipiente consensum non requiri ut aliquid causantem, sed mere ut removentem obstaculum contrariae voluntatis.

3. CONINCK et plurimi theologi ante saec. XIX, dum consensum postulant, sufficere arbitrantur voluntatem implicitam in attritione vel contritione. His adversantur SUAREZ et LUGO et post ipsos, saltem theoretice, plerique recentiores.

4. Nulla tamen certo argumento sententia CONINCK et aliorum impugnatur. Immo, ut mentem nostram sincere aperiamus, haec sententia nobis *verior* esse videtur, et ad eam redeundum est utpote magis fundatam in auctoritate et ratione. *In auctoritate :* namque, ut ait R. P. D'ALÈS, *De Baptismo et Confirmatione,* p. 82, INNOCENTIUS III, in loco supra allegato « explicat quae voluntas irritet sacramentum, ea scilicet quae penitus contradicit sacramento ». Is est sensus naturalis verborum, quem recentiores violenta exegesi effugere conantur. Et quomodo magis adhaereat S. THOMAE non semel iam ostendimus. Etiam in ratione magis fundatur. Constat enim neque contritionem neque attritionem vel iustificare vel disponere ad iustificationem posse nisi *quatenus continent votum ingrediendi in Ecclesiam ac proin recipiendi baptismum.* Cfr de hac re R. P. BAINVEL in opusculo : *Hors de l' Église pas de salut* (1) Quomodo autem votum istud non sufficeret ad validam baptismi susceptionem, cum, ut observat R. P. BAINVEL, « in voto implicito contineatur quidquid reale in voto explicito haberetur : utriusque enim fines definiuntur unice voluntate divina et adhaesione animae ad istam voluntatem ». (2)

Ni fallimur, qui hodie dissentiunt, permoti fortasse auctoritate SUAREZ et LUGO, et interpretatione extensiva responsionum S. Sedis, istud praetereunt, voluntatem habitualem, quam ipsi in suscipiente sufficere concedunt contineri posse in voluntate explicita quae non terminetur expresse ad baptismum sed ad aliud quo baptismus ipse contineatur. Quocirca, ni fallimur, quod primo efficiendum erat, *nullatenus*

(1) Prodiit primum in *Études,* 1912, t. 132 p. 289 ss. praesertim pag. 309 ss.

(2) « Il y a dans le désir implicite tout ce qu'il y aurait de réalité dans le désir explicite lui-même, puisque les limites de l'un, comme celles de l'autre son déterminées uniquement par la volonté divine et l'adhésion de l'âme à cette volonté. »

constat inutilem fore condicionatam administrationem baptismi moribundo qui nondum sit baptizatus. Iam quaerendum est si fortasse lex quaedam divina vel ecclesiastica huic condicionato baptismo obstet.

II. *De prohibitione positiva.*

De hac re Codex Iuris canonici et decreta vel instructiones supremae S. Congregationis S. Officii potissimum interroganda sunt, praeter dicta SS. Patrum.

A. SS. Patres praefracte quidem sacramenta haereticis negant, sed casum de errantibus bona fide non contemplantur.

Audiatur, pro omnibus, S. AUGUSTINUS: « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos computandi » (Epistolae, 43, l. P. L. 33).

B. *Can. 752,* haec tria nos docet. l. De his qui non sunt in periculo mortis. « Adultus nisi sciens et volens probeque instructus ne baptizetur, insuper monendus ut de peccatis suis doleat ».

2. In periculo mortis *vetitum* idem manet substantialiter, in modo tamen temperatum his verbis: « In mortis autem periculo, si nequeat in praecepuis fidei mylteriis diligentius instrui, satis est ad baptismum conferendum,ut aliquo modo ostendat se iisdem assentire, serioque promittat, se christianae religionis mandata servaturum ».

3. *Praecipit* ut sub condicione baptizetur « si baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi... Si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub condicione baptismus rursus conferatur ».

Observes positivam hanc praescriptionem non compleri aliquo vetito, v.g. addendo, « neque aliter fiat » sicut in primo casu dicitur « Ne baptizetur nisi sciens et volens, etc. » Dicemusne formam istam inconsulto esse mutatam? Nonne potius existimabimus immerito a non uno auctore addi istam formam exclusivam, et dum Codex *mere praecipit* ut qui baptismum aliquo probabili signo cupierint, *baptizentur*, hoc modo textum intellegi quasi dixerit: *Ne baptizetur nisi* aliquo probabili signo baptismum se velle significaverit? (1).

Decreta S. Officii.

1. Die 25 iulii 1630, S. Officium *iubet* ut confessarius absolvat apostatam paenitentem in articulo mortis, abiurata prius apostasia in foro conscientiae, et, nisi melius praestare possit, committendo confessario ut suam abiurationem manifestet (Cfr textum supra, p. 108*).

2. Die 25 ian. et 10 maii 1703, in Quebec. Suprema Congregatio varia dubia solvit de modo quo instruendus sit barbarus, praesertim moribundus.

Haec praesentem nostrum casum non afficiunt.

3. Die 3 aug. 1860, Suprema Congregatio dedit Instructionem etiam de adultis moribundis sed consciis. De intentione haec habet: « In dubio vero utrum (adultus morti proximus) ipse vere intendat baptismum suscipere, si praevio diligenti examine de hac intentione adhuc dubitetur, Baptismus conferri *debet* sub condicione: dummodo sit capax Baptismi. Ne tamen norma quaedam desit huiusmodi missionario, hic annexum Amplitudini Tuae transmittitur decretum eiusdem Congr. Supremae et Universalis Inquisitionis, latum feria V coram SS.mo, die 23 augusti 1703 super quaestione ab Episcopo Quebec. proposita ». Quaestio

(1) Ita v. g. R. P. Pruemmer: « *Sonst Können sie nicht einmal sub condicione getauft werden* ».

erat de baptismo filiorum qui nondum aetatem rationis erant assecuti, et qui pertinebant ad parentes baptizatos quidem sed » nullum fere nostrae religionis actum exercent, sed per nemora vagantur, superstitiones pristinas sequuntur quorumque liberi, cum, adoleverint imitatores fiunt ». Et responsum fuit id non licere si parentes non erant baptizati, licere vero si sint filii barbarorum baptizatorum. *(Coll. Pr. Fidei, ed. 2 n. 259).*

4. Die 13 ian. 1864, S. Congr. improbat, *prout exponitur,* usum promiscue sacramenta sub condicione ministrandi moribundis haereticis et schismaticis, propter praesumptam multorum bonam fidem.

Simul adiungit ut si dederint signum quodpiam quo rationabile dubium oriatur de voluntate adhaerendi Ecclesiae catholicae, tunc sequendas esse normas probatorum auctorum. Cfr supra p. 109*.

5. Die 20 iul. 1898, Suprema Congr: a) negat schismaticos materiales in bona fide absolvi posse *extra periculum* mortis, *cum scandalum nequeat* vitari; b) sed in articulo mortis absolvi posse, remoto efficaciter scandalo. Cfr supra, p. 110*.

6. Die 17 maii 1916, S. Congregatio haec ad varios locorum Ordinarios mandat: *a*) ut schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis et absolutionem vel extremam unctionem petentibus, ea sacramenta conferantur, requiri ut meliore quo fieri possit modo errores reiciant et professionem fidei faciant ».

b) Si autem sensibus sint destituti, posse sub condicione administrari, praesertim si ex adiunctis conici liceat eos implicite saltem errores suos reicere. (Cfr p. 112*. 113*).

His perlustratis, nonne perspicitur non pertinere ad privatos ut tenorem decretorum 1850 et 1864 mutantes, decreta quibus Suprema Congregatio *iubet* ut condicionate baptizentur qui signa voluntatis dederint, convertant in decreta quae, sine illis signis baptismum

prohiberent? Cum Codex et S. Congregatio, in re tam gravi, ubi, id repetamus, aeterna animae salus agitur, volunt taxative definire quinam possint sacramentis iuvari, verba exclusiva adhibere non omittent. Exemplo sit can. 752 initio. Idque eo minus licet in casu praesenti, quod verba desumpta sunt ex S. THOMA IV D. 69. 1 art. 3 qu[a] 3 ad 2, ex loco ubi ad valorem non exigit nisi consensum quo removeatur obstaculum voluntatis contrariae, et unde CAIETANUS concludit valide baptizari hominem qui numquam de baptismo cogitaverit, ita ut eius voluntas neutre dici possit. (1)

Merito igitur R. P. CAPPELLO, n. 159 haec concludit: « Documenta S. Sedis (praesertim responsum S. C. S. O. 18 sept. 1850 et 30 mart. 1898), quibus nituntur recentiores patroni sententiae oppositae, non reprobant expositam opinionem, sed solum agendi norman securiorem (2) commendant, sicut dicendum est de cit. can. 752 § 3 ».

Audiamus iam probatos auctores, aequales nostros.

N. B. S. ALPHONSUS, L. 6, n. 82 mere refert sine ulla, nota, oppositas sententias CONINCK, etc. et SUAREZ, etc.

1. LEHMKUHL, S. I. « Pro baptismo suscipiendo probabiliter sufficit intentio implicita, scil.ea quae habetur in omni vera contritione aut attritione » (II, n. 65).

« Is igitur moribundus sensibus destitutus baptizandus condicionate videtur de cuius dolore supernaturali fide forte concepto prudens coniectura est » (II, n. 107).

---

(1) Iuvat referre verba Doctoris communis: « In pueris non potest esse contraria voluntas vel intentio in eis qua prohibens removeatur. In amentibus autem et dormientibus potest esse voluntas contraria habitualis, quamvis non sit actualis; et ideo si ante somnum vel furiam fuerunt contrariae voluntatis, non recipiunt sacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet. Si autem habuerunt propositum recipiendi baptismum, et hoc per aliqua signa innotuit, tunc in articulo necessitatis debet eis conferri baptismus et suscipiunt sacramentum et rem sacramenti, etiam si furiosus tunc contradicat quia illa contradictio non procedit a voluntate rationis ».

(2) I. e. ni fallimur, magis certae efficaciae, sed non magis tutam pro conscientia.

« Quando certo licuerit moribundum baptizare, caritas ut etiam re vera fiat, omnino exigit. Nihilo minus, cum prudens illud iudicium de quo S. Officium loquitur, alius aliter conceperit, atque de ipsa prudentia vel probabilitate rationum dubium aliquando exsistere possit, nolim negare, fieri posse, ut obligatio quidem non sit, liceat tamen sub condicione baptizare » II, 108.

2. GENICOT - SALSMANS, S. I. *Institutiones theol. mor.* « Controvertitur autem num sufficiat ea intentio generalis adhibendi media ad salutem necessaria quae includitur in contritione vel attirtione de peccatis commissis. Id plures merito saltem ut probabile affirmant » (II, 126).

« An baptizandus (sub condicione) is de quo nescitur vel dubitatur dubio facti utrum habuerit vel expresserit ullam intentionem ex praefatis (v. g. contentam in attritione). » « Censemus non esse reprehendendum qui baptismum condicionate confert etiamsi signa sufficientis intentionis non compererit, sed ipsam merito praesumens fretus universali voluntate salvifica Dei, quae ad spem concipiendam de necessariis dispositionibus internis invitare videatur dum ad moribundum ducat eum a quo externum ritum sacramentalem percipere valeat. Nullibi enim huiusmodi sententia diserte in documentis S. Sedis reprobatur, quamvis securior norma agendi commendetur ».

3. GURY - FERRERES, S. I. *Casus Conscientiae.* « An Damasus parochus, recte egerit baptizando iudaeum sensibus destitutum et moribundum (de quo nihil rescire poterat) — An pariter recte egerit SYLVINUS missionarius infidelem amentem et moribundum baptizando (amentem de quo rescire non potuit utrum decurrente vita lucida intervalla habuerit) ».

Recte egit parochus si audiverit iudaeum ante morbum ostendisse voluntatem religionem christianam amplectendi. Secus controvertitur. Negat MOULET, talem iudaeum posse baptizari, quia in eo casu nulla supponi potest intentio baptismum suscipiendi; sed sententia opposita absque temeritate teneri potest; *immo est omnino suadenda.* Cur enim nulla supponi potest voluntas baptismum suscipiendi? Numquid ex eo quod nullam intentionem manifestaverit, concludi potest eum nullam habuisse? Nequaquam. Nam inter centum vel mille infideles, in simili casu, potest esse unus qui christiane mori velit. Porro satis est, ut singulis baptismus sub condicione conferatur. » Sylvinus recte egit « modo baptizaverit sub condicione... si habuit (lucida intervalla)... potuit baptismum desiderare et proinde valide baptizari. De facto non constat utrum habuerit

necne; ergo sub condicione baptizandus est, quia succurrendum est proximo versanti in extrema necessitate spirituali quo meliori modo fieri potest, etiam cum tenui probalitate efficaciae sacramenti » (II, n. 205. 206).

4. CORNELISSE, O. F. M. *Compendium theol. mor.* III, n. 92. Respondet cum GÉNICOT, cuius verba refert.

5. PISCETTA GENNARO, S. S. *Elementa Theologiae moralis*, vol. 5, n. 106: « Quidquid est, in praxi licet mitiorem sequi sententiam et sub condicione baptizare infidelem huiusmodi; scilicet morti proximum et sensibus destitutum vel in ea condicione versantem ut omnino nequeas eum docere ».

6. AERTNIJS - DAMEN, C. SS. R. *Theologia moralis*, II, - n. 32 Quaer. 3 « Num pro baptismo unquam sufficere possit intentio implicita contenta in omni actu contritionis vel attritionis vel in voluntate generali adhibendi omnia media salutis?

« Resp. disp. Prima sententia id pro probabili habet. Hinc secundum ipsos ad normam can. 752 § 3 moribundis, sensibus destitutis, potest immo et debet sub condicione administrari Baptismus, quoties eos esse attritos cum aliqua probabilitate suspicari licet, etsi numquam de baptismi necessitate et fide christiana audierint vel cogitaverint; quia in extremis extrema tentanda sunt.

« Altera sententia negat.....

« Unde *practice* saltem *nulla est obligatio* administrandi baptismum iis moribundis, sensibus destitutis, qui nunquam desiderium ingrediendi Ecclesiam manifestaverint ».

7. R. P. PAYEN, S. I. *Casus de baptismo in missionibus ac potissimum in Sinis* « Canone isto (752) quo baptismus praecipitur, probabiliter non vetatur, aut saltem *non certo* vetatur condicionatus baptismus eorum qui voluntatem baptismi non manifestaverunt sed una alterave de causa, aliquo probabili modo *praesumuntur* habuisse intentionem baptismi, saltem in discrimine vitae recipiendi »....

« Ea autem (sententia) missionarius potest facilius uti si, in tota regione, sat multi sunt christani: nam tunc facilius aliquo probabili modo conicitur non deesse in moribundo voluntatem necessariam ad valorem et dispositiones ad fructum requisitas. Hinc P. MICHEL, qui opinionem communiorem sequitur, non audet hunc ultimum casum excludere (*Questions pratiques sur le baptême, n. 57, p. 76)* ».

8. R. P. CAPPELLO, S. I. « Haec doctrina (LEHMKUHL, GENICOT, etc.) vere probabilis est » (*De Sacramentis*, I, n. 159).

Igitur, neque argumentis rationis neque auctoritatibus de-

stituitur haec nostra conclusio: *Secluso scandalo, per se licet sub condicione baptizare quemlibet adultum moribundum, sensibus destitutum, quem iam baptizatum esse non constat.* Sententia ista mere clare et brevius enuntiat quod, etiam hodie, non pauci probati auctores, qui nec Codicem nec decreta Supremae Congr. S. Officii ignorant, tandem aliquando permittunt vel etiam commendant. (1)

Ac, ni fallimur, multo plures isti sententiae patrocinarentur, nisi casus in quibus Suprema Congregatio decrevit baptismum *debere* condicionate ministrari, considerassent ut casus in quibus solis, e mente S. Sedis, baptismus ministrari *potest;* vel si animum attendissent ad conexionem istius conclusionis cum gravissima quaestione de salute acatholicorum.

Hodie enim, multo magis quam saeculis praeteritis, disceptatur problema de voluntate universaliter salvifica Patris Nostri caelestis, componenda cum tanta hominum multitudine quae exteriorem vitam extra Ecclesiam ducit; extra Ecclesiam extra quam non esse salutem omnino profitemur. Et cum accuratior cognitio religionum falsarum nobis suaserit in pluribus haberi unde, ex supernaturali Dei gratia etiam acatholici non baptizati conciperent fidem in Deum Providum et remuneratorem, et inde ad attritionem vel etiam ad contritionem pervenirent, atque alii etiam, per magis secretas Bonitatis divinae vias idem praestare possent, theologi praesentes inclinant animo ut in pluribus, praesertim in extremo agone, contritionem istam seu attritionem praesumi posse concederent vel etiam traderent. (2)

Ut supra diximus, attritio vel contritio ista non potest utilis esse ad salutem, nisi contineat votum (implicitum) amplectendae verae religionis seu ingre-

---

(1) Nescimus cur non nulli scriptores, ut Génicot, qui nobiscum sentiunt, existiment plerosque antiquiores theologos partes adversas tueri, dum potius, ut vidimus, recentior est opinio severior.

(2) Cfr v. g. R. P. Bainvel, in opusculo citato. *Hors de l'Église pas de salut:* et, in *Dictionnaire Apologétique*, disputationem, *Salut des infidèles*, scriptam a R. P. D'Alès, eiusque tractatum *De baptismo et confirmatione.*

diendi Ecclesiam. Votum autem istud est votum baptismi, ac proin continet consensum sufficientem ad baptismi valorem, et, si vera sit attritio, etiam ad baptismi fructum. Neque dicas satis esse ut quis pertineat ad *animam* Ecclesiae seu ad Ecclesiam *invisibilem*. Anima enim Ecclesiae non est extra ipsam Ecclesiam visibilem seu corpus Ecclesiae; atque ita fit ut « nemo animetur Ecclesiae vita nisi aliqualiter intra Ecclesiae corpus constitutus » (1). Votum igitur necessario ad Ecclesiam visibilem terminatur.

Quod igitur novimus hodie de vestigiis veritatis religiosae quae in tot orbe supersunt; quod suspicari possumus de mysteriosis istis viis divinae Providentiae, de quibus S. AUGUSTINUS: « Quid cum singulis agatur, Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt » (2), permittunt ut de interiore dispositione moribundi sensibus destituti rationabile dubium vel melius rationabilem spem concipiamus. In dubio autem, ut ait R. P. D'ALÈS, sufficiens intentio legitime praesumitur, cum « multo satius sit nolenti dare quam volenti negare » (3) sacramentum baptismi.

Sed quamvis haec agendi ratio nobis ipsa christiana caritate summopere commendata videatur, cum S. Augustino id addemus: « Non tamen propterea damnare debemus eos qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere..... Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, ubi dicit: « Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo (Rom, 14, 12) Ibidem, P. L. 40, 469.

---

(1) La TAILLE, MYSTERIUM FIDEI, altera editio, p. 602 nota, ubi observat nomen animae Ecclesiae esse veteribus ignotum et ansam praebere confusionis. Cfr quoque BAINVEL, *Hors de l'Église pas de salut*, p. 297-300.

(2) *De vera religione*, c. 25, n. 46. P. L. 34, 142. De baptizandis catechumenis.

(3) S. AUGUSTINUS id dicit de baptizandis catechumenis qui pro se respondere nequiverant, sed etiam ad nostrum casum opportune transfertur. *De coniugiis adulterinis*, L. I, c. 26, n. 33 (P. L. 40, 470).

III. Schematica propositio casuum de collatione sacramentorum acatholicis.

Notanda.

1. Cum infinite multi casus accidere queant, non omnes, ut liquet, exhibere possumus; sed eos tantum trademus qui *normativi* dici possunt, quia regulis locum dant quae ad applicationes aptandae sunt, vel etiam *specifici* vocari possunt, quia genus sunt sub se magnam varietatem continens.

2. Nomine *acatholicorum* veniunt omnes qui, sive bona sive mala fide, religioni non christianae, aut ecclesiae schismaticae aut sectae haereticae ascripti sunt, denique areligiosi.

3. Eam solam sacramentorum collationem admittimus quae fiat prudenter, ac proin omnem illicitam scandali permissionem devitet, nullum maius Ecclesiae damnum afferat; id est quae ordinem caritatis observet.

Quocirca nulla sacramentorum concessione foveri potest indifferentismus, quo falsa religio seu falsus christianismus eodem iure vel loco quo vera Christi Ecclesia haberi videatur. Huiusmodi periculum crescit pro maiore externa similitudine verae religionis. Unde minus est cum agitur de paganismo quam de iudaismo, de iudaismo quam de secta christiana, de secta christiana quae sacramenta respuit quam de secta quae plura habet vel habere putat; de secta schismatica, quam de haeretica. Maximum est quando errantes se profitentur esse catholicos et pro catholicis haberi cupiunt, ut Anglicani pertinentes ad sic dictam *High Church*.

Praeter confirmationem indifferentismi, declinandum quoque est odium publicum Ecclesiae catholicae seu aversionem qua mentes, ab Ecclesia alienae, difficilius ad eam redirent.

I. *De pueris ante rationis aetatem.*

1. Extra periculum mortis, non sunt baptizandi, nisi *a)* consentiente alterutro parente, vel avo aut persona in cuius potestate versantur, ut eius consensus notam violatae patriae potestatis auferat; et *b)* spes aliqua sit catholicae educationis pueri qui baptizatur.

Spes tamen ista benigne intellegi potest. Id ex S. Sedis documentis haud aegre colligitur. Sic iam sufficit ut pars consentiens sit baptizata, etiam si sit valde barbara, vel ut huiusmodi institutionem catholicam promittat, etiamsi fine temporali aut partim superstitioso moveatur. Cfr v. g. supra allegatum responsum S. C. *S. Officii,* 23 aug. 1703, ad Ep. Quebecensem (p. 135*, 136*).

Id in primis valet de filiis parentum non baptizatorum, etiam tamen per se de aliis, haereticis, etc. ut nunc monemur Codicis can. 751.

2. In periculo mortis, ad consensum parentum non est attendendum, ut proles extremo discrimini eripiatur. Aperta tamen violentia, non autem pia dissimulatione, si opus sit, abstinendum est.

Nec periculum istud proximum esse debet, seu stricte dictus articulus.

Ita S. Sedes permisit ut, insciis parentibus, in regione missionum baptizaretur puer qui ex macilentia aestimabatur probabiliter moriturus ante usum rationis, nec poterat sub oculis missionarii vel fidae personae catholice adolescere.

II. *De adolescentibus qui 14 annos completos nondum sunt nati.*

Ante aetatem 14 annorum completorum, teste C. Albitio, *De inconstantia in Fide,* adolescentes non censentur in foro externo formaliter acatholici; quare, ut diximus in *Theol. mor.* II, n. 38 et 41, sine abiuratione formali vel censurarum absolutione, per se in gremium Ecclesiae admitti possunt.

1. *Extra tamen periculum mortis,* quamvis baptismum petant, et a septennio sint quod ad hoc sui iuris, non sunt baptizandi nisi sicut parvuli, i. e. cum consensu eorum in quorum potestate sunt et probabili spe institutionis catholicae, quamdiu externe maneant extra Ecclesiam catholicam.

Neque iam baptizatis alia sacramenta licite praeberi possunt. Obstat periculum perversionis seu professionis acatholicae quando aetate maiores futuri sint.

2. *In periculo mortis: a)* Si conscii animo, fuerint, ipsis dare licet baptismum et sacramenta quae recipere cupiunt et ad quae sunt dispositi.

b) Si extra sensus versentur, et nullam voluntatem certam manifestarint recipiendi sacramenta, ipsis condicionate detur baptismus, extrema-unctio et absolutio sacramentalis.

Cum aegroti saepe verba percipere possint qui nullo signo exteriore conscientiam suam produnt, iuvabit — quatenus adiuncta id permittant — sicut suadet R. P. PRUEMMER in disputatione de qua egimus, ut intellegebili voce excitentur ad actus virtutum theologicarum, ad paenitentiam interiorem, et a ministro significetur quid operari proponat.

III. *De adultis.*

A. *Extra periculum mortis.*

1. *Non baptizati* debent, ut licite baptizentur, pro captu instrui, ita ut saltem noverint et crediderint (etsi fortasse memoriter recitare ea nequeant), puncta necessitate medii (eitam probabiliter tantum talia) credenda, ut efficaciter, saltem attritione, personalia peccata gravia retractent, et obligationes professionis catholicae acceptent (Cfr resp. S. O. 10 maii 1703).

2. *Baptizati* extra Ecclesiam catholicam in duo genera dispesci possunt. Alii, quamvis bona fide errantes, conscii tamen sunt suae separationis ab Ecclesia catholica. Ab his formalis abiuratio etiam in

foro externo, cum debita facultate, quaerenda est, et absolutio dari debet a censuris fortasse incursis, ante quam ad alia sacramenta admittantur. Immo, perseverantes in erroribus, ne condicionate quidem baptizari possunt ut prior eorum baptismus reddatur certus.

Alii vero qui, istas defectiones ab Ecclesia catholica ignorantes, mere se existimant christianos et fideles, *per se* quidem, seu, attento iure divino, non sunt universaliter monendi de divortio sua sectae a vera Ecclesia; immo adiuncta etiam talia esse possunt ut gravissima causa, utputa civilibus poenis, professio conversionis impediatur. Nihilo minus, propter periculum scandali, seu confirmationis indifferentismi, regulariter docendi sunt de obligatione adhaerendi verae Ecclesiae. Neque ea instructione abstinere privati possunt, nisi impetrata venia S. Sedis.

Interdum satius erit ut schismatici, in regione ubi non est communitas catholica vel ecclesia ubi sollemnia peragantur, pergant bona fide religionem in secta sua exercere quam si, dissipato errore et obtenta formali conversione, eos ponas in necessitate vel peccandi participando sacra schismaticorum, vel vivendi sine ullo cultus publici subsidio.

B. *In periculo mortis acatholici animo praesentes et capaces significandi suam voluntatem.*

1. *Non baptizati,* praemissa essentiali instructione, ita ut saltem ad puncta necessaria responderint, *credo,* excitata attritione et obtento eorum consensu, absolute baptizandi sunt et confirmari possunt. Ut ss. eucharistiam recipiant, oportet ut saltem a pane communi panem caelestem discernant et devote recipere possint.

2. *Baptizati,* per se ad fidem catholicam formaliter profitendam adducendi sunt.

Si tamen, in his extremis rebus, id animae erranti bona fide periculosum videatur, tunc:

a) Si conscii separationis suae ab Ecclesia

catholica fuerint, suaviter doceantur de impedimento separationis et inde consequente vetito facto sacerdoti catholico ministrandi sacramenta fratribus separatis.

Quid si, propter perturbatam ex ista monitione bonam fidem, serio timeatur saluti aeternae subiecti? In huiusmodi casu damnare non ausim qui ut R. P. MALVY a se factum refert, concesserit sacramenta, non exclusa SS. Eucharistia, quae sine tali periculo abnuere non potuerit (Cfr disp. *Les Dissidents de bonne foi sont-ils membres du corps de l'Église? Recherches de science religieuse,* 1927, p. 34 nota).

Audiantur haec dicta R. P. CAPPELLO, *De sacramentis,* t. I, p. n. 73, p. 54.

« An possit condicionate absolvi haereticus vel schismaticus *materialis* in mortis articulo, licet non sit sensibus destitutus, gravis est inter DD. controversia.

« Certa ab incertis distinguamus oportet. Imprimis certum est hunc moribundum *nondum sensibus destitutum,* absolvi non posse, nisi prius excitetur ad contritionem de peccatis suis, et paratus sit facere omnia quae a Deo ordinata sunt ad vitam aeternam consequendam. Si vero contritionem eliciat de suis peccatis atque paratus sit omnia peragere quae ad salutem aeternam requiruntur, non nulli theologi censent absolvi posse sub condicione. Ratio est, aiunt, quia invaliditas et illiceitas huiusmodi absolutionis nec *ex defectu intentionis,* nec *ex carentia actuum paenitentis,* neque *ex defectu fidei catholicae* repeti potest.....

« Hanc sententiam, omnibus mature consideratis, censemus adhuc sustineri posse, non obstante praescripto citati canonis » (1).

R. autem P. UMBERG, etsi severe de requisita intentione scribat, haec subiungit: « Vera et sufficiens intentio adest in illo protestante moribundo qui ostendat velle se iuvari eo modo quo sacerdos catholicus iuvare valeat moribundos: tunc enim virtualiter impli-

(1) « Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, *etiam bona fide errantibus eaque petentibus,* nisi prius, erroribus reiectis Ecclesiae reconciliati fuerint » (Can. 731, § 2)

cite petit sacramenta catholica et capax censeri potest extremae unctionis et, si praeterea sacerdoti faciat peccatorum accusationem *formaliter* integram (quamvis forte genericam tantum) atque ostendat attritionem, etiam absolutionis » (Cfr supra, p. 119*).

b) Si vero isti adulti baptizati nullius separationis sint conscii, iis dari poterunt sacramenta quae digne recipere voluerint, « remoto scandalo ».

C. *In periculo mortis et sensibus destituti seu incapaces significandi suam voluntatem.*

1. *Non certo baptizati,* si vere baptismum petierint, absolute, — praemissa, si fieri potuerit, exteriore monitione de qua supra, — baptizentur, et extrema — unctione condicionate saltem muniantur, et condicionate absolvantur.

Si probabili tantum vel nullo signo exteriore baptismum petierint, condicionate baptizentur, ungantur, absolvantur. Declaratione opportuna quod Ecclesia eos supponat in ista hora vere promptos ad veritatem, scandalum removeatur.

2. *Certo baptizati,* condicionata saltem administratione extremae-unctionis et paenitentiae iuvari possunt.

Neque, nostra humili sententia, excipiendus est casus, si conscius etiam iratus sacramenta respuerit. Observationem enim P. Lehmkuhl, II, 78, ed. 9, quam Pruemmer carpit in laudata disputatione, psychologice veram esse arbitramur: « animus christianismo contrarius, quo conabatur antea stimulos gratiae excutere.... esse potest et ratio putandi moribundum, in periculo positum, mentem mutasse, et nunc fidem et baptismum desiderare ». Fit re vera ut exterior ira radicetur in interiore lucta contra gratiam, cui, Deus, in ultimo momento triumphum reservavit.

D. *De Amentibus.*

1. Qui ab infantia et in perpetuum sunt amentes, pueris aequiperantur.

2. Qui lucida intervalla habent, ex voluntate quam tunc manifestabunt tractandi sunt, si tempus suppetat.

3. Qui post usum rationis in amentiam inciderunt, sane, sive absolute, sive, cum agitur de paenitentia quae voluntatem virtualem accusationis postulat, condicionate sacramenta quae antea cupierint recipere permittuntur. Si ex peccatis in amentiam inciderint, numquam ss. eucharistia reficiendi sunt, etiamsi mere schismatici fuerint.

Si nulla certa voluntas de sacramentis recipiendis manifestata sit, aequiparandi sunt adultis moribundis qui sensibus sunt destituti.

4. Semifatui vel dubie amentes acatholici in periculo mortis condicionata ministratione Paenitentiae et Extremae Unctionis iuvabuntur. Si pro modo suo petant, baptismum absolute recipere poterunt. (Cfr *Theol. mor.* III, 204.)

« Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur! » (S. Matth. 5, 7.

A. VERMEERSCH S. I.

Nonnullae quaestiones.

I. *In dioecesi A. mos viget ut parochus canonicam possessionem suae paroeciae vel omittat, vel per se ipse eam capiat. Utrum talis consuetudo sustineatur?*

Resp. Negative omnino. Sane ad normam can. 1443, § 1 nemo potest *propria auctoritate* beneficii sibi collati possessionem capere, sed a legitimo Superiore ecclesiastico in possessionem illius immittendus est. Quae missio in possessionem, seu institutio corporalis, spectat ad Ordinarium loci, qui vel per se ipse vel per sacerdotem delegatum, v. g. per vicarium foraneum, eam tribuere potest (can. 1443, § 2).

Maxima profecto inest vis atque efficacia pos-

sessioni beneficii legitime captae, cum nonnisi a momento huiusmodi possessionis beneficiarius omnibus iuribus fruatur tam spiritualibus quam temporalibus (can. 1472). Missio in beneficii possessionem fieri debet secundum modum iure peculiari seu statutis dioecesanis praescriptum aut legitima consuetudine receptum; sed loci Ordinarius potest iusta de causa ab eo modo seu ritu *expresse in scriptis* dispensare; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis (can. 1444, § 1).

Deficiente huiusmodi *expressa* dispensatione *in scriptis* data, deest canonica possessio, ideoque parochus *per se* non fruitur iuribus spiritualibus ac temporalibus, quae paroeciali beneficio adnexa sunt.

Si praedicta consuetudo vigens in dioecesi *A.* non sit centenaria vel immemorabilis, procul dubio abrogata est ex praescripto can. 5; atque etiam si centenaria vel immemorabilis sit, censemus, attenta disciplina antiqua et perspectis principiis generalibus iuris, legitimam dici non posse, ac propterea tamquam abusum esse eliminandam prorsus.

II. *An Episcopus subducere valeat personas vel familias privatas a parochi iurisdictione?*

Resp. De pia domo et familia religiosa hodie ex can. 464, § 2 res certa est. Etiam familia sive domus privata potest subduci, iusta de causa, a parochi iurisdictione, quatenus mutentur confinia paroeciae, ita ut familia seu domus privata, quae prius erat in territorio paroeciae *A.*, nunc, facta immutatione, exsistat in territorio paroeciae *B.* Ratio est, quia familia sive domus *qua talis* est *in loco*; porro parochus gaudet quidem iure quaesito iurisdictionis in toto territorio paroeciali exercendae, at non habet ex lege communi ius quaesitum ut hic vel ille locus ad territorium paroeciale iuridice pertineat, secus dismembratio paroeciae fieri non posset *iure ordinario* ab Episcopo.

Quoad *personas privatas*, negandum, si considerentur proprie qua tales ; affirmandum, contra, si exemptio directe et immediate non personas afficiat, sed *locum* ubi degunt. Ratio *primi* est, quia omnes qui habent domicilium vel quasi-domicilium in paroecia parochum *proprium* ex ipso loco sortiuntur ad normam iuris communis (can. 94, § 1), cui derogare Episcopus non valet. Nec potest idem Episcopus privatis personis peculiarem rectorem *qua parochum* adsignare, absque respectu ad territorium, cum paroeciae *personales* constitui nequeant sine indulto apostolico (can. 216, § 4). Ratio *secundi*, quia Episcopus, servatis servandis, paroeciam dismembrare valet, ac proinde ita eiusdem confinia mutare, ut certus *locus* non amplius pertineat ad illam paroeciam.

III. *Num familiares alicuius domus piae vel religiosae exemptae a iurisdictione parochi, ab eius potestate eximantur? Num parochus valide matrimoniis assistat in tali domo?*

Resp. 1. Si qua domus religiosa vel pia sit exempta, huiusmodi privilegio fruuntur omnes et singuli *familiares*, nempe qui diu noctuque degunt in ea, ex analogia cum can. 514, § 1. Satis est ut quis per unum diem aut ad unum diem familiaris sit, ideoque, posita ea intentione, etiam post pauca minuta gaudet privilegio exemptionis a parochi potestate.

2. Si locus sit qua talis exemptus, omnes actu ibi commorantes exemptione gaudent. Sed eo ipso quod Episcopus ad normam can. 464, § 2 subducat a parochi iurisdictione religiosas familias vel pias domos, nequaquam sequitur, territorium, in quo illae exsistunt, effici *extra-paroeciale*. Unde parochus valide assisteret matrimoniis in iisdem, utpote in proprio territorio, celebratis. Excipiendus casus, in quo perspicue constet Episcopum confinia paroeciae revera mutasse.

IV. *Num Episcopus partem territorii separare valeat eamque peculiari rectori adsignare, qui curam animarum ibi exerceat pleno iure?*

Resp. 1. Procul dubio Episcopus potest dividere paroeciam eiusque partem in vicariam perpetuam erigere ad normam can. 1427, § 1, ubi peculiaris rector seu vicarius universam animarum curam exerceat.

2. Sed nequit Episcopus ita dismembrare paroeciam, ut partem territorii *omnino separatam* et *avulsam a territorio paroeciae* declaret, quin novam paroeciam inde canonice constituat. Ratio manifesta. Ultima enim divisio territorialis ex iure *communi* (can. 216), cui Episcopus derogare non valet, est divisio paroecialis. Unde territorium iure Codicis ad aliquam paroeciam (non loquimur de locis missionum) necessario pertinet, ut ipsa vicaria perpetua. Quare aliud est *separare* partem territorii eamque regendam committere peculiari rectori, aliud illam *seiungere omnino* ac *tamquam avulsam* habere a territorio paroeciae, quin nova paroecia canonice instituatur.

V. *Num valide contrahat matrimonium vir catholicus cum muliere haeretica, et vicissim, si pars catholica sub hac expressa condicione ineat, nempe ut pars haeretica postea ad fidem catholicam convertatur?*

Resp. 1. Vel condicio ponitur ut *suspensiva*, vel ponitur ut *resolutiva*. Si primum, est condicio *de futuro* eaque, ad normam can. 1092, 3^0, valorem matrimonii suspendit usque dum verificetur. Si alterum, est contra indissolubilitatem matrimonii ideoque vitiat ipsum consensum.

2. Si nec suspensiva nec resolutiva sit, quatenus pars catholica *hic et nunc*, i. e. in actu celebrationis matrimonii, voluerit revera validum coniugium inire, dubitandum non est de eiusdem valore, cum in tali casu vera et proprie dicta condicio defuerit.

FELIX M. CAPPELLO, S. I.

Nota super quadam rubrica de defectu vini.

Quid celebranti agendum est si quando, post quam hostiam consecratam iam sumpserit, animadvertat consecrationem calicis non esse valide peractam, ut puta quia pro vino aqua in eum infusa sit? Profecto complere debet imperfectam consecrationem infundendo primum in calicem aptam materiam, si haec defuerit, et iterando in eam formulam alterius consecrationis. At praeterea quaeri potest utrum altera quoque hostia consecranda sit an fas sit calicem solum consecrare, sicut solus consecratus erat panis, ita ut duae quasi dimidiatae consecrationes, quamvis divisae, unam tamen integram efficiant.

Notum est quo modo *Missale romanum*, De defectibus in celebratione missarum occurrentibus, IV, 5, istum « casum » solvat; utile tamen erit eius verba huc referre. Haec scilicet praescribit:

« Si hoc (mimirum defectum quem diximus) advertat post sumptionem corporis, vel huiusmodi aquae: apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel, si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi cetera ».

Secundum istam solutionem igitur melior agendi ratio ea est, ut sacerdos non solum calicem sed alterum quoque panem consecret; ab iteranda autem panis consecratione abstinere ei non licebit, nisi gravi de causa, nimirum scandali vitandi causa.

Eamque nostram interpretationem, si necesse esset, confirmaret quod eadem rubrica in missali

Pii V, quale erat ante recognitionem Clementis VIII, priorem tantum solutionis partem complectebatur.

Praeterea ad finem istius prioris partis, pro verbis hodiernis *quamvis non sit ieiunus*, legebantur haec: *quamvis aliam hostiam consecratam, vel aquam sumpserit, propter sacramenti integritatem in celebratione servandam.*

Tamen nobis non liquet haec ultima verba rationem exprimere propter quam non solum calix sed alter quoque panis sit consecrandus sed explicare tantum qua ratione licere possit sacerdoti communicare non ieiunum.

At quidquid putandum est de istius sententiae significatione, operae pretium est inquirere quare missale romanum tamquam probabiliorem propositi casus solutionem illam e duabus proponat cuius exsecutio non ita facilis est et hoc non leve incommodum habet quod potius quam ad unum integrum sacrificium, ad unum et dimidium peragendum adducit.

Num fortasse ad perfectiorem sacrificii eucharistici expressionem necesse est ut corpus Christi aliquantum temporis spatium, quamvis breve, physice simul sub specie panis et vini praesens sit, eo quod isto tantum praesentiae modo plene significetur separatio corporis et sanguinis Christi in immolatione crucis ? Immo nonne haec erat sententia S. Thomae, (1) cuius certe est solutio in missale Pii V admissa ?

Certum est non paucos theologos antiquos et etiam hodiernos existimare solutionem a missali romano commendatam, e rationibus quae cum natura eucharistiae intimo nexu coniunctae sunt explicari debere. Ita, ut unum alterumve exemplum afferamus, Lacroix, *Theologia moralis*, l. VI, p. II, n. 545, edit. Ravennae, 1761, p. 257 iterum novam hostiam con-

(1) Summa theol. 3, q. 83, a. 6, ad 4.

secrare incipiendo a verbis : *Qui pridie quam pateretur,* consultius esse scribit, saltem si celebretur privatim « nam cum species panis sint sumptae, non videntur amplius posse conficere unum sacramentum cum speciebus vini, quod necdum fuit positum in altari nec simul oblatum est ».

Animadvertendum est tamen rationem a LACROIX allegatam non esse e perfectiore sacrificii crucis expressione desumptam sed e necessaria unitate sacramenti, quae in altera seu benigniore solutione non nihil periclitari videtur.

LACROIX secuti esse videntur E. GENICOT - I. SALSMANS, *Institutiones Theologiae moralis*[11], II, n. 214, ubi affirmant rationem propter quam alia hostia consecretur, eam esse « ut duae species consecratae simul adsint in altari ».

Utrum necne naturae sacrificii vel sacramenti eucharistiae convenientius sit ut panis et calix consecratus simul in altari praesentes sint, consilium nostrum non est hic indagare. Certe nihil est in narratione institutionis eucharistiae apud S. Paulum et in evangeliis quod talem conventiam innuat. In iis enim narrationibus refertur Christus calicem consecravisse post quam panem suis apostolis dederat, utique ut statim ab illis comederetur; immo e narratione S. Pauli et S. Lucae inferendum est consecrationem panis cenam praecessisse, consecrationem vero calicis eam subsecutam esse. Sed quoniam solutio casus in missali romano tamquam probabilior exhibita auctoritate S. Thomae, ut diximus, nititur, primum omnium nobis quaerendum visum est qua ratione s. doctor ad talem sententiam amplectendam adductus sit.

Rationem suae sententiae ita profert :

« Quod ideo dico, inquit, quia si diceret (sacerdos) sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi, et sicut dicitur in praedicto

canone Toletani concilii (1), perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a consecratione sanguinis et repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata : cum in illis verbis occurrant quaedam dicenda et facienda non solum circa sanguinem sed etiam circa corpus ».

Ratio igitur iterum consecrandi panem est ut servetur debitus ordo consecrandi, istaque subobscura verba ex iis quae sequuntur explicantur. Iam vero quamvis non multo clarior sit expressio concilii Toletani affirmantis perfecta non esse sacrificia nisi perfecto ordine compleantur, e contextu tamen liquet inter ultima haec verba praecipuum, quod ad sensum spectat, esse vebum *compleantur.*

Totus enim canon est de complendo sacrificio missae quod propter incidentem celebrantis aegritudinem ab eo compleri non potuit ; non distinguit autem quo missae loco interruptio interveniat, nedum quidquam praescribat de iteranda consecratione. Quinam sit igitur iste rectus ordo quem S. Thomas in missa servandum esse affirmat, non definitur nisi in ultima sententiae parte, nimirum inde a verbis, *Si vero inciperet.*

Rectus ordo scilicet postulat ut orationes quae inter consecrationem et communionem dicendae sunt et ritus qui eodem intervallo complendi sunt, recte, id est cum debita veritate, dicantur et compleantur. Id autem fieri non potest, nisi simul adsint panis et calix consecratus, quoniam istae orationes istique ritus plerumque cum ad panem tum ad calicem pertinent.

(1) Nimirum in concilli *Toletani VII,* 684, can. 2, Mansi 10, 767 C-768 A, in quo statuitur « ut cum a sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis accidat cuiuslibet eventus quo coeptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum episcopo, vel presbytero alteri, consecrationem exequi officii coepti. Non enim aliud ad supplementum sui initiatis ministeriis competit, quam aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio sacerdotis : quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur ».

Ratio ergo solutionis a s. Thoma propositae nullatenus ad naturam eucharistiae, sive tamquam sacramentum sive tamqnam sacrificium consideretur, pertingit sed rectam tantummodo orationum et rituum quorumdam recitationem et exsecutionem respicit.

Ita certe interpretatus est mentem S. Thomae Dominicus Soto, *In lib. IV Sentent.* d. 13, q. 2, art. 6 ad 4, Venetiis, 1584, I, p. 674.

« Et ratio (istius solutionis) est, inquit, quia vel sufficeret tunc sanguinem consecrare et illico sumere, praetermissis signis et verbis, quae fiunt a consecratione calicis usque ad sumptionem ; et hoc non, quia cum in illis tam fiat mentio sanguinis quam corporis, sequitur ut quae illucusque facta fuerant, non fuerint legitima, atque adeo sint iterum repetenda. Si autem repetantur omnia, tunc, quia hostia nulla est, pari ratione non fient legitime ; quia fieri debent simul super corpus et sanguinem, ut vere dicatur, *Panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae* ».

At si talis fuit re vera sententia s. Thomae, liquet eius solutionem ista suppositione niti, quod in proposito casu non satis sit ut celebrans defectum prioris consecrationis reparet sed quod debeat insuper omnes orationes quae inter consecrationem et communionem dicendae sunt iterare, ritusque omnes repetere. Et proinde si ista orationum et rituum iteratio necessaria non esse demonstretur, iam nulla ratio apparet iterandi panis consecrationem.

Iam vero nullus est hodie theologus qui existimet umquam necesse esse istas orationes et ritus iterare, eo quod primum eorum veritati aliquid defuerit.

Haec igitur sit conclusio nostra. 1. Ratio S. Thomae non iam quadrat ad morem hodiernum supplendi defectum. 2. Nisi ergo competens auctoritas ipsam rubricam recognoscere voluerit, alia ratio quaerenda

videtur praeferendi appositionem utriusque speciei soli repetitioni alterius consecrationis.

I. M. HANSSENS S. I.

Solutio casus propositi p. 95* de piis voluntatibus implendis

Ad I. Potestati Episcopi istud prima specie adversari videtur, quod ab onere cuius exsecutio facta sit impossibilis, fabrica se simpliciter liberam existimare queat.

In his rebus tamen suprema norma decidendi e voluntate testatoris desumenda est, et quidem ex eius interpretatione, deficiente eius significatione.

Iam vero, cum Episcopi sint, vi can. 1515 § 1, exsecutores omnium piarum voluntatum, interpretatio ista Episcopis iure canonico committitur.

Ii igitur iudicare possunt utrum testatoris voluntas fuerit tollendi onus quod exescutione compleri nequeat, an potius substituendi onus pium similis rationis.

Itaque ad I respondemus, fas esse Ordinario loci ut pro panibus qui distribui non possunt, aliam piam erogationem pauperibus loci utilem substituat; et fabricam ecclesiae teneri ad obtemperandum Ordinario loci.

Ad II. Iacobus qui, sine ulla distinctione, omnes eleemosynas in communes suae ecclesiae sumptus expendit, nullatenus approbari potest. Etenim:

Norma ab ipso tenenda haec est ut in finem ad quem eleemosynae datae esse rationabiliter intelleguntur re vera adhibeantur. Itaque:

1. Destinatae cultui S. Ioseph, in primis promo-

vendo isti cultui in ista ecclesia deputari debent: per altaris ornatum, celebrationem festi, institutionem cuiuspiam sollemnitatis. Postquam cultui S. Ioseph in ea ecclesia abundanter provisum fuerit, eidem cultui alibi promovendo, vel etiam diffundendis imaginibus et scriptis in honorem patriarchae deputari poterunt.

Depositae autem pecuniae in capsa quae inscribitur: *pro cultu S. Ioseph*, isti cultui manifesto destinantur.

2. Vox *Madonna* per se vel imaginem specialem vel B. Virginem in universum designare potest. Si, utputa quia arca est ante imaginem quae a fidelibus colitur, isti censentur suis eleemosynis ad cultum istius imaginis aliquid conferre velle, iam redeunt dicta de eleemosynis pro cultu S. Ioseph, nisi quod hic non omni cultui B. Virginis sed speciali isti imagini eleemosynae destinantur. Is manifestius erit casus de arcis quae ante imaginem in viis positam locantur.

Si autem, ex contextu, inscriptio refertur ad B. Virginem indeterminate, usus haberi et cognosci potest qui permittat eleemosynas omni operi pio tribuere, saltem postquam bene cultui B. Virginis in dicta ecclesia provisum fuerit. Omni enim opere bono Maria honorari potest. Ac fideles, si conscii sint talis usus, eundem tacite approbare existimantur. Tunc igitur licebit Iacobo partem earum eleemosynarum in utilitatem suae ecclesiae expendere.

Secluso tamen huiusmodi usu *qui notus sit fidelibus*, eleemosynae insumi debent primo in colenda B. Virgine in ista ecclesia; dein in aliis operibus quae ipsa specie externa ad cultum B. Virginis referuntur.

3. Si vero capsa nullam inscriptionem habuerit, eius silentium tamen loco ubi posita est facile supplebitur. Per se enim quae est ante piam imaginem existimatur recipere eleemosynas pro ista imagine vel pro sancto quem imago repraesentat. Si silentium loco

non suppleatur, vel usus aliam significationem demonstret, tunc Iacobo licebit ad omne opus pium, ac proin etiam ad ecclesiam suam instruendam eleemosynas sic collectas adhibere.

N. B. Si gravis causa ampliorem facultatem disponendi requirat, adeunda est S. Sedes, quae supremam gerens causarum piarum administrationem, pro meliore bono, intentiones istas mutare potest.

Ad III. Praesumptio est pro taxa synodali. Si tamen usus vere invaluerit quo fideles qui in istam ecclesiam stipendia offerunt, ultro superiorem taxae pecuniam solvant, Gregorius hanc voluntatem fidelium de eleemosynis in capsa depositis praesumere potest. Suadendum tamen est ut haec componat cum Ordinario loci, qui usus novisse censetur et magis obiective, seu sine periculo cedendi propriae utilitati de re sententiam feret.

Casus de benedictionibus diaconorum

Sylvester, recens ordinatus diaconus, ordinem receptum exercere valde cupit: quod menti Ecclesiae consentaneum esse ceterum existimat. Quare libenter se offert ad sacras peragendas functiones. In qua tamen re, zelus eius non fuit exemptus a tribulatione, sicut sequentes casus demonstrant.

I. Rogatus a sacerdote qui solus in ecclesia confessiones excipiebat, ut sacram communionem dispensaret, ipse in fine manu populum benedixit.

In alia occasione, cum s. communionem, ex parochi delegatione, ad infirmum detulisset, redux in ecclesiam populum cum s. pyxide etiam benedixit.

II. Cum instaret hora cantandi laudes vespertinas, parochus ad moribundum iuvandum vocatus, a Syl-

vestro petiit ut vellet ipse laudibus praeesse. Sylvester incunctanter annuit, atque stola diaconorum indutus processit ad altare. Ne mirationem populi excitaret, ipse, ut ibi mos erat, ante primam orationem cantavit *Dominus vobiscum*; in fine autem piae caerimoniae, existimans ostensorium et pyxidem non substantialiter differre, etiam benedictionem cum ostensorio impertivit.

Verum Salomon, vicarius foraneus, cum haec accepisset, Sylvestrem monuit ipsum contraxisse irregularitatem ex delicto usurpati ordinis non sui.

III. Invitatus a familia ut praelegeret formulas consecrationis familiarum SS. Cordi Iesu, stolam more diaconorum induit et valde devote actus recitavit. Qua devotione commota familia, in fine ad eius genua procumbit benedictionem flagitans. Haerens dubius, consuetam formulam benedictionis, facto signo crucis pronuntiavit.

Subinde a studioso iuris canonici monitus diaconos nec licite nec valide alias benedictiones impertire posse praeter eas quae ipsis positive conceduntur, iterum de commissa irregularitate anxius esse coepit.

Quid de istis irregularitatibus sentiendum est?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De Simoniae poenis l. s.

I. Num poenae sancitae canonibus 729 et 2392 afficiant etiam reum simoniae iuris tantum ecclesiastici.

Brevis nota interpretationis doctrinalis.

Haec quaestio dum a multis silentio praetermittitur (1), a nonnullis sine ambagine negative resolvitur (2) et ab aliis est proposita tamquam controversa utut in partem affirmativam plus minusve decretorie accedant. Hos inter eminent egregii canonistae nostri. Iosephus Creusen et Fel. Cappello, unus e praecipuis scriptoribus et censoribus « Periodicorum ». In tanta varietate opinionum, ut haesitationi succurratur qua confessarius vel doctior in praxi vexari forte possit, paucas vellem animadversiones subiicere iudicio horum meorum consodalium, ex quibus sententia negativa firmari valeat motivumque appareat cur ab eiusdem patronis firmissime asseverari potuerit.

I. *Ad statum quaestionis* determinandum, prae oculis retinenda est vulgaris et antiqua simoniae iuris

(1) Vg. ab Eichmann, *Das strafrecht des Codex I. C.*, § 80; a Ruemmer, O. P., *Manuale Theol. mor.* II, 566. Etc.

(2) V. g. Cerato, *Censurae*, n. 87, 2° c; Pighi, *De praeceptis*, n. 540 ss; Génicot-Salsmans, 5. 3. *Institutiones Theol. mor.*, II, 603; Piscetta-Gennaro S. S. *Elementa Theol. mor.* IV, n. 424

divini definitio § 1 canonis 727 explicata, simulac descriptio simoniae iuris ecclesiastici § 2 eiusdem canonis relata: utraque profecto plene concordat intellectui iuris antiqui et iurisprudentiae omnium aetatum, ideoque, sicut edicitur can. 6, 2°, ex veteris iuris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus canon iste est aestimandus. Verum quod ad poenas huic delicto iure sancitas, attinet, non solum ad tramitem canonis 6, 5°, tamquam abrogatae habendae sunt illae quarum in Codice nulla fit mentio, unde, ad canonem 18, intelligendae sunt ex sola praesenti legislatione; sed eo certius excludunt respectum ad antiquam quo luculentius apparet, uti scribit ipse P. Cappello (1), « nos hodie iure formaliter prorsus novo uti ». Nimirum quoad istas poenas, ex canone 22, « lex posterior... obrogat priori, si... totam de integro ordinet legis prioris materiam ».

II. Magnopere refert diligenter rimari discrimen quo secernitur simonia iuris ecclesiastici a simonia iuris divini, prout in § 1 et § 2 canonis 727 exhibentur. Aliae nimirum permutationes § 2 recensitae, non sensu *univoco* cum permutationes de qua in § 1, appellantur *simonia,* sed sensu *analogico* tantum *analogia proportionis*, in ordine ad eumdem genericum finem, quia non *intrinseca* alterius simoniae forma, sed extrinsecus ratione *praesumpti periculi* irreverentiae in res spirituales prohibentur ab Ecclesia (can. 727 § 2). Propterea Card. Lega iam octodecim annis ante Codicis promulgationem, egregie explicabat quomodo, si fierent absque legitima facultate, censebantur *in foro Ecclesiae* seu *de praesumptione iuris* suspicionem et labem simoniae iuris divini inducere. (2) A qua praesumptione reus manifesta demonstratione se purgare poterat.

Huiusmodi porro distinctio, tantum abest ut « nec

(1) F. Cappello S. J., *De Censuris,* (1929), N. 360.
(2) Lega, *praelectiones in textus I. C.* IV. 19.

explicite nec implicite » fiat a iure novo, ut potius apertissime significetur terminis ipsis utriusque § canonis 727 : non solum non aequiparantur binae istae descriptiones *simoniae*, sed praedicatis *contradictoriis* secernuntur. Altera significatur oriri ex sola Ecclesiae prohibitione, propter motivum religionis, ob periculum irreverentiae ; nequaquam vero propter specificam illam sacrilegam aequiparationem in § 1 canonis expressam : motivum enim exprimitur terminis tantum genericis *ob periculum irreverentiae erga res spirituales ;* ac periculum huiusmodi est tota ratio cur violationes illarum prohibitionum *nomen accipiant simoniae*, dum praecipua earum reitas consistit in eo quod neglecta vel spreta sit Ecclesiae auctoritas. Habemus itaque heic utique illam *suspicionem et labem* simoniae iuris divini, quae in foro Ecclesiae seu de praesumptione iuris imputatur reis illis, donec se ab ea purgaverint ; sed inde non sequitur poenas easdem innovari, quibus antiquo iure plectebantur. (1)

Imo cum motivum prohibitionis dicatur esse in genere periculum *cuiuscumque* irreverentiae in res spirituales, nec solum, uti paulo antea innuebatur, specificae illius aequiparationis de qua in § 1, deberet supponi Ecclesia eamdem labem reperire in *quacumque* huiusmodi irreverentia etiam minus gravi, ideoque ad rigorem canonis, si poenis plectuntur iisdem ac ipsius iuris divini delictum, irreverentia ista etiam minus gravis easdem gravissimas poenas induceret. Quae esset flagrans violatio eorum quae ab eodem legislatore statuuntur tamquam norma in poenis decernendis § 1 canonis 2218. Sin minus ipse inaccuratae expressionis arguendus esset, in illo *qualiscumque* irreverentiae periculo. Mens autem eius profecto est aliena ab illa ei attributa aequiparatione.

---

(1) Cfr. Schmalzgrüber V, Tit. III, *De simonia*, nn. 275, 276.

III. Verum ex dictis ipsa adversa sententia aliquatenus videretur posse subsumi. Nam principium generale est eamdem specificam malitiam reperiri in periculo delicti vel peccati, qua specificatur ipsum peccatum vel delictum, adeo ut legislator aequitatem non violet, si poenam statuerit et periculo et ipsi delicto identicam, Ergo. — RESPONDETUR tamen haec omnino vera esse atque exinde legitima fuisse comprobatur antiqua illa disciplina et sanctio quam paulo superius memoravi. Atvero eadem nequaquam demonstratur innovata iure novissimo, quod, uti nos docet P. F. Cappello, quoad poenas simoniae inflictas, totam de integro ordinavit legis poenalis materiam ideoque antiquae legi obrogavit.

Revera IV, uti demonstratum est, suppositum contrarium quod scilicet Codex in citatis canonibus neque explicite neque implicite distinguat utramque simoniam, quando poenas crimini infligit, est exegetice falsum, dum distinctio ostenditur in canone 727 expressissime significata. Eam igitur interpres sibi assumere debet, et tantum abest ut possit appellare « notum axioma, *ubi lex non distinguit* etc. », ut e contra applicare debeat canonem 2219 quo prohibemur poenas extendere de casu ad casum, quamvis par adsit ratio; cum insuper ne paritas quidem ista in praesenti perfecte comprobetur, uti ostensum est.

V. Porro legislator ipse hanc mentem suam demonstrare visus est, dum, ut de aliis non paucis taceam, alias statuit poenas canonibus 2393 - 2396, adversus quemlibet abusum simoniae iuris ecclesiastici, quo nimirum, neglecta vel spreta Ecclesiae auctoritate, mutationes illae de qua in § 2 canonis 727 proprio marte committuntur.

VI. Videtur igitur concludendum novo iure plecti poenis illis canone 2392 recensitis, quamcumque simoniam *Iuris Divini tantum,* quae occurrerit in qui-

buslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis, firmo praescripto canonis 729. Nomine autem indeterminato non restringitur poena ad simoniam realem tantum, sed quaevis alia iuris divini plectitur, sive sit mentalis (scilicet aliquatenus *studiose* externata), sive conventionalis, pura, mixta aut realis. Imo illa etiam quae confidentialis in beneficiis denominabatur, etsi desierit esse qualificata ideoque speciali poena sancita, si tamen incluserit hanc iuris divini laesionem, nec solum suspicionem aut labem, poenae communi subiacet.

VII. Unde ad tramitem canonis 2200, nisi reus contraria demonstratione excluserit hunc reatum, dolus praesumitur eo ipso quod absque venia debita, vel extra casus qui canonibus ipsis excludentur, uti v. gr. can. 730, mutationem admiserit sensu canonis 728 inclusam. Unde reus diversis poenis plectetur pro diversitate reatus simoniae vel iuris divini vel iuris tantum ecclesiastici.

Nova itaque legislatio dum ad simpliciorem formam reduxit totam poenae huius delicti disciplinam, eam simul ampliavit relate ad extensionem specifici delicti.

In hac brevi nota spectatae sunt tantum poenae canone 2392 commemoratae : sed eamdem solutionem absque difficultate applicare licet omnibus canonibus qui idem delictum aliquatenus attingunt, quin immorer in eis enumerandis.

7 Octobris, 1929. G. Arendt, S. I.

II. **Observationes pro sententia affirmante**

Pauca dicenda videntur, ut satisfiat animadversionibus egregii P. Arendt, atque ita nostra aliorumque sententia confirmetur.

1° Codex in can. 727 expresse distinguit simoniam iuris divini et simoniam iuris ecclesiastici atque utriusque genuinum conceptum perspicue tradit.

At ubi agitur de *poenis* statutis contra reos simoniae, « nec explicite, nec implicite » ut alias diximus, distinguit inter simoniam iuris divini et simoniam iuris ecclesiastici. Deficiente igitur distinctione, necessario applicandum est notissimum iuris principium: « *Ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus* ». Si legislator in can. 729 et 2392 voluisset comprehendere dumtaxat simoniam iuris divini, id expressis disertisque verbis exprimere debuisset; secus aut minus recte aut saltem minus accurate esse locutus dicendus foret. Quod a priori excludendum, ne ulla irreverentia in supremum legislatorem sit.

2^0 Quae clariss. P. Arendt tradit de conceptu simoniae iuris ecclesiastici, ratione praesumpti periculi irreverentiae in res spirituales, sunt verissime dicta; at contra sententiam oppositam nihil evincunt. Nam delictum simoniae iuris ecclesiastici eatenus dicitur obnoxium censurae, quatenus *revera* exsistat, et quidem *cum omnibus iis condicionibus* quae in can. 2242 § 1 recensentur, nimirum ut sit *delictum externum, grave, consummatum*, etc. Ultro concedimus, iure Codicis, rarissime contingere casum quo practice constet de delicto simoniae iuris ecclesistiaci in officiis, beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis, ita ut incurratur excommunicatio de qua in can. 2392. Inde tamen minime sequitur denegatio principii superius traditi.

3^0 Incassum forte opponitur regula in can. 2219 § 1 enuntiata; tum quia, nostra aliorumque sententia, nulla datur solida ratio dubitandi; tum quia aliud est loqui speculative, aliud practice, i. e. de interpretatione et applicatione poenarum in singulis casibus occurrentibus, in quibus non immerito quis sequi poterit normam in can. 19 et 2219 § 1 contentam. Nihil inde contra doctrinam traditam.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

I. — De Canonicis eorumque chori obligatione.

Quaesitum. Constat ita ut id non controvertatur, legem qua canonici ad psallendum in choro obligantur non esse mere poenalem, sed simul debito conscientiae et privatione distributionum cotidianarum et ratae partis praebendae sanciri. Notum simul est indultis S. Sedis seu S. Congr. Concilii non nullas dispensationes ob iustas causas concedi, esse etiam causas propter quas ex Ordinarii loci licentia canonici legitime absunt a choro. Cfr can. 421, § 1, 1° et 2°.

Inde **quaeritur,** utrum ex sola Ordinarii loci licentia, canonicus semel in hebdomada partes *praefecti spiritus* in seminario explere, relicto ea die choro, legitime possit, vel *ad praedicandum* a choro abesse possit, an etiam in his casibus indultum S. Congr. Concilii requiratur.

Resp. Supponimus non agi de canonico theologo qui praedicatione, vel de canonico paenitentiario qui audiendo confesssiones munere suo funguntur: uterque enim ipso iure can. 420 excusatur.

Supponimus etiam non agi de tribus mensibus continuis vel intermissis, quibus hodie, ex communi saltem can. 418 iure, canonici abesse possunt.

His suppositis, cum distinctione respondendum esse arbitramur.

1. Qui munus gerit praefecti spiritus in seminario est virtualiter doctor scientiae sacrae in publica schola cui maxime favet ius commune. Ergo in eum cadit can. 421 § 1, 15.

2. De praedicatione autem quam canonicus passim in variis locis peragit nulla mentio est in can. 420 vel 421. Iam vero hodiernus S. Congregationis stilus est ut enumeratio ista pro taxativa habeatur. Praeterea

usum istum contiones habendi quibus quis a choro dispensetur ansam praebere abusionum facile intelleget quicumque recogitat contiones istas non raro stipendio quod cotidianas distributiones excedit ornari. Quare indulto apostolico in hoc casu opus esse censemus.

A. VERMEERSCH S. I.

II. — De Religiosis.

1. **Quaesitum.** Communitas Congregationis dioecesanae feriari solet extra dioecesim ubi est canonice erecta. In illa dioecesi aliena, ubi nullam domum possidet quae canonice sit erecta, potestne Superiorissa cui ex Constitutionibus competit, religiosas sibi subditas admittere sive ad renovanda vota temporaria, sive ad perpetua nuncupanda?

Resp. — *Id facere potest valide et etiam per se licite,* sive ipsa admittens Superiorissa, sive Sorores professurae extra dioecesim versentur.

Ratio est *a)* quia, ex can. 201 § 3, potestas iurisdictionis voluntaria quis exercere potest « aut extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem ». Id igitur valet de tacita approbatione iurisdictionali Antistitis qui Instituto dioecesano praeest, et fortiori ratione de potestate dominativa Superiorissae, cum haec potestas magis sit personalis.

b) Quia nullo Codicis canone requiritur ut vota in territorio Superioris nuncupentur, nec periculum est ne facta extra territorium vota qualitate sua publica spolientur. Publica enim sunt ex quo « nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico » acceptentur. Cum legitimi sint Superiores, et legitima sit eorum acceptatio, nihil re vera desideratur.

2. **Quaesitum.** Potestne canonice erigi domus Congregationis dioecesanae in aliena dioecesi, etiam si re-

ligiosae vel religiosi ibi per solos duos menses quotannis degant?

Resp. — *Valide et licite erigi potest,* dummodo erectio ab Ordinario loci peragatur. Etenim:

Ut scripsimus in *Epitome Iuris can.*, n. 183, pag. 139, « nihil repugnat quin aliquis duo vel tria domicilia voluntaria habeat... qui soleat per aliquot menses, singulis annis, in tribus locis habitare ». Addimus erectionem istam ab Ordinario loci peragendam esse, ut observetur c. 495, qui consensum postulat utriusque Ordinarii tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo Congregatio ea domus erectione velit commigrare; et stetur perpetuae normae, quae can. 495 § 2 insinuatur, aedes in variis dioecesibus erectas esse singulas singulis Ordinariis locorum aeque subiectas.

3. **Quaesitum.** Estne fas Superiorissae generali personam Instituto suo extraneam delegare ut absentis Sororis vota excipiat.

Resp. — Si Constitutiones — quibus in primis parendum est — de re sileant, *id fas esse arbitramur.*

Etenim can. 199 § 1, sine addita clausula restrictiva, simpliciter sinit ut *ordinaria* potestas iurisdictionis alteri ex toto vel parte delegetur. Huic autem aequiparatur potestas recipiendi vota. Solutio confirmatur responso Pont. Commiss. 1 mart. 1921, quo declaratum est Episcopum vel eius delegatum qui secundum Constitutiones vota recipiat haberi posse ut Superiorem qui, ad recipienda vota, secundum can. 572 necessarius est, cum habeat legitimum mandatum. Sic etiam c. 875 § 1 expresse permittit ut Superior religionis clericalis exemptae iurisdictionem paenitentialem etiam extraneis sacerdotibus concedat.

III. — De censuris

1. **Quaesitum.** Titius qui, cum sit in sectam massonicam cooptatus, excommunicationem l. s. contraxit, confessionem peragit apud sacerdotem cui potestas in hanc censuram data erat. Coepta confessione, fatetur etiam aliud peccatum grave. Praescriptis confessarii de censura obtemperare se paratum dixit, proximam autem alius peccati occasionem deserere renuit. Hinc quaerit confessarius, qui paenitentem sine absolutione dimittere cogitur, utrum necne eum a censura absolvere valide et licite possit.

Resp. — *Id facere valide et licite potest.* Mala paenitentis dispositio quod ad aliud peccatum non impedit quin confessarius versetur in actu sacramentalis confessionis excipiendae, in qua a censuris absolvere potest.

Distinctae enim causae sunt absolutio a censuris et absolutio a peccatis. Cfr *Epitome I. C.*, III 445; CAPPELLO, *De censuris*, 106.

2. **Quaesitum.** Privilegium generale concessum absolvendi a censuris reservatis, complectiturne etiam censuras quae in posterum reservarentur?

Resp. — Cum privilegium istud *genus* huiusmodi censurarum, potius quam has vel illas censuras reservatas, attingat, respondendum est etiam *in censuras futuras* privilegium istud cadere.

Solutio casus propositi p. 159*, De Benedictionibus diaconorum.

Principium, in hac re attendendum, ipso can. 1147 § 4 explicite pronuntiatur. « Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur ». Inde:

Ad I. Nuper, anno 1926, editum Rituale Romanum, Tit. IV, c. 2, n. 10 et c. 4, n. 28, expresse diacono totum ritum sacrum servandum, non aliter ac sacerdoti, permittit, quando, in dispensanda eucharistia, deficientem sacerdotem legitime supplet. Quocirca, postquam ss. eucharistiam dispensavit, populum benedicere potest, sive manu, si intra ecclesiam communiones dandae fuerunt, sive cum pyxide, cum ab infirmo refecto in ecclesiam redux est.

Confessarius tamen nullam diacono licentiam dare poterat distribuendi sacram dapem. Ex can. enim 845 § 3, huiusmodi licentia Ordinario vel parocho reservata est. Verum idem canon sinit ut in casu necessitatis licentia praesumatur. Itaque, si multi erant paenitentes et multi communicandi, casus necessitatis habebatur, et diaconus, ad ministrandam ss. eucharistiam, absentis parochi facultatem praesumere poterat.

Ad II. Sollemniorem, cum ostensorio benedictionem diaconus dare non poterat. Si parochus nimis diu exspectandus erat, debuisset, omissa benedictione, ostensorium reverenter in tabernaculo reponere.

Estne autem inde factus irregularis? Id negari posse existimamus, quia, cum diaconus sit extraordinarius ss. eucharistiae minister, non videtur usurpasse ordinem nullatenus suum.

Ad III. Benedictio in huiusmodi occasione familiae data referri potest ad genus benedictionum quas pater, quas Superiorissa, quas vir senex, quas moribundus impertiunt. Est privata, et data a persona quae characterem sacrum possidet. Quare nec timenda est irregularitas, cum etiam recte data sit.

Casus de Censuris.

I. Titius, cum peccatum cui annexa est excommunicatio specialissime reservata accusasset, a Con-

fessario absolutus est sub onere recurrendi intra mensem ad S. Paenitentiariam. Ipse autem paenitens promisit se recursurum esse. Re vera tamen neglegens post mensem ad Confessarium redit, ei neglegentiam suam confitendo. Quaerit Confessarius quid sibi agendum iam sit.

II. Caius in excommunicationem specialissime reservatam incurrit. Directe a Confessario absolutus sub onere recurrendi intra mensem ad S. Paenitentiariam, onus istud in se suscipit. Sed re vera nullum recursum instituit. Immo in eandem culpam censura ista punitam reincidit. Confessarius, cui omnia narrat, eum iterum absolvit, sed addit: « hac vice ego pro te recurram ». In litteris autem, nihil dicit de omisso recursu vel de iterata culpa. Mere exponit se directe absolvisse Caium qui censuram specialissime reservatam contraxerat ob talem culpam. Quaerit iam de effectu rescripti quo S. Paenitentiaria sua mandata communicavit?

III. Sempronius confitetur peccatum quod plectit censura quam S. Pontifex ipse sibi reservavit, ita ut Cardinalis Maior Paenitentiarius ab ea absolvere non possit. Inde dubius haeret Confessarius ad quem ipse, post datam absolutionem, recurrere debeat.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De nuperrima editione Indicis (1929)

I. — Index Leonis XIII.

Iuxta normas Const. *Officiorum et munerum,* 25 ian. 1897, « de prohibitione et censura librorum », Leo XIII novum *Librorum prohibitorum Indicem* edendum curavit atque, Apostolica auctoritate confirmatum, pro universa Ecclesia Litteris *Romani Pontifices,* 27 sept. 1900, evulgari iussit.

Eiusmodi Constitutionibus et Indice librorum prohibitorum tota disciplina ecclesiastica de censura et prohibitione librorum ante Codicis I. C. promulgationem regebatur, quin obstarent contrarii aliquarum nationum usus aut consuetudines, ut ex iisdem Pontificiis legibus erui facile poterat, atque expresse per decretum *S. Congregationis Indicis,* die 23 maii 1898, decisum fuit (1).

Porro, post Codicis I. C. promulgationem non defuerunt aliqui, ut R. P. *Dominicus Prümmer,* O. P. (2), qui ob silentium Codicis de *Indice librorum prohibitorum* putarunt libros in Indicem Leonianum relatos iam non videri prohibitos vi proscriptionis in Indice

(1) Card. Gennari, *La Cost. « Officiorum..... »,* p. 24.
(2) *Manuale I. Ecc.,* 2 et 3 ed., quaest. 419.

expressam, sed tantummodo ex eo quod forte caderent sub una ex classibus generalibus librorum damnatorum, quae canonibus Codicis ipso iure prohibentur.

Gravis quidem assertio, aequivalens abrogationi generali Indicis librorum prohibitorum; sed plane singularis et, pace tanti doctoris, omni probabilitate, ut mihi videtur, destituta. Quam ob rem idem scriptor in edit. 4 et 5 sui *Manualis I. eccl.* sententiam non parum emollivit, licet non penitus reformaverit.

Leonianus Index, ante Codicem vigens, seu prohibitiones librorum in Indice relatae et universaliter obligatoriae, nullatenus cessarunt post novi Codicis promulgationem. — Primo, quia omnes in canone 1396, iuxta mentem can. 6, 6°, implicite contentae erant; nam ibi dicitur « libri *ab Apostolica Sede damnati* ubique locorum (1) et in quodcumque vertantur idioma, prohibiti censeantur ». — Comprehenduntur propterea libri ante Codicem per Sanctam Sedem quoquo modo proscripti.

Deinde, hoc ipsum abunde constat ex novis editionibus Indicis librorum prohibitorum, iussu regnantis Pontificis Pii XI, ter per typographiam Vaticanam, anno 1922, 1925 et nuper 1929 evulgatis.

In omnibus iis editionibus retinetur Index Leonianus, additis tantummodo novis post Codicem prohibitionibus.

Insuper, in praefatione primae et secundae editionis sub Pio XI, septimae vero et octavae eiusdem operis, omnino asseritur vigentia Indicis Leoniani, novo Codici accommodati, atque quoad « mendas quasdam quae in prioribus editionibus latuerant » correcti, sed minime in reliquis mutati.

Tota ratio Indicis librorum prohibitorum, evulgati

(1) Etiam viget prohibitio eiusmodi pro Ecclesia orientali (*Decr. S. Cong. pro Ecca. or.* 26 maii 1928. - *Act. A. Sed.*, XX, 120).

iussu Pii XI, in eo est, prout in dicta praefatione habetur, « *ut quae opera sive a Summis Pontificibus per Litteras Apostolicas, sive a romanis Congregationibus fuerint ob quamcumque causam per speciale decretum tribus postremis saeculis prohibita, universis innotescant, ne vetitae eorum lectionis oblivio unquam subrepat, aut ignorantia obtendatur* (1).

Manifesta proinde est vigentia Indicis Leoniani post Codicem I. Canonici, nisi quoad aliquam specialem prohibitionem, deinde a S. Sede in sequentibus editionibus, gravibus de causis, omissam; ideo singularis dicta opinio, de abrogatione Indicis ob silentium Codicis, merito ab AA. communiter reiicitur (2).

II. — **Indice dei libri proibiti riveduto e pubblicato per ordine di Sua Santità Pio P. XI - 1929.**

Haec editio complectitur omnes libros prohibitos particulari decreto S. Sedis et Indici insertos usque ad diem 1 novembris 1929.

Libri titulus, praefatio, normae generales Codicis in subiecta materia, atque practicae animadversiones ad usum, quae in praecedentibus editionibus constituebant priorem partem voluminis et lingua latina erant exaratae, modo proponuntur lingua vulgari italica, quasi hac innovatione, hactenus insolita, significari intenderetur nunc a Sancta Sede praesentem editionem accomodari usui fidelium saecularium, ut ipsi probe intelligant librorum prohibitiones ad ipsos etiam referri, ab eiusque cognosci deberi, praesertim nunc temporis quando pravorum scriptorum colluvione, generatim lingua vernacula, officinae librariae atque

(1) *Index libr. prohib.:* edit. 7a et 8a, 1922, pag. XII; 1925 pag. XV.

(2) Noldin, *de Praeceptis*, n. 709; Vermeersch, *Th. mor.* III, n. 901, 3.; Claeys Bouuaert-Simenon, *Manuale iuris can.*, n. 928; Blatt, de Rebus II parte, n. 285.

ipsae publicae bibliothecae, sapientibus et insipientibus patentes, plane redundent.

Ea propter oportebat catholicis omnibus facilem omnino reddere cognitionem decretorum Ecclesiae de hac re; ideoque lingua vulgari Codicis I. Canonici normas de prohibitione librorum eis proponere.

Utrumque obtinetur in novo Indice; cuius praefatione ab Eminentissimo Cardinali MERRY DEL VAL, Secretario Sancti Officii, subscripta, simul legentes edocentur in motivis gravissimis ob quae magisterium ecclesiasticum indesinenter curavit noxia pascua fidelibus interdicere.

Ob brevitatem omittuntur Constitutiones *Sollicita et provida* BENEDICTI XIV, 9 iulii 1753, de methodo in examine et prohibitione librorum; *Officiorum, ac munerum,* et *Romani Pontifices* LEONIS XIII, 25 ian. 1897 et 17 sept. 1900, de prohibitione et censura librorum atque de novo Indice; *Motu proprio* BENEDICTI XV, 25 martii 1917, de suppressione *S. Congreg. Indicis* eiusque refusione in *Congreg. S. Officii.*

Ex novo inseruntur: *Declaratio S. Congreg. pro Ecclesia Orientali,* 26 maii 1928 de universali obligatione decretorum S. Officii quoad prohibitionem librorum et diariorum, etiam pro orientalibus; *Instructio S. Officii,* 3 mai 1927 de sensuali et sensuali-mystica literatura; atque *Decretum 29 ianuarii 1914* et *29 decembris 1926,* quo damnantur opera CAROLI MAURRAS et ephemeris « *L'Action française* ».

Tandem in praesenti editione aliquot adduntur notae quibus, 1) edicitur libros damnatos, absque speciali mentione personae aut dicasterii prohibentis, interdictos esse ante diem 25 martii 1917 a *S. Congreg. Indicis,* deinceps vero a *S. C. Sancti Officii,* 2) aliquot libros cruce signatos in Indice, prohibitos fuisse forma sollemniore per Apostolicas Litteras, eos vero qui asterisco notantur, esse habendos tanquam proscriptos

donec corrigantur. Eiusmodi tamen distinctiones modum, non autem effectus prohibitionis significat. Ita dicit novus Index p. XXX. Possit addi: non significat diversos effectus prohibitionis *in seipsa;* sed in poenis latae sententiae. Cfr. c. 2318, § 1.

Hactenus exposita satis indigitant differentiam novi Indicis relate ad ea quae in prioribus editionibus post Codicem I. C. legebantur ante secundam partem, sc., ante elenchum ipsum librorum prohibitorum.

Quoad hanc vero postremam sectionem, editio haec nihil differt a praecedentibus nisi quatenus continet libros post eas interdictos, prout antea notavimus, usque ad mensem novembrem 1929.

III. — **Specialis ordo praesentis editionis Indicis ad praeteritas post Codicem.**

Ceterum, nec omissio documentorum insertorum in prioribus dictis editionibus ostendit normas ex eis depromptas esse in posterum supprimendas.

Plures namque ex illis pretiosae omnino sunt, atque adhiberi debent pro recta Indicis interpretatione; nominatim vero iuvabunt, ad intellectionem et usum ipsius libri, regulae quae habentur in Praefatione exarata a *Rdmo. P.* Esser, O. P., Secretario *S. C. Indicis,* et in 7ª atque 8ª editione, conformantur hodiernae disciplinae.

Aliis omissis, exemplo sint quae ibi leguntur de proscriptione sub formula generali « *Opera omnia* », olim frequentius usurpata, ac nunc etiam retenta, sub verbis Indicis: « D'Annunzio », « Brochtonus », « Bruno Giordano », « France Anatole », « Mestrezat », « Molinos », « Proudhon », « Van Espen », « Zola », etc.

Antiquitus sub tali formula « *Opera omnia* » prohibitio comprehendebat cuncta omnino scriptoris opera; et solebat ferri *in odium auctoris.*

Ex nova disciplina, post Const. *Officiorum ac munerum* LEONIS XIII, et Codicem I. C., damnatio sub tali formula non attingit nisi opera edita ante prohibitionem; et si agatur de auctore *acatholico*, ad eos libros non spectat qui nullo modo aut obiter tantum de fidei veritatibus agunt, et nullo decreto generali aut speciali sunt notati.

Si agatur de *catholico* scriptore, quando de aliquo ipsius libro constet neque decreto generali, v. gr., ratione materiae (can. 1399), neque speciali prohiberi, opus tunc a generali proscriptione (« Opera omnia ») exemptum reputari debet (1).

Analogam etiam regulam mitiorem nonnulli applicant formulae generali qua interdicuntur in Indice alicuius A. « *Omnia opera romanensia* » aut, prout modo habetur, « *Omnes fabulae amatoriae* ».

Verbo, talis prohibitio generalis de acatholico et catholico A. omnes et singulos eiusdem libros (de acatholico si de religione sint) suspectos reddit donec constet eos nulla norma generali aut speciali damnari. Si constiterit ita esse, prohibitio « *Opera omnia* » supponit, ut aiunt dialectici, *sensu collectivo* pro *omnibus* libris; non autem *universali distributivo* pro *omnibus et singulis.*

Hinc patet priores editiones Leoniani Indicis cum universa earum suppellectile documentorum primae sectionis, eas praesertim (7^{am} et 8^{am}), quae post Codicem I. C. sub Pio XI prodierunt, minime censeri abrogatas; quin immo optimum praebere subsidium studiosis pro recta interpretatione circa ambitum et vim prohibitionis librorum.

MICH. MOSTAZA, S. I.

(1) *Index librorum prohibit.*, iussu PII XI., edit. 8, 1925, pag. XVII.

Quanam die leges Pontificiae effectus suos irritationis vel obligationis sortiuntur?

Norma generalis et applicatio ad matrimonia mixta in Germania.

Quia in hac re non raro erratum est, operae pretium videtur ut principia recolamus quae deinde ad casum concretum transferemus.

I. Principia seu normae generales.

I. Ante institutum diarium officiale, leges Pontificiae promulgabantur affixione ad valvas Basilicae Vaticanae et S. Ioannis Lateranensis et ad valvas Cancellariae, prope aciem Florae; rescripta autem seu decreta SS. Congregationum, ipsa legitima divulgatione in Officio a quo edita erant.

De proprie dicta vacatione nulla generalis regula habebatur. Sententia quae communior facta erat pronuntiabat immediatam et universalem obligationem omnium legum etiam irritantium. Romae, nisi aliud expresse cautum erat in lege, obligatio erat immediata; extra Urbem, communior opinio nullam dilationem admittebat; sententia autem *solide probabilis*, quam S. ALPHONSUS ut probabiliorem habebat, tenebat leges non obligare nisi intervallo duorum mensium ubique innotescere potuissent; dum tertia sententia Urbem ab aliis territoriis distinguebat; et initium obligationis, pro varia distantia plus vel minus differebat. Cfr S. ALPHONSUS, L. I, c. 1, n. 96, Quaeritur ».

2. Communior opinio suam severitatem ad leges irritantes extendebat. Cuius memorabile exemplum fuit Decretum *Perpensis,* S. Cong. *Episcoporum et Regularium,* 3 maii 1902, quod, ad validitatem professionis sollemnis monialium postulabat ut per triennium vota

simplicia praecessissent; quod decretum pro toto orbe vigere coepit a 4 die maii eiusdem anni, Post C. *Promulgandi,* 29 sept. 1908, tam leges Pontificiae quam decreta SS. Congregationum, sua insertione in Commentarium officiale regulariter promulgantur, ita ut diem sortiantur ex data fasciculo apposita quo continentur.

Codex autem (nulla lex anterior) etiam tempus vacationis can. 9 his verbis definivit: « Leges... vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei ilico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ». Exemplum longioris vacationis desumi potest ex stilo *S. Congr. Rituum,* qui sinit ut decreta quae nova officia vel novas lectiones aut nova festa imperant, vel aliquo modo ordinem calendarii afficiunt tantum anno proxime sequenti observanda sint. De qua re iam S. ALPHONSUS, L. I, c. I. n. sententias recitat.

In supputandis his tribus mensibus, canone 34 § 3 docemur ipsam diem Commentario appositam non esse computandam, cum insertio in *Acta* seu *terminus a quo* non demonstretur ab initio diei facta esse. Haec est ceterum regula generalis quae sensu communi firmatur. Quando enim promulgatio fit incepta iam die, lex, per partem diei praecedentem nondum exsistit nec proin obligare vel quidpiam irritare potest. Si autem per partem posteriorem eiusdem diei efficaciam suam iam exerceret, ipsum momentum editionis Actuum observandum foret, quae res gigneret non modica dubia et confusiones. Quocirca D'ANNIBALE apposite dicit (*Summula,* I, 39): « Cum agitur de aliqua obligatione adimplenda, (Dies) computatur civiliter, nempe a media nocte *diei insequentis;* inde regula: *dies termini* (a quo) *non computatur in termino* ». Et allegat L. I, *Si quis cautionibus* (Dig.) BAR-

BOSA, *Axioma* 71, 5. Idem, I, 202, ait leges obligare *postridie* promulgationis. Itaque haec sedulo distinguenda sunt: dies quo decretum S. Congregationis *conditur;* dies quo a S. Pontifice *approbatur*, si approbatio seu confirmatio quaeritur; dies quo *efficaciam suam sortitur.*

II. Applicatio ad matrimonia mixta Germaniae.

Quam diu Germania mere lege Tridentina regebatur, in omnibus partibus in quibus decretum *Tametsi* erat ut decretum Concilii promulgatum, invalida erant quaelibet matrimonia contracta clandestine, i. e. quae non celebrabantur coram Ordinario vel parocho proprio et duobus testibus. Huic iuri igitur etiam matrimonia haereticorum, et fortiore ratione, *mixta* afficiebantur. Anno vero 1906, 18 die ianuarii, edita est *C. Provida,* quae sola matrimonia catholicorum, inter se contrahentium vi irritanti decr. *Tametsi* obnoxia fecit, ita ut valida essent matrimonia mixta clandestine celebrata.

Itaque, usque ad 18 ian. 1906 *inclusive*, matrimonia etiam catholicorum inter se, quamvis illicita, non erant nulla propter clandestinitatem in partibus ubi decr. *Tametsi* non fuerat rite promulgatum; sed ab ineunte *die 19* non potuerunt valide nisi coram parocho, seu Ordinario vel delegato et duobus testibus contrahi. E contrario, matrimonia mixta, usque ad 18 diem ianuarii clandestine celebrata in locis ubi decr. *Tametsi* erat promulgatum, erant nulla et nulla mansissent, si *C. Provida* non sanasset matrimonia mixta propter eam causam nulla, nisi ante Pascha 1906 legitima sententia eadem propter clandestinitatem infirmasset.

Deinde resp. S. C. *Conc.* 28 mart. 1908, Constitutionem *Provida* restrictive interpretans, declaravit exceptionem de matrimoniis mixtis valere tantum pro

natis in Germania, ibidem matrimonium contrahentibus. Sed decretum istud die tantum 30 martii est a S. Pontifice confirmatum. Eratque latum « *facto verbo cum Sanctissimo* ». Itaque, ad diem 30 martii inclusive Constitutione *Provida* stari poterat. Ergo ab ineunte die 31, non antea, matrimonia mixta clandestine contracta valere non poterant, nisi una saltem pars esset in Germania nata.

Nova autem restrictione, S. Congr. *de Sacramentis,* die 18 mensis iunii 1909, ad I, declaravit ab irritante vi decreti *Ne temere* (quod a 2 aug. 1907 decretum *Tametsi* obrogavit) matrimonia mixta minime eximi, nisi ambo coniuges nati essent in Germania, vel ambo in Hungaria (ad quam regionem regimen Germaniae fuerat extensum). Verum tunc exsistebant *Acta Ap. Sedis,* quae praefatum decretum promulgarunt in fasciculo 1 iul. 1909. Itaque, usque ad 1 iul. 1909, satis erat ut alterutra pars nata esset vel in Germania vel in Hungaria. A *secunda* igitur die iul. 1909 irritans vis decr. *Ne temere* a solis matrimoniis mixtis celebratis inter partes quae *utraque* essent vel in Germania vel in Hungaria natae et in Germania vel respective in Hungaria nuberent effugi potuit. Responsa ista reperiuntur ad calcem operis nostri *De forma Sponsalium et Matrimonii post decretum Ne temere,* ed. 5.

Particulare ius Germaniae fuit abrogatum can. 6 Codicis, ut etiam declaravit *Pont. Commissio Codici interpretando,* 9 dec. 1917, et Praeses Commissionis, 30 mart. 1918; ergo ante quam Codex obligaret. Cum autem Bulla *Providentissima* BENEDICTI XV expresse statuerit praescripta Codicis vim habitura esse a die 19 maii, 1918, ab ista die *inclusive* commune Codicis regimen in Germania vigere coepit (1). Hic enim terminus a quo cum diei initio coincidit.

(1) Cf. DE SMET, *De Sponsalibus,* n. s. 118; WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale* n. 553, nota 83. Responsa ista non sunt promulgata per *Acta Ap. Sedis.*

Quaesita varia

De Forma sponsalium.

In *Acta Ap. Sedis* 8 iul. 1929, p. 375, ad utilissimam Instructionem de matrimonio ordinando ad normam art. 34 Concordati cum Italia, allegatur specimen contractus sponsalicii, qui dicitur subscribendus a parocho *vel ab eius delegato*. Iam vero, die 28 mart. 1908, ad V., S. Congr. *Concili* delegationem a facultate Ordinarii vel parochi excluserat (1).

Quaeritur igitur an alia disciplina nunc inducta sit?

Resp. Negative. Etenim non solet S. Sedes sic ius vel iurisprudentiam suam quadam obiter facta mentione mutare. Lectio igitur ista pro mendosa habenda est, ita ut responsum 1908 plene vigere pergat. Ratio rigoris duplex afferri potest: 1) Cum satis sit alterum adhibere testem, facultas delegandi sine incommodo negari potest; 2) Ordinarius vel parochus personali suo interventu uti possunt ut de futuro matrimonio optima consilia dent quae ad felicitatem matrimonii non parum contribuere nata sunt.

Quaesita Sinensia

I. De art. 328 nuper habiti Concilii plenarii Sinensis, et c. 891.

In n. 328 Conc. Sinensis hoc legitur: « Penuria sacerdotum non potest eximere ab observantia can. 891 ».

Hinc **quaeritur:** Potestne Missionarius, qui solus est in districtu in quo etiam habetur convictus alumnorum, horum confessiones habitualiter audire, quia gravi causa, immo morali necessitate ad id adigatur?

(1) Cfr. VERMEERSCH, S. I. *De forma Sponsalium et Matrimonii post decretum « Ne temere »*, n. 121.

2. Potestne Superior missionis, non obstante penuria sacerdotum, permittere ut huiusmodi convictus aperiatur in quo proin unus futurus sit sacerdos?

Resp. ad utrumque affirmative. Canon 891 edicit: « Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni, ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

Ut ergo locus sit dubio oportet ut missionarius de quo in quaesito, commoretur in collegio et munus Superioris gerat. Hoc supposito *a)* Art. Conc. Sinensis locutus est de *penuria* sacerdotum: penuria dicit aliquam raritatem sacerdotum, non autem necessario *unicitatem*. Haec difficultatem in moralem impossibilitatem convertit. Vis igitur sanctionis haec est: Quamvis pauci sint sacerdotes, observandus tamen est canon 891, quatenus moraliter observari potest. Iam vero in casu praefato, moraliter observari nequit. Ergo, nec contra can. 891 nec contra art. 328 Conc. Sinensis agit missionarius qui, quia solus est, confessiones alumnorum convictorum habitualiter audit. Attamen conari debebit pro viribus ut interdum alius confessarius tamquam extraordinarius in ipsius districtum se conferat.

Institutio huiusmodi convictus supponitur vere utilis animis regionis. Si ita est, necessitas non observandi ad litteram can. 891 nullam causam praebet cur utilis apostolalus occasio neglegeretur. Ipse can. 891 est propter bonum animarum conscriptus. Ergo non potest ita intellegi ut iam bonum istud impediat. Utique, si optio sit districtus ubi plures sint sacerdotes et districtus ubi unus tantum versatur, *in pari causa* prior erit praeferendus.

II. De matrimonio.

Caius, christianus Sinensis, post baptismum duxit Annam uxorem, servata forma, sed nihil dicens de

priore uxore pagana quae, ante eius baptismum, fugit cum alio viro pagano. Post tres annos, Carolus vendidit Annam, quae erat aliquantulum fatua, et vellet ducere aliam uxorem christianam. Prima uxor pagana adhuc vivit. Quid facere debet Missionarius ?

Responsum. Quaedam supplenda sunt ut elementa responsionis nobis praesto sint. Etenim non dicitur utrum necne Anna quam, post fugam prioris uxoris paganae, duxit, fuerit baptizata. Si enim fuerit baptizata, istud secundum matrimonium videtur validum fuisse. Namque fuga sua cum altero viro pagano prior uxor satis demonstratur discessisse. Interpellationes autem, quae regulariter fieri debent, non sunt tamen condicio valoris si satis de discessu aliter constiterit. In ista hypothesi, cum non possimus supponere matrimonium secundum non fuisse consummatum, Missionarius Carolum monere debet de sua stricta obligatione redimendi Annam et cum ea pacifice cohabitandi. Ne Papa quidem possit eius matrimonium dissolvere.

Si autem, ut magis veri simile est, Anna erat pagana, tunc istud suum alterum matrimonium non fuit validum, supposito valore primi matrimonii. Privilegium enim Paulinum non datur nisi ad matrimonium cum persona baptizata contrahendum. Tunc igitur Missionarius interpellet primam uxorem paganam, utrum vellet converti an saltem cum Carolo pacifice cohabitare, nisi casus sit dispensandi ab interpellatione quae facta sit moraliter impossibilis (C. *Populis ac nationibus*), vel qui usum permittat alius facultatis quam fortasse possideat. Certiorato per responsa uxoris, si danda fuere, discessu, nuptias cum christiana Titio permittere poterit.

De Indulgentiis

I. **Quaeritur** num indulgentiae quae in nuperrima collectione S. Paenitentiariae continentur sint omnes, — nisi aliud constet — applicabiles ad animas purgatorii, ita ut in eas cadat can. 930: « Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt ».

Respondendum est affirmative: tum quia non continet nisi indulgentias quas S. Pontifex ipse concessit, vel quas dedit S. Paenitentiaria, quae est organum per quod S. Pontifex indulgentias largiri consuevit; tum quia pars dici potest collectionis quae vulgo vocatur « *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le sante indulgenze* » et PIUS IX, in aud. 30 sept. 1852 defunctis applicabiles declaravit omnes indulgentias quae etiam in futuris *Raccolta* editionibus vulgarentur (*Decr. auth. S. C. Ind. et SS. Reliq.*, n. 361, p. 311); tum quia, dum n. 260 et 262 indulgentias memorat quae pro solis defunctis sunt applicabiles, nullas alias expresse declarat defunctis applicabiles. Idem sentit BLAT, III, v. 270, dum applicabiles esse docet defunctis omnes indulgentias... a *Romano Pontifice* « etsi per Romanam Curiam aut vivae vocis oraculo » concessas.

II. Die 9 mart. 1904, PIO X plenaria indulgentia *pro articulo mortis* ditaverat formulam: « Dominus Deus meus etc » resignatae susceptionis mortis; BENEDICTUS vero XV mensili renovationi istius actus indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum annexuerat. (Cfr A. A. S., 1917 p. 228.)

Cum formula ista in recenti Collectione non re-

periatur, estne censenda revocata? Collectio enim est *exclusiva.*

Resp. Indulgentiae quidem minime revocatae sunt, sed commodioribus condicionibus subordinatae. Nullus enim iam usus formulae requiritur, sed satis est pro indulgentia plenaria in articulo mortis ut, quolibet vitae tempore, « cum vero caritatis in Deum affectu, suetis condicionibus impletis, propositum emittant suscipiendi de manu Dei aequo ac libenti animo mortem cuiuscumque generis, prout Deo placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus ». Fidelibus qui idem propositum renovaverint conceditur, sine limitatione, ergo toties quoties (c. 928 § 2), indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, (Cfr *Collectio,* n. 308.)

Solutio casus de censuris, p. 171.

Ad I. Titius a confessario bene directe absolutus est, cum moraliter semper adsit casus urgentior, propter quem canon 2254 directam absolutionem, firmo onere recursus, permittit.

Paenitens autem qui recurrere ad S. Paenitentiariam neglexit, *obiective* in eandem excommunicationem a qua absolutus erat reincidit.

An etiam *subiective?* Id ex conscientia quacum neglexit diudicandum est. Si neglegentia graviter culpanda fuerit, et ipse paenitens, quia a confessaro de ista sanctione monitus erat, poenam reinicidentiae non ignorabat, iterum est excommunicatione specialissime reservata affectus, pro qua ad S. Paenitentiariam recurrendum erit; si poenam istam ignoraverit, vel non graviter peccaverit in sua neglegentia, immunis quidem est a censura, sed, quam primum potest, ad S. Paenitentiariam, mentione facta neglegentiae suae, recurrere debet, ita ut practica solutio eadem sit: recursus ad S. Paenitentiariam.

Confessarius igitur, seria facta reprehensione, si paenitentem bene dispositum repererit, eum iterum a censura (si eam contraxerit) absolvere directe poterit, sed caveat efficaciter ut fiat recursus et plena casus expositio.

Ad II. Rescriptum S. Paenitentiariae a confessario receptum omni valore destituitur, quia respondet substantialiter vitiatae expositioni. In litteris enim suis Confessarius nec omissum recursum nec iteratam culpam silentio praeterire poterat.

Ad III. Etiam in isto casu Confessarius ad S. Paenitentiariam recurrat. Cardinalis enim Maior Paenitentiarius, dum adit ad S. Pontificem, omnia cum Sanctitate Sua componere poterit.

N. B. Si paenitens, innodatus censura, peccata accusat sine sufficienti dolore aut proposito, ita ut absolutione a peccato sit indignus, Confessarius poterit quidem eundem absolvere a censuris in quas habitualem potestatem habet, dilata vel negata absolutione a peccatis; sed non poterit directe absolvere a censura pro qua postea deberet ipse vel paenitens ad S. Paenitentiariam recurrere, si sola ratio foret haec casus urgentioris forma quae etiam in can. 2254 memoratur, i. e quia durum sit paenitenti in statu peccati manere. Id profecto non ei contingit qui in statu isto voluntarie perseverat. Si tamen censura sine periculo gravis scandali vel infamiae servari nequeat, tunc confessarius a censura absolvere poterit, etsi absolutio a peccatis sit neganda vel differenda.

Prorogatio iubilaei

Litteris enc. « *Quinquagesimo ante anno* », 23 dec. 1929, S. Pontifex iubilaeum extra ordinem quem ad totum annum 1929, concesserat, ad finem mensis iunii 1930 liberaliter prorogavit. (Cfr enc. in fine).

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Auspicantibus », 6 ian. 1929

UNIVERSALE IUBILAEUM EXTRA ORDINEM, AD TOTUM ANNUM 1929 INDICENS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM
(A. A. S. 15 ian. 1929, XXI, 5)

Ratio indicendi iubilaeum desumpta ex paternis optatis Pontificis,

Auspicantibus Nobis singulari Dei beneficio annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum, communi omnium Patri nihil fuit, nihil esse poterat optatius, quam ut una Nobiscum filii universi, coniunctis animis precibusque, Deo grates agerent ab eoque opem implorarent tum Nobismet ipsis, tum concreditae Nobis Ecclesiae tot malis periculisque circumventae opportunam; qua quidem ope muniti, et ad christianam amplificandam augendamque fidem et ad vitam sanctius instituendam – quod in Clero potissimum spectamus — omnes erigerentur.

ultronea bonorum communicatione in laetitia Patris

Iucundissima igitur, eademque eo iucundior quo fuit promptior atque alacrior, mirifica illa accidit consensio, qua boni omnes eiusmodi eventum Nobis gratulantes, precibus per hos ipsos inuentis anni dies privatim publice Deo adhibitis et votis laetisque omnibus ad Nos undique delatis celebrare aggressi sunt. Tantus enim ac tam subitus animorum motus id nimirum luculentissime comprobat, piissimae sobolis esse, ut cum aegritudines ac molestias tum laetitiam gaudiumque participet Patris, ob illam quandam veluti necessitudinem, qua tota domestici ipsius convictus societas continetur ac regitur. Lex enim est caritatis praecipua, ut haec non tam verbis quam factis de-

et lege mutuae caritatis.

monstretur, quae quidem facta eiusmodi sint, ut in mutua quadam communione bonorum posita esse videantur.

Eadem vero lege Nos tam arcte adstringimur, ut cum filiis Nostris carissimis, pro facultate, bona participemus Nostra eosdemque in Nostrorum communionem gaudiorum ita vocemus, ut propositis coelestium munerum thesauris, quorum est in Nostra potestate dispensatio, privatam Patris laetitiam communibus filiorum gaudiis atque utilitatibus cumulemus.

Propositum.

23. — 5. Confessarius *pluries* uti valet suis facultatibus, occasione Iubilaei concessis, cum eodem poenitente, donec is Iubilaeum consecutus revera fuerit; non autem *deinceps,* seu ut bis vel pluries indulgentiam Iubilaei lucretur.

6. Confessarii, per totum Iubilaei tempus, generatim sequi debent, in absolvendo et dispensando, disciplinam a Codice iuris canonici inductam (can. 80 ss., 879 ss., 2249 ss.).

7. Uti valent confessarii facultatibus sibi occasione Iubilaei concessis « in solo foro conscientiae etiam extra-sacramentali, nisi, ut patet, agatur de peccato sacramentaliter absolvendo ».

In foro interno extra-sacramentali absolutio a censuris et commutatio dari possunt sive scripto sive oretenus, tum praesenti tum etiam absenti, ex gr. per epistolam.

Confessarius autem facultatibus uti valet tantummodo cum poenitentibus. At nomine *poenitentium* intelliguntur non solum ii qui actu confessionem instituunt, verum etiam illi quorum confessio posset *hic et nunc* excipi a sacerdote, quamvis de facto non confiteantur.

Huiusmodi absolutio vel commutatio in foro interno *singulis* concedenda est, ideoque *singulorum* causa perpendenda ubi agitur de dispensatione sive commutatione. Forum, internum vel externum, sub poena nullitatis absolutionis vel dispensationis concessae attendendum est, quia ad normam can. 202, § 1 actus potestatis iurisdictionis collatae pro foro externo valet quoque pro interno, sed non e converso.

8. Confessarius, ad normam can. 201, § 3, potest secum dispensare in votis, ieiunio, etc., seu omnibus iis facultatibus uti valet in proprium commodum, quae exerceri possunt in foro extra-sacramentali, excepta, ut palam est, absolutione a censuris. Haec quippe est actus potestatis iudicialis, non autem iurisdictionis voluntariae, de qua loquitur citatus can. 201, § 3.

24. — Peculiares facultates circa censuras et casus reservatos. 1. Omnes confessarii, sive Romae sive alibi, absolvere possunt « poenitentes rite dispositos ab omnibus casibus vel ab homine vel a iure, sub censura vel sine censura *utcumque* reservatis... ».

Nihil interest, proinde, utrum agatur de censura occulta an publica, reservata ab Ordinario sibi an potius ab ipso iure reservata Ordinario aut simpliciter vel speciali modo Sedi Apostolicae.

Quaenam excipiuntur? Verba Constitutionis perspicua sunt: « Exceptis dumtaxat casibus cum vio-

lationis secreti Sancti Officii, tum specialissimo modo Summo Pontifici reservatis... tum denique illis, pro quibus, vel post obtentam vi canonis 900 absolutionem, obligatio adhuc manet ad S. Poenitentiariam recurrendi et standi eius mandatis (cfr. Decretum Sacrae Poenitentiariae 16 nov. 1928) ».

Igitur tres casus excipiuntur: duo cum censura, tertius sine censura.

1° Censura seu excommunicatio adnexa violationi secreti S. Officii, quae censura practice aequiparatur iis quae specialissimo modo reservantur Sedi Apostolicae (cfr. can. 239, § 1, 1°) (1).

2° Excommunicationes reservatae *specialissimo modo* S. Sedi. Sunt quatuor: *a*) contra abiicientes vel ad malum finem abducentes aut retinentes species consecratas (can. 2320); *b*) contra violentas manus in personam R. Pontificis iniicientes (can. 2343, § 1, 1°); *c*) contra absolventes vel fingentes absolvere complicem in peccato turpi (can. 2367); *d*) contra confessarios, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserint (can. 2369, § 1) (2).

3° Ex decreto S. Poenitentiarae 16 nov. 1928, *reservatur Apostolicae Sedi* peccatum confessariorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni « *L' Action Française* » actu adhaerentes, quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuant. « Huius *reservationis* ea vis est ut in illis quoque casibus, in quibus iuxta canonicas dispositiones quaevis reservatio cessat, onus adhuc remaneat praedictis sacerdotibus ad S. Poenitentiariam recurrendi, sub poena excommunicationis specialiter Sanctae Sedi reservatae, intra mensem a die obtentae sacramentalis absolutionis, vel postquam convaluerint si aegroti, et standi eius mandatis » (3).

(1) Cappello, *Tractatus canonico-moralis de censuris*, n. 207.
(2) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 163 ss.
(3) *Acta Apost. Sedis*, XX, 398.

25. — 2. Absolutio in casu danda est « *iniuncta salutari poenitentia aliisque de iure iniungendis,* seu adamussim servatis normis praescriptis, v. g. de scandalo reparando, de restitutione facienda, etc.

3. Confessarius, si quem absolverit a censura publica, ipsum monere debet, licere quidem ut etiam in actibus fori externi se gerat tamquam absolutum, sed *remoto scandalo;* atque integrum Superioribus manere, ut censuram in foro externo urgeant, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo (cfr. can. 2251).

« Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati nequeunt tamdiu frui beneficio Iubilaei, quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, poterunt, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris ». Ita Constitutio.

1° Agitur de censura, quae impedit receptionem sacramentorum : huiusmodi est excommunicatio vel interdictum personale.

2° Sermo est de iis qui vel *nominatim* (expressis nomine, cognomine, officio, loco, etc.) sint censurati sive per sententiam sive per praeceptum, vel uti censurati *publice,* item per sententiam aut praeceptum, *declarati* fuerint (cfr. can. 1933, § 4, 2225).

3. Isti nequeunt frui beneficio Iubilaei, ideoque sacramentalem absolutionem recipere et lucrari indulgentiam plenariam, nisi prius in foro *externo* satisfecerint, seu nisi prius recursum fecerint ad legitimum Superiorem qui censuram inflixit aut sententiam vel praeceptum tulit, scandalum et damnum reparaverint.

Si vero sint sincere contriti riteque dispositi,

possunt, remoto scandalo (quod practice, ipso accessu ad sacramenta recipienda amoveri videtur), absolvi in foro sacramentali, sed solum in finem lucrandi Iubilaeum, et quidem cum onere quam primum, i. e. intra mensem, recurrendi ad Superiorem, de quo supra, eiusque standi mandatis.

26. — 4. Confessarii non prohibentur, ad normam can. 2254, absolvere in casibus *urgentioribus* etiam a censura adnexa revelationi secreti S. Officii et a censuris specialissimo modo reservatis Sedi Apostolicae; iniuncto tamen onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et confessarium, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad habentem facultatem et standi eius mandatis (1).

5. In ceteris casibus confessarius ita absolvit a censuris, ut nulla sit obligatio *postea* recurrendi vel ad S. Poenitentiariam vel ad habentem facultatem. In hoc consistit *peculiaris* facultas occasione Iubilaei concessa confessario, qui proinde totum negotium exsequitur, iniunctis iniungendis.

27. — **Peculiares facultates circa vota.** 1. Confessarii occasione Iubilaei, dispensare possunt, ex rationabili causa, ab omnibus votis *privatis,* etiam iuratis.

Excipiuntur: 1. vota *publica,* cuiusmodi sunt omnia vota religiosa; 2. vota privata, sed *reservata* S. Sedi, nempe: votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1309); 3. votum factum in favorem tertii ab eoque acceptatum, nisi ipse iuri suo cesserit. Huius ratio manifesta. Nam vovens in tali casu obligatur non solum erga Deum vi voti, sed etiam vi promissionis erga alterum,

(1) Cfr Cappello, *De censuris,* n. 124.

qui acceptando promissionem ius acquisivit in rem promissam: hoc autem ius sine acceptantis consensu remitti nequit.

2. Dispensatio nonnisi ex *rationabili* causa, mediocriter quidem gravi, concedenda est: quae causa ad *valorem* dispensationis requiritur. Aliter ac in quibusdam casibus, confessarius vota in alia pia opera dispensando commutare non omnino tenetur; sed, rationabili et proportionata causa existente, potest poenitentem a votis dispensare etiam absque commutatione proprie dicta. Attamen palam est confessarium posse quoque ea vota commutare, et quidem in minus bonum ad normam can. 1314.

Vota *poenalia* — quae tunc habentur, cum sub conditione culpae promittitur poena luenda — *commutari* poterunt, sed in opus tantummodo quod *aeque* efficaciter a peccato retrahat.

3. Quae de votorum dispensatione vel commutatione dicta sunt, applicantur etiam iuramentis promissoriis (can. 1320). Unde confessarius, occasione Iubilaei, potest quoque dispensare vel commutare iuramenta promissoria, iis tantum exceptis quorum dispensatio vel commutatio cedat in praeiudicium aliorum.

4. Secus ac in nonnullis praecedentibus Iubilaeis, nulla facultas tribuitur confessariis, in hoc Iubilaeo, dispensandi super irregularitatibus et impedimentis matrimonialibus.

28. — Facultas dispensandi seu commutandi opera iniuncta. 1. Const. « *Auspicantibus Nobis* » haec habet: « Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa impediti quominus vel aliquod ex recensitis operibus vel etiam omnia rite compleant, confessarii poterunt dispensare, opera praescripta in aliquod aliud opus commutando » (n. V). Quare:

1° Huiusmodi facultas competit omnibus et singulis confessariis.

2° Eatenus fideles possunt *legitime* dispensari, quatenus iusta et rationabili causa praepediantur ab implendis operibus praescriptis.

3° Dispensari possunt *vel* ab uno tantum aut *altero* ex operibus praeceptis — confessione, Communione, visitatione ecclesiarum, precibus ad mentem R. Pontificis, ieiunio cum abstinentia, eleemosyna — *vel* etiam ab omnibus.

4° Requiritur et sufficit causa *iusta* et *rationabilis,* quaecumque ea sit; generatim loquendo, mediocriter gravis, interdum etiam levis. At profecto causa gravior necessaria est pro dispensatione ab omnibus operibus, quam pro dispensatione ab uno dumtaxat alterove opere.

5° Non vera et proprie dicta dispensatio concedenda est, sed *commutatio.* Scil. confessarius debet *commutare* opera praescripta, quae fideles rite complere nequeunt, *in aliquod aliud opus,* etiam minus, arbitrio eiusdem confessarii designandum, secundum aetatem, sexum, vires, conditionem poenitentium.

6° Iusta et rationabili causa deficiente, huiusmodi dispensatio seu commutatio foret illicita et invalida; in dubio de sufficientia causae licite et valide concedi potest (can. 84).

7° Si opus ipsum, in quod facta fuit commutatio, nequeat impleri a fideli, hic potest sive a confessario priore sive ab alio novam illius operis commutationem impetrare.

8° Quod si, post concessam a confessario dispensationem seu commutationem, poenitens, cessante impedimento, valeat opus praescriptum implere, potest certe illud ponere; imo generatim tenetur, cum dispensatio in casu censeatur habere tractum successivum, ad normam can. 86.

29. — 2. « Religiosi omnes et quotquot hoc nomine veniunt in parte secunda libri secundi Codicis

iuris canonici dispensari possunt tum singillatim tum collegialiter a suis immediatis Superioribus, commutatis operibus praescriptis in alia, quae tamen non sint sub praecepto debita; Congregationes autem religiosae laicales ab eo sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo; atque, occurrente necessitate, singuli a proprio confessario ». Ita Const. « *Auspicantibus Nobis* » (n. VI).

Igitur: 1. Religiosi proprie dicti seu qui tria vita publica nuncupant, et sodales qui vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes (can. 487, 488, 673), possunt dispensari *singillatim* et *collegialiter.*

2. *Singillatim* dispensantur tum a confessario tum a Superiore vel a sacerdote qui eisdem praeest, ut statim explicabitur; *collegialiter* dispensari possunt tantum a Superiore vel a praedicto sacerdote.

3. Dispensare valent omnes Superiores immediati, sive maiores sive locales, at suos tantum respectivos subditos. Num etiam novitios, postulantes aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis de quibus in can. 514, § 12? De novitiis ambigendum non videtur, attento can. 567, § 1. Idem verius dicendum de ceteris, *tum* quia indultum dispensandi seu commutandi in casu est late interpretandum, *tum* quia praedictae personae — quae in can. 514, § 1 numerantur — ex iure communi subsunt revera potestati Superioris religionis clericalis exemptae (cfr can. 875, § 1, 1313, 2°).

3. Congregationes *laicales,* sive religiosae proprie dictae sive non religiosae stricto sensu, ut supra (n. 1) animadversum fuit, tam virorum quam mulierum, dispensantur singillatim vel collegialiter « ab eo sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo ». Palam est religiones et societates mulierum esse omnes *laicales;* virorum religiones et societates dicuntur *lai-*

cales, si plerique earum sodales sacerdotio ex instituto non augentur, secus *clericales* vocantur (can. 488, 4⁰, 673, § 2). Dicitur « ab eo *sacerdote* », quia dispensatio est actus iurisdictionis, quae clericis competit exercenda, non vero laicis. Dicitur « *qui regimen earum exercet in foro externo* », quia dispensatio *collegialiter* concessa vim exserit atque effectum iuridicum sortitur in foro externo, ideoque concedi nequit nisi ab illa persona ecclesiastica quae iurisdictione gaudet in tali foro. Quinam erit iste sacerdos? Putamus verba « qui regimen earum exercet in foro externo » esse lato sensu accipienda.

Quoad *congregationes religiosas* et *societates mulierum* tam iuris dioecesani quam iuris pontificii, dispensare potest Ordinarius loci vel sacerdos ab eo delegatus qui illis praeest cum iurisdictione saltem partiali.

Quoad *monasteria monialium,* distinguendum: si Praelato regulari subsint, hic dispensare valet; si non subsint, facultas dispensandi est penes Ordinarium loci vel sacerdotem ab eo legitime deputatum.

Quod attinet ad *virorum* religiones et societates *laicales,* ita distinguendum: si privilegio *exemptionis* gaudent, dispensare valet sacerdos qui earumdem Superioris munere fungitur; si *exemptae* non sint, Ordinarius loci et sacerdos qui eisdem praeest in foro externo dispensandi potestate potiuntur.

Cum agatur in casu de facultate delegata a S. Sede, potest etiam subdelegari cappellano aliive sacerdoti, ad normam can. 199, § 2.

4. Dispensatio concedenda est per *commutationem* in alia opera, et non alias; quae opera non sint praestanda ex alio capite, utpote debita *sub praecepto.* Excluduntur proinde opera praestanda ex lege communi Ecclesiae, ex mandato Episcopi sive Superioris etc.

30. — Privilegium personale. 1. « Praeterea, ad fovendam toto hoc anno cleri in Sacro litando pieta-

tem, singulis sacerdotibus tribuimus fruendum usque ad diem XXXI mensis Decembris huius anni, privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare ». Const. Pii XI.

1° Agitur, ut manifesto patet, de *privilegio personali*, concesso videlicet ipsi *sacerdoti*, qui proinde indulgentiam altaris privilegiati seu plenariam applicare potest, *ubicumque* celebret sive in ecclesia sive in oratorio publico aut semi-publico aut privato. Dum e contra privilegium *locale* seu *reale* dicitur, quod est adnexum *altari,* adeo ut omnes et soli sacerdotes qui in eo celebrent, privilegio fruantur.

2° Privilegium personale integro hoc anno, nempe usque ad diem trigesimam primam inclusive, tribuitur *omnibus* et *singulis* sacerdotibus, et quidem *quotidianum:* eoque illi fruuntur independenter a Iubilaei acquisitione.

3° Huiusmodi privilegium consistit in *plenaria indulgentia*, quae, spectata mente S. Pontificis et usu potestatis clavium, animam statim liberet ab omnibus poenis purgatorii; spectato autem applicationis effectu, intelligenda est indulgentia cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet (1).

4° Indulgentia plenaria conceditur favore animae, pro qua Missa applicatur. Unde Missa et indulgentia *nequeunt dividi,* sed utraque *pro eodem defuncto* est applicanda (2).

Si applicatur pro pluribus defunctis, indulgentia ad unum ex iis limitatur, qui praevie determinari potest a celebrante. Pendet enim a celebrantis voluntate num *huic* potius quam *alteri* indulgentiam applicare velit. (3).

(1) Cfr. *S. C. Indulg.* 28 iul. 1840; *Decreta auth.* n. 286.

(2) *S. C. Indulg.* 18 dec. 1885.

(3) *S. C. Indulg.* 29 febr. 1864, 19 iun. 1880 (*Decreta auth.*, nn. 402, 405); *S. Poenit.* 6 iul. 1917 (*Acta Apost. Sedis, X*, 440).

Necesse non est ut celebrans peculiarem habeat intentionem applicandi indulgentiam defuncto pro quo Sacrum facit; nec opus est ut sciat Missam, ad mentem eleemosynam dantis applicandam, esse pro defuncto. Unde sacerdos, privilegium forte ignorans aut de eo nullatenus cogitans, nihilominus privilegio gaudet et indulgentia applicatur animae in purgatorio detentae, dummodo pro ea Sacrum fiat (1).

Non nulli, ut accepimus, privilegium sacerdotibus litantibus concessum ita intelligere velint, ut indulgentia plenaria separari queat a Missae applicatione pro defunctis. Haec interpretatio vere probabilis non videtur, quia leges, ad normam can. 18, intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem ab ipso legislatore passim admissam et receptam. Porro quoties documenta S. Sedis loquuntur de « *altari privilegiato personali quotidiano* » vel, quod idem est, « *de privilegio personali quotidiano* », aut « *de personali privilegio quotidie fruendo* » — quo gaudent v. g. Cardinales, Episcopi, plures religiones, sodales quarumdam consociationum, quotquot actum heroicum caritatis elicuerunt — semper loquuntur *de privilegio personali fruendo secundum normas et conditiones ab ipsa Sede Apostolica iam praefinitas* (S. C. Indulg. 29 febr. 1864; 19 iun. 1880; 18 dec. 1885; 23 ian. 1901, etc.). Cum *clare* et *expresse* hisce normis et conditionibus Constitutio Pii XI nullatenus deroget, iisdem necessario standum est. Proinde, donec authentice declaratum fuerit contrarium, opinio praedicta tuto posse retineri non videtur.

5. Qui ex pluribus titulis gaudet privilegio altaris, una eodemque Missa nequit pro numero titulorum, quibus fruitur, plures indulgentias plenarias applicare, sed unam tantum.

---

(1) Cfr. *S. C. Indulg.*, 12 mart. 1855 (*Decreta auth.*, n. 366); *S. Off.* 17 iun. 1915 (*Acta Apost. Sedis*, VII, 410).

31. — 2. Ut sacerdos praefato privilegio gaudeat, non tenetur Missam *de Requie* dicere, quoties per rubricas id liceat; decet tamen huiusmodi Missam, quantum fieri potest, celebrari. Item qui ratione *expositionis* SS.mi Sacramenti, aut Stationis ecclesiae, vel alterius *sollemnitatis*, dicit Missam de die vel votivam, quando per rubricas liceret Missam *de Requie* dicere, fruitur nihilominus privilegio (1).

3. Indulgentia applicatur etsi sacerdos Sacrum faciat — quod Deus omnino avertat — in statu peccati lethalis (2). Nam efficacia privilegii non personalibus sacerdotis dispositionibus nititur, sed unice ex potestate R. Pontificis et Ecclesiae thesauro provenit.

4. Celebrans ratione privilegii maiorem Missae eleemosynam exigere nequaquam potest. Si id faceret, gravissimum simoniae delictum committeret.

32. — **Nulla suspensio indulgentiarum.** Dum R. Pontifex indicit Iubilaeum, praesertim ordinarium, solet indulgentias, nonnullis exceptis, suspendere per totum annum sanctum. V. g. in Const. « *Ex quo* », 5 iul. 1924, Pius XI haec decreverat: « Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas aut ab aliis quoquo pacto concessas.... decernimus per totum annum sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo defunctis ».

Aliter in hoc Iubilaeo. Nam Const. « *Auspicantibus Nobis* » statuit: « Vertente Iubilaei anno, *nullatenus* cessant indulgentiae alias concessae pro operibus distinctis ab operibus Iubilaeo lucrando praescriptis ».

33. — **Novae indulgentiae.** Fideles per huius anni 1929 spatium lucrari possunt indulgentiam sep-

---

(1) Cfr. *S. C. Indulg.* 11 april. 1840, ad I et III; 11 april. 1864 (*Decreta auth.*, nn. 281, 404); *S. Off.* 20 febr. 1913.

(2) Cfr. CAPPELLO, *De sacramentis*, I, n. 764, II, n. 968.

tem annorum totidemque quadragenarum, quoties coram divino Eucharistiae Sacramento, vel clauso Tabernaculo, pias preces aliquandiu ad mentem R. Pontificis effuderint; idque firmis indulgentiis pro eodem opere alias concessis.

Qui singulis diebus per integram hebdomadam hanc piam visitationem peregerint, indulgentiam plenariam usitatis conditionibus acquirere possunt. Ita Const. « *Auspicantibus Nobis* ».

ARTICULUS V.

De iterata Iubilaei acquisitione.

34. — Quoties indulgentia Iubilaei acquiri possit. Haec sunt verba Constitutionis: « Iubilaeum, quod attinet ad plenariam indulgentiam sibi vel animabus purgatorii applicandam, bis aut pluries acquiri potest, iniuncta opera bis aut pluries iterando; sed tum tantummodo cum Iubilaeum prima vice acquiritur, confessarii uti possunt, etiam pluries, facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis, commutandi vel dispensandi cum eodem poenitente qui nondum omnia opera iniuncta adimpleverit ». Igitur:

1° Omnes christifideles *toties* lucrari valent indulgentiam plenariam Iubilaei, *quoties* opera praescripta iterant.

2° Attentis verbis Constitutionis, non videtur quis prohiberi quominus *pluries* indulgentiam Iubilaei *sibi* lucretur. Haec interpretatio retineri potest, donec contrarium authentice declaratum fuerit. Id affirmamus, quia indulgentia Iubilaei, secus ac aliae indulgentiae plenariae, generatim, ut constat ex praecedentibus Iubilaeis, *semel* tantum *sibi* a fidelibus acquiri potest, *deinceps* pro animabus purgatorii.

3° Eatenus bis aut pluries acquiri potest indulgentia Iubilaei, quatenus iterentur opera praescripta, sive ea quae a pontificia Constitutione exiguntur, scil.

confessio, Communio, visitationes, preces, ieiunium et eleemosyna, sive ea quae ex legitima dispensatione seu commutatione satis sunt.

4. Confessarius *pluries* uti valet facultate absolvendi, commutandi vel dispensandi erga eundem, at solum occasione Iubilaei *prima* vice lucrandi. Quare, postquam semel Iubilaeum ille acquisierit, prioribus concessionibus uti pergere quidem potest, novas autem operum commutationes aut dispensationes iam impetrare non poterit. Idem dicendum de absolutione a censuris et a casibus reservatis. Proinde poenitens, qui peculiari facultate indiguit quando prima vice indulgentiam Iubilaei acquisivit, *nequit*, si denuo indigeat, *frui iterum illa peculiari facultate*, sed, ubi velit novam indulgentiam lucrari, tractandus est a confessario secundum normas communes, perinde ac si non ageretur de Iubilaeo.

Poenitens vero qui facultatibus concessis *non indiguit* quando prima die Iubilaeum lucratus est, si nunc iis indiget ad Iubilaeum iterum lucrandum pro defunctis, potest quidem praefatis facultatibus frui, at *semel* dumtaxat. Si poenitens cum prima vice opera praescripta peragit ad Iubilaei indulgentiam lucrandam, iterum atque iterum indigeat facultatibus peculiaribus, poterit iisdem *etiam pluries* frui iterando confessionem, usque dum revera Iubilaeum acquisierit.

5° Constitutio « *Auspicantibus Nobis* » loquitur tantum de *confessariis*. Quare ea quae diximus de vetito usu facultatum post *semel* acquisitum Iubilaeum, non videntur applicanda Superioribus religiosorum ceterisque, de quibus supra (n. **29**).

6° Poenitens, qui a confessario obtinuerit dispensationem vel commutationem, potest, hac relicta, uti dispensatione vel commutatione *collegialiter* concessa a Superioribus aliisve sacerdotibus praedictis.

Felix M. CAPPELLO, S. I.

2. — S. Cong. Concilii

Resolutio 23 apr. - 2 maii 1927

DE HEREDITATE DELATA LIBERE AN FIDUCIARIE
(A. A. S. 5 nov. 1923, XX, 362)

Dioecesis P. Hereditatis.

23 april. 1927.

Facta. *Species facti.* Quidam pius sacerdos dioecesis P., nomine Angelus, cum primores loci E. vehementer commovisset ad iuventam trium parochiarum quibus locus constat religione bonisque moribus imbuendam, collata ab illis stipe circ. 30 milium libellarum, plura addens de suis bonis, *patronatum* quemdam constituit a Christo Redemptore, quem, congruis aedificatis sedibus, E.mus Metropolita anno sacro MDCCCC auspicavit. Ad instituti perpetuitatem procurandam, idem sacerdos, quinto post anno, societatem, ut aiunt, *tontinariam* inivit, cui proprietatem inscripsit, seu vendidit summa recepta 100 milium libellarum; sed brevi post, commotus periculo, cui, ex futuris legibus talis societas obnoxia praevidebatur, hac dissoluta, ipse gratis redit in dominium pii Instituti. Anno 1918, idem absolute, seu nulla adiecta condicione seu modo, testamento, heredem dixit sacerdotem quemdam Ioannem dioecesis V., cui etiam direxit epistolam, in qua eum docet se eum instituisse heredem « perchè avesse a continuare l'opera del Patronato, *possibilmente* com'era, a vantaggio della gioventù maschile di E. ». Ioannes hereditatem non adivit, nisi postquam ab utroque Episcopo, dioecesis V. ac dioecesis P., suasus est ita facere, quia vi testamenti libere seu pro conscientia hereditatis bonis disponere posset in favorem christianae iuventutis. Re quidem vera statim Patronatum augere connisus est, immo orphanis totius regionis, etiam extra paroeciam et dioecesim, adiuvandis destinare. Quod cum aegre ferrent incolae loci remque tandem ad novum Episcopum P. detulissent, hic, ne praedecessoris acta iudicare videretur, sententiam sacri huius Consilii rogavit, in qua disceptatum est dubium sequens: « Utrum testamentum D. Angeli in favorem D. Ioannis contineat transmissionem fiduciariam ad conservanda bona utilitate Patronatus in casu, an potius liberam heredis institutionem ».

Exorta difficultas.

Dubium S. Cong.i propositum.

Animadversiones. ANIMADVERSIONES. — Notum est quamlibet dispositionem ad causas pias *piae voluntatis* nomine donari, sive per actum

mortis causa fiat, quo casu dicitur *ultima*, sive etiam inter vivos: cfr can. 1515 coll. c. 1513. Si alicui personae *morali* in Ecclesia concredatur, habetur *fundatio pia* ad normam can. 1544 ss. et bona fiunt stricto sensu *ecclesiastica* (c. 1497 § 1); secus manent laicalia, obnoxia tamen exsecutioni ac vigilantiae Ordinariorum, ad mentem can. 336, 344, 1515-1517, ex quibus praesertim notetur can. 1516 de bonis « fiduciarie acceptis », quod dicitur fieri posse non solum ex testamento sed etiam per actum quemlibet, vel inter vivos. Planum tamen est quempiam libere de *suis* bonis statuere posse, donec *sua* sint, et ideo, salva naturali aequitate, etiam praevias dispositiones, re integra, seu cum nullum tertio ius acquisitum est, posse immutare et etiam delere, aut de pio in profanum finem vertere posse.

I. Variae notiones generales recoluntur.

In casu quidem patet non agi de bonis stricto sensu *ecclesiasticis*, cum nec Patronatus ecclesiastica auctoritate sit moralis persona constitutus, nec alicui alii personae morali concreditus. Sed agitur profecto de *pia* causa, seu de bonis ad pium finem a conditore et testatore relictis ad normam can. 1513. Id quidem evidentissimum est, quoad ipsum conditorem, de bonis collaticia stipe circ. lib. 30.000 initio acceptis ex parte primorum loci E., quorum bonorum ipse D. Angelus non potuit nisi administrator esse, seu fiduciarius: nec ideo circa haec proprietatem heredi transmittere valuit, quam non habebat. Sed et reliqua bona ab ipso conditore D. Angelo collata, et relicta per testamentum heredi Ioanni, huic fiduciarie relicta habenda sunt in casu. Licet enim in testamento huius fiduciae nulla mentio fiat - nec fieri poterat, obstantibus (ut notum est) legibus civilibus, quae fidei commissa non probant — huiusce rei aperte meminit in litteris eadem die ad heredem datis, quae huius conscientiam plane ligant, ex can. 1513 § 2. Nec obstat verbum *possibilmente* in litteris eisdem adhibitum, quod nempe non percutit generalem dispositionem, « continuare l'opera », sed modum tantum « possibilmente com'è », nec, quoad hunc ipsum modum, rem permittit mero arbitrio heredis — quod in facto exercere voluit Ioannes — sed omnem possibilitatem antea temptandam iubet, et in casu necessitatis, delegat, sine dubio, ad can. 1517 constituti iuris. Ex quo canone docemur, iuris condicionem non immutasse subiectivam opinionem utriusque Episcopi dioecesis P. et V. ab Ioanne consulti; quippe in casu commutatio reservetur Apostolicae Sedi, cum potestas *expresse* Ordinario loci non sit concessa, et alii inutiliter concederetur.

2. In casu agitur de pia causa.

Bona fiduciarie relicta probantur.

Frustra allegaretur opinio Episcoporum.

Quare, etc.

Resolutio.

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii in plenariis E.morum ac Rev.morum Patrum comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis die 23 Aprilis 1927, ad propositum dubium respondendum censuit:

« *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram; et applicentur in re can. 1515, 1516 et, si opus fuerit, can. 1517 ».

Approbatio SS. Dies (2 mati 1928).

Quam resolutionem, referente infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, in audientia diei 2 Maii subsequentis SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI approbare et confirmare dignatus est.

L. ✠ S.

† IULIUS, *ep. tit. Lampsacen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

In hac quaestione dioecesis P. (ut videtur in Italia) agebatur, non de fundatione *ecclesiastica*, sed de *pia voluntate* aut de bonorum dispositione ad *piam causam* seu *opus pium* religiosae institutionis iuvenum in *Patronatu* sub nomine Christi Redemptoris.

Sane sacerdos Angelus, cum ex Codice civili italico, a. 899 et Dispos. trans. 24, prohibitae aut valde restrictae (ut accidit in aliis etiam nationibus) nunc habeantur substitutiones fideicommissariae, instituit sub forma legali testamenti heredem suum sacerdotem Ioannem; sed canonice, per litteras ad ipsum datas, proprie illum fecit heredem *fiduciarium*, ei iniungendo ut totam substantiam ex hereditate quaesitam transferret in pium recensitum opus *Patronatus* Christi Redemptoris.

Iam, istiusmodi dispositio testamentaria, cum sit ad *causas pias* et certo constiterit, vim plenam obtinet ex canone Cod. I. ecclesiastici 1513. - Nec dubitari fas erit de eius valore et legitimitate, quamvis resistant leges civiles, in hac re prorsus incompetentes.

Quam ob rem obvia omnino erat Resolutio S. Congr. Concilii pro fideicommisso in favorem *Patronatus* scholastici.

Ut legitimum corollarium sequitur applicatio can. 1516, sc.: clericus Ioannes, heres fiduciarius, certiorem de fideicommisso reddere debet Ordinarium dioecesis P., cuius officium erit exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et fructus impendantur iuxta piam voluntatem institutoris.

MICH. MOSTAZA S. I.

---

3. — S. Congr. Concilii.

Resolutio 16 iul. 1927.

DE NATURA CONCESSI AUGMENTI IN CANARIIS INSULIS

(A. A. S. 3 dec. 1928, XX, 389)

Ex decreto Hispaniae, cuius summa refertur enata dubia, Episcopum Canariensem movent

Canarien. *Compensationis ab residentiam. Die 16 Iulii 1927.*

SPECIES FACTI. — Post Decretum regium die 30 Iunii 1926 publicatum in Hispania de « publicis administris qui in insulis Canariis funguntur munere », etiam ecclesiasticis, Episcopus Canariensis huic Sacrae Congregationi reverenter exponebat: « In Regali Decreto a die 1 Iulii decurrentis vim obtinente, ecclesiasticis qui in Insulis Canariis suo munere funguntur atque ab Statu dotationem percipiunt, augmentum quoddam, scilicet, 30 vel 15 supra centum, pro diversitate casuum, dotationis respectivae percipient. At, forsan non immerito omnino, dubitant aliqui num augmentum huiusmodi canonice computare teneantur veluti partem dotationis iisdemque proin iuris praescriptionibus obnoxium; tum ob naturam singularem augmenti praefati, quod quidem non participes omnes eodem modo afficit, illudque *indemnizationem ob residentiam* appellat Regale Decretum, tum vero ob singularem indolem adiunctorum e quibus augmentum pendet: prout nempe participes nati fuerint extra Insulas Canarias vel in eis, ac in hoc postremo casu prout per 15 annos residentiam aut vicinitatem in Archipelago habeant vel non. Ceterum haec concessio pariter ac uniformiter tam pro quibuscumque officialibus civilibus ac militaribus, servitio Status his in Insulis adscriptis, quam pro ecclesiasticis viget, qui quidem hac in re illis adsimilantur ex tenore Regalis Decreti. Ex adverso, qualificatio qua augmentum - quamvis, uti coniici

potest, minoris stabilitatis in se, atque etiam quoad quantitatem assignatam minus quam ipsa dotatio - veluti accessio spectetur eiusdem dotationis, seu redotatio quaedam, ac consequenter iisdem iuris praescriptionibus subiectum, scopo observantioris disciplinae videtur magis favere ac deservire. Quapropter ut ambiguitas quaelibet removeatur, sequentium dubiorum solutionem submisse rogat:

ut haec ambo soluta cupiat:

De ecclesiastica natura augmenti;

De computanda tertia parte inter distributiones.

« I. *Augmentum de quo in casu sit tamquam accessio seu dotis beneficii sive muneris uniuscuiusque obtentoris* (canonicatus, paroeciae, vicariatus, capellaniae) *habendum, iisdemque proin iuris praescriptionihus respective obnoxium;*

« II. *An saltem pro canonicis ceterisque qui ad choralem residentiam tenentur, tertia pars augmenti in casu sit inter distributiones computanda, prout generatim de tertia parte assignationis cavetur in Codice* ».

Votum Consultoris.

1 Accurata dotis definitio.

VOTUM CONSULTORIS — 1. Solutio dubii ex eo imprimis videtur pendere quod accurate definiantur bona seu reditus ecclesiastici *dotationem* efficientes. Iamvero hic dotatio certe intelligitur esse dos beneficii aut muneris; inde quaerit Episcopus Canariensis an subsidium, nunc a Gubernio hispanico concessum viris ecclesiasticis Canariensibus sit habendum tamquam accessio seu pars illius dotis. Dos vero vocatur etiam, et maxime iure Decretalium vocabatur, praebenda itemque beneficium; unde notissima regula: *beneficium datur propter officium;* et hodie pariter in Codicis canone 1409 sic traditur notio beneficii ecclesiastici, ut dicatur constare duplici elemento, videlicet officio sacro et iure percipiendi reditus *ex dote* officio adnexos. Ergo dicamus effici dotem, vel dotationem consistere in iis bonis seu reditibus ecclesiasticis qui obtinentur *propter officium* seu *ratione aut titulo* officii; quippe qui sunt reditus aut bona ipsi officio adnexa, et competunt beneficiario ex solo titulo vel ratione officii; ex eo nempe quod ipse beneficiarius obtinet tale officium vel munus, ita ut beneficiario debeantur propter functiones ecclesiasticas seu onera, generatim et complexive sumpta, quae constituunt naturam illius officii seu muneris; non propter aliquod peculiare et determinatum opus, aut servitium a beneficiario in aliquo casu praestitum, nec propter alium titulum extrinsecum qui non pertineat ad rationem muneris vel officii. Ideo ad dotem seu dotationem non sunt dicenda pertinere nec efficere partem dotis aut dotationis, alia emolumenta ecclesiastica vel reditus quae obveniant beneficiario occasione alicuius actualis et determinati servitii vel operis aut functionis

exercitae, etsi opus vel functio exerceatur vi muneris vel officii; adeoque minus si reditus vel emolumenta tribuantur beneficiario ex causa tituli extrinseci qui cum ipsa ratione vel natura officii proprie non connectatur.

2. Distincta a dote distributiones,

2. Vulgata proinde est distinctio quae apud canonicos et quoslibet beneficiarios capitulares fit inter fructus, proventus, reditus, vel qualicumque nomine vocentur, qui constituunt *dotem* seu *praebendam canonicalem* aut *beneficialem*, et inter obventiones seu emolumenta quae audiunt *distributiones*. De quibus haec leguntur apud Ferraris (Bibl., v. *Distributiones quotidianae*): « Distributiones huiusmodi non veniunt appellatione fructuum seu reddituum et proventuum istius vel illius beneficii, cum sint redditus casuales et incerti qui acquiruntur labore et interventu in divinis, c. *Licet*, 32 de Praeb.; cap. unic. de Cler. non resident. in 6; cap. *Quoniam*, 8 § *In illis* de concess. Praebend. etiam in 6; Rot. part. 15 *recent.*, dec. 61, n. 1; Cassad., dec. 1 de Cleric. non resident; Covarr., lib. 3, *Variar. resolut.*, cap. 13, n. 1; Fagn., lib. 13, Decret. in cap. *Licet* 32 de Praeb., num. 3 etc. ».

Et Barbosa (lib. 3, *Iur. Eccles. univ.*, cap. 18, n. 8) haec tradit: « Quod adeo verum est ut appellatione reddituum beneficii non veniant distributiones, ut constat ex cap. *licet* de praeben. ibi: « proventus suos ecclesiasticos faceretis integre ministrari, nolumus tamen ut quotidianas distributiones percipiat » etc.; cap. 2 de privileg. in 6... Prout nec etiam comprehendunt appellatione fructuum, sicut colligi videtur ex Conc. Trid., *sess. 24 de ref., c. 12 vers. praeterea...;* et ideo sic docent Covarr., l. c., Rot., decis. 330, n. 1 et 2, p. 2 *divers.*, ubi hae distributiones non dicuntur fructus beneficiorum, sed potius quod dantur ratione certi ministerii personalis... Nec denique appellatione reddituum et proventuum veniunt, cum de corpore beneficii non sunt, sed percipiuntur ratione servitii personalis cap. *licet* cum gloss., de praeben. ».

iura stolae, praestationes et taxae.

3. Item penes parochos aliud ex se est dos vel praebenda beneficii aut reditus qui percipiuntur ex dote officio paroeciali adnexa, quique parocho cedunt ex solo titulo sui muneris paroecialis; aliud sunt iura stolae, et praestationes de quibus can. 463, et taxae de quibus can. 1507, ceteraque huiusmodi, quae debentur parocho ob aliquod opus vel servitium peculiare et determinatum. Nec refert quod hodie can. 1410 decernat *posse* dotem beneficii consistere etiam in quibusdam praestationibus, sive in certis et voluntariis fidelium oblationibus, sive in iuribus stolae; nam id intelligendum est

vel cum nulli alii sint reditus, quibus dos beneficii efficiatur, vel cum certe constet partem saltem dotis constitutam esse in illis praestationibus aut oblationibus aut iuribus stolae. Ceterum vetus regula canonica, quae hodie dicenda est quoque obtinere nisi aliud certo constet, plane distinguebat iura stolae, praestationes, oblationes, taxas, etc., a praebenda vel dote paroeciali, prout distinguebat distributiones chorales a praebenda vel dote capitulari.

Quo pacto possit in iis dos constitui.

4. Unde pro re nostra possumus haec animadvertere. Dum Concilium Tridentinum (sess. XXI, c. 3 *de reform.*) constituit tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum separari debere et in distributiones converti; itemque dum hodie can. 395, eadem verba usurpans, inquit; « Episcopi tertiam partem separent *fructuum, proventuum, obventionum* quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur et in distributiones quotidianas convertant », tenendum certe est illos « quoscumque fructus, proventus, obventiones », intelligendos esse eos dumtaxat qui dotem beneficiorum quacumque ratione efficiant, non vero alios qui ex aliis titulis, praeter merum tilulum officii, beneficiario adquirantur. Nam illa diversitas nominum respicit dumtaxat diversam conditionem naturalem redituum. Nempe, tres hi termini, qui saepe occurrunt, significant respective: *fructus*. quae solum labore exercitum producit (*i prodotti della terra coltivata*) et inde victualia; *proventus*, introitus, reditus, salaria quoque, stipendia Missarum; *obventiones*, ii introitus seu proventus qui non praevidentur, id quod Itali vocant *incerti* (sportula, honorarium) vel, in stylo Pandectarum, reditus in agrorum fructibus non comprehensi. Tamen tres termini saepe promiscue usitantur. Quandoquidem si illorum verborum sensus extenderetur quoque ad alios reditus qui, praeter dotem seu praebendam, obvenire possunt ex quocumque titulo ecclesiastico, iam et ipsae distributiones, quae profecto sunt obventiones, proventus ecclesiastici, essent in eamdem rationem computandae. Quod si id de ipsis distributionibus quotidianis retineatur absurdum, quoniam praecise in distributiones quotidianas sunt alii proventus, quoad tertiam partem, convertendi, saltem autumari id posset de aliis distributionibus *inter praesentes* ceterisque emolumentis incertis et eventualibus, quae beneficiariis capitularibus obvenirent.

Undenam sumenda tertia pars convertenda in distributiones.

Dos non sunt quae alio titulo acquiruntur.

5. Fingamus etiam alicui dignitati vel canonicatui aut beneficio capitulari adnexum esse officium paroeciale, atque adeo canonico-parocho obvenire, sicut ceteris parochis, iura

stolae, praestationes, taxas, etc., quas diximus non pertinere ad dotem beneficii: numquid ista non sunt emolumenta, reditus ecclesiastici? et tamen nemo dixerit ex illis quoque desumendam esse tertiam partem in distributiones quotidianas convertendam. Quare? quoniam illa non acquiruntur canonico parocho *ex ratione seu titulo* dotis aut dotationis. Item in Hispania nonnullis beneficiis capitularibus, per concursum conferendis, licet adiicere peculiare onus, v. g. docendi in Seminario aliquam disciplinam ecclesiasticam; evenire autem potest ut ille beneficiarius capitularis, ob munus docendi, etsi adnexum pro illa vice suo beneficio, recipiat ex Seminario stipendium annuum, quod certe ex bonis ecclesiasticis desumitur. Sed nemo, ut reor, censuerit illud annuum stipendium habendum esse tamquam pars vel accessio dotationis beneficialis, nec ex illo detraheretur tertia pars convertenda in distributiones quotidianas.

Et titulus specificus attendendus est.

6. Ut ergo definiatur an nonnulli reditus vel emolumenta, beneficiariis ecclesiasticis obvenientia, rationem induant necne dotationis beneficiariae, seu efficiant partem dotis, attendendus est *titulus*, ex quo beneficiariis adquiruntur. Sed probe inspiciendum est de quo titulo agatur; non sufficit namque attendere titulum genericum et remotum, sed *specificum*, determinatum, immediatum; id est non sufficit ut dicamus illos esse reditus seu proventus ecclesiasticos, competere beneficiariis ex titulo ecclesiastico, non civili, sed inter ipsos titulos ecclesiasticos facienda est distinctio; compertum est enim, prout innuimus, posse obvenire ecclesiasticis beneficiariis reditus aut emolumenta stricte ecclesiastica et ex titulo ecclesiastico, non tamen ex titulo *dotationis*. Ergo in causa, quam prae manibus habemus, dubium non solvitur ex eo quod dicamus generico modo subsidium concessum viris ecclesiasticis Canariensibus, esse habendum tamquam restitutam partem bonorum ecclesiasticorum, quae olim fuerunt ab Statu occupata; vel ex eo quod dicatur Status adstringi in Concordato ad praestandam beneficiariis ecclesiasticis congruam dotationem, immo et ad augendam dotationem; vel ex eo quod omnia emolumenta et subsidia, ab Statu Ecclesiae tributa, censeantur habere naturam redituum ecclesiasticorum, aut quod secus illa emolumenta non tribuerentur titulo ecclesiastico, sed civili, adeo ut beneficiariis cederent tamquam officialibus Status. Haec omnia generica sunt, nec ex se definiunt titulum immediatum, quo emolumenta vel subsidia viris ecclesiasticis ab Statu tribuuntur; licet enim reditus aut emolumenta ipsa obtineant conditionem bonorum ecclesiasticorum, licet dentur ex titulo ecclesiastico, licet

Corollarium.

tribuantur ecclesiae vel viris ecclesiasticis, tamquam ministris Ecclesiae, non tamen omnia dantur ex eodem titulo peculiari et immediato, eoque minus ex titulo definito dotationis vel dotis. Etenim in Hispania, praeter reditus quos tribuit Status titulo dotationis pro clericis, confert etiam Ecclesiae vel viris ecclesiasticis alia emolumenta vel subsidia sive ad sumptus divini cultus explendos (art. 34 Concordati), sive pro Seminariis Conciliaribus (art. 35), sive pro sustentatione nonnullarum Religiosarum Familiarum (ibid.), etc. Quae nemo autumabit dicere data esse titulo dotationis beneficiorum ecclesiasticorum. Et quamvis in ipso Concordato (aa. 36 et 38) horum quoque emolumentorum erogatio appelletur dos seu dotatio pro cultu, tamen toto caelo differt ab alia redituum parte quae in iisdem articulis dicitur dos seu dotatio cleri.

Consideratio facti, memorato Concordato.

7. Age iam, propius accedentes ad nervum dubiorum, quae ab Episcopo Canariensi proposita sunt, adnotemus in concordato hispano clare et distincte recenseri, sub ipso nomine dotationis, nempe dotationis ministrorum ecclesiasticorum, eos reditus, qui constituunt veram et propriam dotem beneficiorum ecclesiasticorum, quique proinde soli habendi sunt in censu proprie dictae dotationis; ceteri vero reditus aut emolumenta, quae tribuuntur Ecclesiae vel immo viris ecclesiasticis, sed ex alio diverso titulo, tametsi ecclesiastico, extra rationem dotationis beneficiariae sunt habenda. Ex. gr. sic habetur in Concordato: « Art. 31. Reditus annuus cuique Archiepiscoporum in dotem assignatus, erit ut sequitur (hic distincte recensentur reditus singulis pro dotatione attributis, et successive idem traditur de Episcopis; et postea in art. 32 cum distinctione de dignitatibus, canonicis, beneficiariis capitularibus; postremo in art. 33 de parochis et vicariis paroecialibus). Haec proinde constituunt veram dotationem beneficiariorum ecclesiasticorum. Porro in iisdem articulis alia adnectuntur sub horum verborum tenore: *a*) In art. 31: « Gaudebunt insuper Archiepiscopi et Episcopi suis palatiis, pomariis, hortis aut aedibus, quae in qualibet Dioecesis parte ipsorum usui ac solatio destinatae, et minime alienatae fuerint »; et in art. 33: « Praeterea tum Parochi proprii tum Coadiutores fruentur aedibus eorum habitationi addictis, necnon hortis seu possessionibus, quae venditae minime fuerint, et vulgari nomine *Iglesarios*, *Mansos* vel alio appellari consueverunt ». Iam haec extra rationem dotationis sunt habenda; quoniam nec omnibus indiscriminatim assignantur; eadem sunt pro singulis qui in eadem mensura dotationis iuxta diversitatem graduum aequiparantur, nec diversa sunt

pro diversa beneficiorum conditione; sed dumtaxat relinquuntur fruenda, *si et quatenus sint;* quod si in aliqua Dioecesi v. g. non habeatur palatium pro Episcopi habitatione, aut in aliqua paroecia deficiat domus paroecialis, eo quod alienata fuerint, tunc nihil Episcopo aut Parocho tamquam supplementum pro palatio aut domo paroeciali assignatur; contra debuisset assignari, si palatia episcopalia et domus paroeciales constituerent partem dotationis, nam in Concordato recepta est regula ut dotatio par esset omnibus qui in eadem conditione beneficiaria comperiuntur. *b*) In art. 34: « Pro iis vero (sumptibus) qui administrationis et sacrae visitationis causa extraordinarie requiruntur, singulis Metropolitanis intra viginti millia argenteorum annua vice conferentur ». Neque haec ad dotationem Archiepiscoporum et Episcoporum pertinere dicenda sunt; quia assignantur eis ex alio titulo, nempe causa sumptuum extraordinariorum pro administratione et visitatione pastorali. *c*) In art. 33: « Itemque parochi proprii et sui coadiutores ex iuribus stolae et oblationibus, vulgo *pie de altar*, partem cuique respondentem percipient ». Iuxta ea, quae supra diximus, pro dotatione parochorum et suorum vicariorum non sunt hoc in casu computanda haec iura stolae et oblationes; percipiuntur enim ex alio diverso titulo.

Conclusio de subsidio novo: rationem dotationis non habet.

8. Iam ex his omnibus praemissis possumus directe respondere dubio proposito, an scilicet subsidium, ab Statu hispano concessum peculiariter clericis apud Insulas Canarias munus ecclesiasticum gerentibus, habeat rationem dotationis, seu nempe sit augmentum, supplementum, accessio, pars dotationis. Et responsio negativa videtur tenenda; eo quod subsidium istud non datur titulo dotationis sed titulo indemnizationis seu compensationis pro residentia in illis insulis. Plane constat eos reditus esse habendos certe ecclesiasticos, et tribui ex titulo ecclesiastico, et dari clericis tamquam ministris Ecclesiae non tamquam officialibus Status; sed titulus immediatus et proprius, ex quo conceduntur, non est titulus dotationis, est alius titulus diversus prout diversus est titulus quo relinquitur in Concordato Episcopis usus palatiorum, Parochis vero usus domorum paroecialium; quo assignantur Episcopis peculiares reditus pro sumptibus administrationis et visitationis; quo Parochis eorumque cooperatoribus tribuuntur iura stolae et oblationes. Nam quo titulo datur hoc subsidium clericis Canariensibus ? non propter rationem officii vel muneris, sed propter peculiares conditiones residentiae ipsorum in illis Insulis, nempe ob maiores et peculiares expensas ferendas ex

illa residentia, ex itineribus suscipiendis, etc. Ideo quoque fit distinctio, et *maius* vel minus subsidium conceditur prout agatur de iis qui ex iussu Superiorum aut de iis qui sponte sua ibi resident ac munus exercent, itemque de iis qui alienigenae vel indigenae sunt ; nam huiusmodi distinctio non desumitur ex ipsa ratione muneris seu officii, sed ex aliis titulis extrinsecis.

Confirmatio ex exemplo contrario in Hispania,

9. Quae maius robur accipiunt si animadvertamus Statum hispanicum, adimpleturum promissiones in Concordato factas, concessisse anno 1920, verum augmentum dotationis, et quidem sub eo nomine, titulo et ratione, omnibus per universam Hispaniam beneficiariis capitularibus et paroecialibus ; adiunxit enim singulorum *dotationi* 750 libellas annuas pro beneficiariis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ; evexit autem ad 1000 libellas *dotationem* beneficiariorum et cooperatorum in ecclesiis collegiatis suppressis et paroecialibus, ad 1500 libellas *dotationem* parochorum ruralium, ad 1750 parochorum ingressus, ad 2000 parochorum ascensus, ad 2250 ut minimum parochorum terminos. De his augmentis non est dubitandum quin effecerint accessionem vel pinguiorem partem dotationis ; quoniam id clare exprimitur in ipso tenore et ratione legis ; dantur enim ex sola ratione officii et tribuuntur generatim omnibus beneficiariis ; contra nihil horum deprehenditur in decreto, quo clericis Canariensibus subsidium conceditur ob residentiae compensationem.

in Italia.

10. Idipsum confirmari potest, si instituamus comparationem cum augmento nuper concesso in Italia beneficiariis ecclesiasticis, quod relate ad canonicos aliosque beneficiarios capitulares declaratum est a Sacra Congregatione augere dotationem, ideoque ex illo detrahendam esse partem tertiam, quae in distributiones quotidianas convertatur. Equidem recte, nam ipsum decretum statuebat disertis verbis : « Art. 3. Sarà concesso dall' Amministrazione del Fondo per il Culto un assegno supplementare alle seguenti categorie del Clero, *fino a portare la congrua*, compresi i predetti casuali, alla misura rispettivamente indicata ». E converso nullum verbum occurrit in decreto Status hispanici, unde attribuamus conditionem dotationis subsidio quod conceditur clericis Canariensibus ; sed appellatur peculiaris compensatio pro residentia.

Satisfit difficultatibus :

ex alia explicatione diversae mensurae subsidii,

11. Restat ut nonnulla declaremus quae in contrarium oggeri possunt. Sane imprimis diversa conditio et peculiaria *adiuncta locorum*, ubi resideant beneficiarii, potest esse ratio cur diversa mensura *dotationis* assignetur diversis beneficiariis, sic nimirum ut nonnullis, non vero ceteris augeatur, quamvis

omnes ad eumdem gradum beneficialem pertineant. Exemplum habetur in eodem Concordato Hispaniae, quod *pro diversitate locorum* diversam *dotationis* mensuram attribuit praesertim Episcopis et Parochis; v. gr. legitur in art. 31 « Almeriensi (et ceteris qui residentiam habent in civitatibus capitibus provinciarum civilium) nonagïnta millium; Asturicensi (et ceteris, quorum residentia est in civitate vel oppido extra capita provinciarum civilium) octoginta millium »; et art. 33: « Pro Parochis in urbanis paroeciis annuus reditus intra tria et decem millia argenteorum constituitur; in ruralibus vero minimum reditus duo millia et biscentum attinget ». Huic tamen animadversioni respondendum videtur, ut quamvis illa vera sint, non tamen concludendum sit quaelibet peculiaria emolumenta vel subsidia, quae *ex diversitate residentiae* tribuantur viris ecclesiasticis, esse concessa titulo dotationis vel tamquam augmentum dotationis, siquidem possunt concedi ex diversis titulis. Oportet ergo in singulis casibus attendere titulum, ex quo emolumenta concedantur. Porro in casu nostro nullum adesse videtur indicium ut dicamus subsidium, concessum clericis Canariensibus sub nomine compensationis residentiae, tribui ratione seu titulo dotationis vel tamquam partem dotationis.

Ex ratione qua subsidium definitur;

12. Secundo obiici potest quod mensura, qua definitur ipsum subsidium Canariensibus, reponatur in quota parte dotationis, id est 30 vel 15 pro 100 dotationis, quasi nempe sit eiusdem dotationis pars. Contra tamen id ex eo dumtaxat videtur esse factum quod quaereretur certa et congrua norma ad determinandam mensuram subsidii singulis attribuendam, eaque norma censeretur recte reponi in quota parte dotationis; nam et subsidium pendendum est ab Statu qui et idem pendit dotationem, et respondere debet conditioni singulorum clericorum prout respondet dotatio. Idem ceterum est de officialibus civilibus in praefatis Insulis. At non exinde colligitur ipsum quoque subsidium esse pars dotationis aut dari titulo donationis.

ex vi in pensionem;

13. Tertio difficultas enasci posset ex eo quod, subsidium vel augmentum, concessum clericis Canariensibus, videatur computandum in pensione adsignanda. Sed id omne incertum est; quia in Hispania numquam videtur Status adsignare clericis veram pensionem; nec etiam constat ut, si alicui clerico adsignaretur pensio, haec mensurae dotationis coaequaretur.

ex servato augmento ab eo qui ad tempus recedat.

14. Denique alia difficultas deprehendi posset in eo quod, clericus habitualiter residens in Canariis Insulis, si ad tempus rediret in patriam, tamen pergeret eo ipso tempore frui subsidio vel augmento, de quo in casu. At vero non apparet quo-

modo difficultas inde obtrudatur; nam una ex causis, ob quas datur huiusmodi subsidium vel augmentum, invenitur praecise in peculiaribus expensis quas clericus ferre debet in aggrediendo itinere ut ab Insulis Canariis veniat in patriam iterumque ex patria redeat in Canarias Insulas.

Conclusio iterata.

15. Quae omnia cum ita sint, conclusio fluere videtur ut dicamus subsidium vel augmentum in casu concessum clericis Insularum Canariensium, nequaquam habendum esse in censu dotationis seu tamquam dotationis partem vel accessionem, immo neque obnoxium legi can. 395 praescriptae.

Comitia 19 feb. et 16 iul. 1927.

Resolutio. — In plenariis comitiis Sacrae Congregationis Concilii, habitis in Palatio Apostolico Vaticano, die 19 Februarii et 16 Iulii 1927, E.mi Patres, omnibus rerum adiunctis attente perpensis, respondendum censuerunt:

Responsio.

« Negative ad utrumque dubium ».

Approbatio Pontificis, 17 iul. 1927.

Facta autem relatione Ss.mo D.no Nostro Pio Pp. XI in audientia diei subsequentis per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

† Iulius *Ep. tit. Lampsacen.*
Secretarius.

Annotatio

Prudens et ampla explicatio quae relato consultoris voto continetur, plures annotationes superfluas efficit.

Itaque satis nobis erit lectorem attentum facere ad accuratam disputationem de dote et de fonte unde tertia pars pro cotidianis distributionibus detrahenda est.

Simul laetamur quod confirmetur sententia nostra qua, *Epitome iuris canonici* 3⁰, III, 743, declaravimus iura stolae et praestationes rationem dotis non habere nisi quatenus ex positiva Praelati definitione in dotem assumantur.

Arbitramur simul confirmari sententiam ibidem n. 798 propositam, qua negavimus ad dotem e iuribus stolae et praestationibus constitutam, applicari debere can. 1473 de obligatione impendendi superflua in pios usus.

A. Vermeersch S. I.

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex Libris.*

D.r Prof. **August Knecht.** *Handbuch de Katholischen Eherechts,* auf Grund des Codex iuris canonici und unter Berücksichtigung des bürgerlichen Eherechts des Deutschen Reiches, Oesterreichs, Ungarns, der Tsechoslowakei und der Schweitz vol. (16 × 24,5) XI-812 p. Herder, Freiburg im Breisgau, 1928. Pretium: 29,60 MK.

Einleitung: Werdegang und Begriff. - Quellen - Literatur.

I. Die Ehe als Natureinrichtung; Die Ehe als Sakrament; ihr Verhältnis zu Kirche und Staat.

II. Die Vorbereitung der Eheschliessung. 1. Die Vorbereitung der Eheschliessung: Verlöbnis, Brautexamen, Eheverkündigung. 2. Die Ehehindernisse und ihre Beseitigung.

III. Die Eheschliessung: Der Ehewille als erschaffende Macht; die Eheschliessungsform; die Wirkungen der Eheschliessung.

IV. Die Trennung der Ehegatten: die Auflösung des Ehebandes; die Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft.

V. Die Behebung der Eheungültigkeit.

VI. Die Wiederverheiratung.

VII. Der Eheprozess.

Anhang: Erlasse von Päpsten; Erlasse und Entscheidungen von Kardinalskongregationen.

Register.

Dom. M. Prümmer, O. Pr., Prof. in Univ. Frib. Helvetiorum. *Manuale Theologiae moralis secundum principia S. Thomae Aquinatis,* in usum scholarum, 3 vol. (16 × 24,5) XXXVII - 462; X-546; XI-697 p. ed. 4 et 5.

Friburgi Brisgoviae, Herder, 1928. Veneunt: I, Mc. 10; II, Mc. 11; III, Mc. 13. (linteo relig. 11, 60; 12, 60; 14, 60).

Vol. I. Catalogus auctorum. — Introductio in theol. mor. Pars I: De fine ultimo hominis; De actibus hum.; De legibus; De conscientia; De peccatis in genere; De virtutibus in genere; De fide theologica et vitiis oppositis; De spe theol. et vitiis oppositis; De caritate theol. et vitiis oppos.; De prudentia et vitiis oppositis. — II. De iustitia et vitiis oppositis; De reli-

gione; De pietate, observantia, oboedientia, de ceteris virtutibus annexis; De fortitudine et vitiis oppositis; De temperantia et vitiis oppositis (ubi de castitate et luxuria). — III. De sacramentis: De sacramentis in genere; De baptismo; De confirmatione; De eucharistia; De poenitentia; De poenis; De indulgentiis; De extrema unctione; De ordine; De matrimonio.

(Ex Praefatione) « Superior huius operis editio constabat 4500 exemplarium, quae his quattuor vel quinque annis empta sunt. Quod quidem clare commonstrat, hoc opus esse haud paucis gratum acceptumque. Hinc stimuli mihi admoti sunt ad diligenter aeque ac assidue laborandum, ut magis magisque huius operis et verba perpolirentur et perficerentur res ipsae omnes. Potissimum autem mihi cordi fuit ut in hac nova editione omnia quam accuratissime concinerent cum decisionibus Curiae Romanae etiam novissimis. Eadem qua ante methodo usus, maiorem operam consumpsi in principiis ad virtutibus plane et dilucide exponendis quam in permultis casibus « casuistice » accumulandis enucleandisque. Nec tamen prorsus neglexi artem eam quam vocamus casuisticam ».

Iosephus Pejscka, C. SS. R. *Ius canonicum religiosorum,* ed. 3ª (prima iuris publici). vol (15 × 23,5) XIV-366 p. Friburgi Brisgoviae. Herder, 1927. Venit MK. 8,50.

I. Ius publicum sive sociale religionum. — II. De statu Personarum communi. — III. De regimine religionum. — IV. De rebus sacris.

I. R. Loinaz, S. I. *Praelectiones e theologia naturali.* Vol. (15×22) VIII-475 p. Taurini, Marietti, 1929. Venit 25 L. ital.

Prolegomena. - I. De exsistentia Dei in ordine rerum. Deus cognoscibilis: qua via. Variae validae demonstrationes. - II. De essentia Dei. Generaliora. Magis determinata. Perfectio Dei. Infinitas; Simplicitas. Essentia formaliter talis. Ontologicum praedicatum. Habitudo essentiae ad praedicata. - III. Attributa absoluta quiescentia: Dei stabilitas; immutabilitas; aeternitas; unitas; veritas; bonitas. - IV. Attributa absoluta actuosa: de divino intellectu; de divina voluntate. - V. Attributa relativa actuosa: Potentia, Concursus, Providentia Dei, Gubernatio Dei. Eius Dominium.

D.r **Franziskus Deininger,** O. S. B. IOANNES SINNICH. *Der Kampf der Löwener Universität gegen den Laxismus.* Ein Beitrag zur Geschichte der Moraltheologie. vol. (15 × 23) 418 p. L. Schwann, Düsseldorf, 1918.

Vorwort. Einleitung. I. Die alte Löwener Hochschule und Sinnich als ihr Mitglied. Allgemeine geschichtliche Stellung

der Löwener Hochschule. - Zur Geschichte des Laxismus und Löwens Stellung zur antilaxistischen Moral. Zur Persönlichkeit Sinnichs. Sinnichs Schrifttun. - II. Das Ignoranzproblem als Grundelement der Lehre Sinnichs. Lehre bei Sinnich und Kritik. - III Sinnichs antilaxistische Lehre.

Ergebnisse. - Anmerkungen. - Anhang. Personen. Sachverzeichnis.

Francisco Marxuach S. I. *La fundamental diferencia entre Dios y los demas seres segun santo Tomas,* vol. (16×24) 15 p. « Estudios ecclesiasticos » 1928. Precio: Una Peseta. En solo Dios la esencia y la existencia son absolutamente lo mismo. - I. In Deo idem est (non modo realiter sed etiam formaliter) esse et essentia. II. In omnibus rebus, aliis a Deo, differt (saltem formaliter) esse et quod est.

D.r Tilla Vulhopp. *Une politique des Familles nombreuses en Belgique.* (15×23,5). 434 p. (Société d'études morales, sociales et juridiques, Louvain) Bruxelles, Dewit. Paris, Giraudon, 1929. Prix 40 francs.

Introduction. I. Politique de repopulation, pol. familiale, politique des familles nombreuses. — II. L'objection: Les dangers de la surpopulation (défaut de subsistances; diminution du bien-être; quantité nuisant à qualité; guerres; misère des familles nombreuses). — III. Comment, en Belgique, se pose la question: situation démographique, économique, morale des familles nombreuses; leur importance pour le pays. — IV. Les causes de dépopulation. — V. Les remèdes. — VI. Les réalisations en Belgique: ligue, patrons, ouvriers, commission, dispositions légales. Appendices. Divers documents et statistiques.

Guerry, Dr Theol. et iuris. *Code de l'Action catholique,* composé article par article, de textes extraits des Encycliques et autres Documents pontificaux, vol. (12 × 19) X-154 p. Paris. Action populaire. « Édition Spes » 1928. Prix: 7 fr.

I. L'Église: l'Église en elle-même. Rapports de l'Église et de l'État. L'action catholique au service de l'Église. - II. La société. L'individu. La Famille. L'École. La Cité. La vie sociale. La chrétienté.

Willy Van Eekhout. Avocat honoraire. Conseiller juridique. Professeur de droit des assurances. *Manuel d'assurances.* vol. (13 × 18) 143 p. Bruxelles, Bruylants, Louvain, Soc. d'études morales, sociales et juridiques, 1929.

Principes généraux. - Incendie. - Vie. - Accidents.

Henri Heyman. *Centralisation et Rationalisation des entreprises industrielles en Belgique.* vol. (12 × 18) 112 p. Louvain,

Soc. d'études morales sociales, et juridiques. 1928. Prix: 7 fr.

Introduction. De la concentration. De la Rationalisation. Avenir de l'organisation scientifique.

*** *In regulam Sancti Patris Benedicti Declarationes et Constitutiones Benedictinorum operi monastico pro Russis in Belgio addictorum.* vol. (10, 2×23, 5) 100 p. Romae. Typis Vaticanis, 1928.

Litterae apostolicae 21 mart. 1924, ad Abbatem Primatem. — Declarationes. — Constitutiones. — Decretum Pontificiae Commissionis pro Russia, 31 iul. 1928.

Dr. Ioannes Roder. *Ordinandorum Enchiridion.* Ed. alt. aucta et expolita, curante Can. **Marco Belli.** vol. (12×18) 90 p. Neapoli. M. D' Auria, 1928.

De divina vocatione ad statum clericalem. — De Tonsura clericali. — De sacra ordinatione (ministro, subiecto, requisitis, ritibus, tempore, loco, annotatione). — De ordinibus minoribus. — De ordinibus maioribus.

Laveille et C. Collin. *Gabriel Deshayes et ses Familles religieuses,* d'après des documents inédits. Vol. (13,5×20) VII-583 p. Bruxelles, Marette, 1924. Prix 12 fr.

Enfance et jeunesse. — Sous la révolution. — Les années de vicariat. — La paroisse de S. Gildas d'Auroy. — L'action paroissiale. — Les fondations extra-paroissiales. — Fondation des Frères de Ploërmel. — M. Deshayes Sup. gén. de la Comp. de Marie et des Filles de la Sagesse. — Les Missionnaires de la Comp. de Marie. — Les Frères du St. Esprit. — L'oeuvre des sourds-muets. — Les Frères agriculteurs de S. François d'Assise. — Aide apportée à plusieurs Congrégations. — L'homme et le prêtre. — Les dernières années. — La filiation des Frères de Saint-Gabriel.

Emilio Hoenning O' Carroll. *Meditazioni. II Natale e Epifania.* Vol. (11×17.) 469 p. Venezia. Libreria Emiliana editrice, 1928.

Il S. Natale (Med. I-VII). — La Circoncisione del Signore (Med. VIII-XIV). — I Domenica dopo l' Epifania (Med. XV-XXI). — II. Domenica dopo l' Epifania (XXII-XXVIII). — III. Domenica dopo l' Epifania (XXIX-XXXV). — IV. Domenica dopo l' Epifania (XXXVI-XLII). — V. Domenica dopo l' Epifania (XLIII-XLIX). — VI. Domenica dopo l' Epifania (L-LVI).

Umberto Gaspardo. *Dalle Ceneri a Pasqua.* Messalino per la Quaresima con note storico-liturgiche e brevi riflessioni sul vangelo per ogni giorno. Prefazione del Card. MAFFI, vol. (10,5 × 16) XI-371 p. Torino - Roma Marietti, 1929.

Prefazione. Ordinario della Messa. Messe della Quaresima. Settimana santa. Pasqua di Risurrezione.

II. *Ex Periodicis*

Apollinaris, 1928. — SOSIUS D'ANGELO. De aequitate in « Codice iuris canonici ». De possessione beneficii. De Professione Fidei. — CICOGNANI. Nomen Codicis. — DE SCHEPPER, F. M. Cap. De oeconomiae socialis et quaestionis socialis-oeconomicae vera natura. — MAROTO F. C. M. De loco ad confessiones excipiendas. — D'AMBROSIO, F. M. Conv. De domo Generalicia Instituti Polydioecesani quoad canonicam visitationem can. 512 § 1 n. 2 praescriptam et quoad poenas can. 2413 sancitas.

Collationes Brugenses, 1928. I. BRYS. De absolutione a censuris in periculo mortis. - De dispensationis ecclesiasticae notione. - De celebratione pro grege. — C. CALLEWAERT. Missae de dominica de feria, de festis. - Tu autem Domine miserere nobis. — V. COUCKE. De sacramentorum denegatione indignis. — A. LEGRAND. De scapularibus in genere. - Octiduum supplicationum ad Ecclesiae unitatem obtinendam. — H. LAMIROY. De obiecto meriti. — ST. WILLEMS. Casus de communicatione in divinis. - De facilitate bene operandi.

Collationes Gandavenses, 1928. I. CLAEYS BOÚÚAERT. De delegatione ad universitatem causarum eiusque in materia matrimoniali applicatione. — V. MANNAERT. De dispositione corporis ad s. communionem requisita. — F. BLATON. Num licet agere iuxta conscientiam practice dubiam.

Collationes Namurcenses, 1928. L. BLONDIAU. De parochorum potestate dispensandi in re matrimoniali. — E. RANWEZ. De metu. — V. GÉRARD. L'esprit de foi. — M. LECLERC. L'Église et l'État. Union et protection mutuelle. - Pie X et le Modernisme.

Collationes Tornacenses, 1928. *** Spes in genere; obiectum materiale spei theologicae. - De ministro in missa privata regulae praecipuae.

1929. *** De lotionibus vaginalibus. - La direction spirituelle des vocations. - Obiectum formale spei. - De osculis in liturgia. - A. LEMAIRE, S. I. La réaction contre la propagande protestante.

Collectanea Mechliniensia, 1928. A. GOUGNARD. De materia remota Extremae Unctionis. -L'Apostolat catholique chez les médecins. — P. GILLET. De promulgatione legum ecclesiasticarum.

1929. P. GILLET. La procédure de béatification et de canonisation. — De subiecto legis particularis. — NAULAERTS. De

gratiae plenitudine in Maria. — A. GOUGNARD. De materia proxima Extremae Unctionis. — A. CROEGAERT. De ordinibus baptismi. — F. VERHELST. La sixième semaine de Missiologie.

Commentarium pro religiosis, 1928. — A. LARRAONA Comment. Cod. c. 515. 516. — S. GOYENECHE. Quaesita varia. Qua potestate Praelatus suspendit. - Superior prohibens subditis librum vel periodicum. - Apostata ex intentione interna ? - Fuga cum muliere - Prohibitio egressus nocturni sub gravi. - Communicatio privilegiorum. - Usus dependens illicitus et non contra votum. — D. MAURUS GÓMEZ, O. S. B. De abbatum potestate Tonsuram ordinesque minores conferendi. — F. ARSENIUS VERCAUTEREN, O. F. M. De nova regula Tertii Ordinis Regularis S. Francisci.

Ephemerides Liturgicae, 1928. — V. TIROZZI. De oratoriorum numero et iure; de conopaeo, etc. — P. BATTISTINI. De sepulturis subtus vel prope altare. - De calendario adhibendo in oratorio semi-publico piae communitatis. — P. DE PUNIET. Le pouvoir sacerdotal de bénir. — I. M. HANSSENS, S. I. L' Agape et l'Eucharistie. I. Le fait de l'agape. — L. GOUGAUD. Goupillon. Le mot et la chose. — P. SALMON. Les « Amen » du canon de la Messe. R. PASTÈ. De confessione liturgica seu intra Missam.

Estudios Eclesiasticos, 1929.

TEIXIDOR, L. Una questión lexicográfica. El uso de la palabra, justicia original, en Santo Tomás de Aquino.

MARCH, J. M.a. Nueva documentación inédita de San Francisco de Borja.

Estudis Franciscans, 1928.

P. RAFAEL DE MATARÓ, Del problema de l'anormalitat mental. — P. F. M. XIBERTA, O. C. C. Una falsa concepció del realisme moderat. — P. HUBERT KLUG. B. Ioannis Duns Scoti doctrina de Sacrificio, praesertim de sacrosanto missae sacrificio.

Gregorianum, 1928.

A. LANDGRAF. Kindertaufe und Glaube in der Frühscholastik. — A. MUNZI, S. I. Il valore del principio di contradizione nella filosofia di Aristotele. — M. DE LA TAILLE, S. I. Controversia de caelesti sacrificio et sacrificio missae. — E. SPRINGER, S. I. De SS. Eucharistiae virtute atque necessitate. — V. DE BROGLIE, S. I. De ultimo fine humanae vitae asserta quaedam. - Recensiones. Chronica.

Jus Pontificium, 1928, — XXX. Post decem annos a Codice i. c. applicatione, cum tabulis. — I. SALSMANS, S. I. De elemento morali in Codice. — G. ARENDT, S. I. concordia can. 214

et 1072. — G. OESTERLE. Elucubratio historica circa declar. authent. can. 1085. — F. CLAEYS BOÚÚAERT. Potestas delegata ad univ. causarum, quomodo subdelegabilis. — VROMANT, C. I. M. Negotiatio clericis et religiosis interdicta - Licentia erigendae domus religiosae. - Iuramentum missionis. B. OJETTI, S. I. In can. 125. - Missa non celebranda in privatis domibus. — P. GILLET. Lex data et mondum promulgata. — A. TOSO. Commentaria a can. 512-534.

Benediktinische Monatschrift, 1928. — ATHANASIUS MILLER. Heimatflucht und Heimatpflege. — P. FR. DEININGER. Vom sittlichen Sollen der Weihnacht.

1929. — P. Fr. DEININGER. Epiphaniegeist und das neue Lebensgefühl — P. THOMAS OHM. Heidenmission und Liturgie. — P. WILLIBRORD BESSLER. Der Aufbau des Prologs zur Regel des hl. Benedikt. — Dr. M.-L LASCAR. Erziehung zur Demut.

*** *Verfasserverzeichnis der ersten zehn Jahrgänge* (1919-1928).

Il Monitore Ecclesiastico, 1928. — P. A. I. (Ill. D.) Circa arretrati di congrue di parrocchie unite a Capitolo. - Circa una pretesa tassa d'ingresso nel Capitolo. - Circa un obbligo di confraternità che a i suoi beni indemaniati.

G. B. M. Circa la precedenza nel Collegio dei parroci.

1929. — P. A. I. (Ill. D.) circa una fondazione collegiale « ufficiatura » istituita per testamento. - Circa l'amministrazione di una Chiesa Ricettizia, dopo la dismissione delle rendite. — P. FANFANI, O. P. Circa la facoltà di Professione religiosa, prima del servizio militare.

Perfice Munus, 1928. — ANDR. GENNARO, S. S. Cessazione degli impedimenti di matrimonio. — LARDONE. Digiuno e binazione. - Assistenza a funerali civili. - PAGAN. Frammenti nella pisside. - Messa dialogata — I. ADLOFF. La direzione nella confessione. — E. NADDEO, O. S. B. Gli archivi parrocchiali. - L'allenamento prossimo alla cura d'anime. — VITTORIO NASONI. Intorno ai testamenti informi. — G. ROSSI. Il prete e la croce. - L'assoluzione del complice in peccato turpi. — FELICE RAVANAT. Messa ed esposizione del SS.mo. Dell'inserviente nella messa letta. S. B. Dispense matrimoniali. - Ancora sul can. 105.

1929. — I. ADLOFF. La direzione dei peccatori. - G. ROSSI. L'assoluzione del complice in peccato turpi. - Prof. LAGHI. Il testamento segreto.

Palestra del Clero, 1928. Mons. BONINCONTRO. Caritas. — Dr. MARIO PISTOCCHI. Della dote beneficiale. — MAURO VALENTINO da CASORIA, O. F. M. Debiti e obbligazioni contratti

dai Religiosi. — SISTO SCAGLIA, O. Cist. La teologia e i monumenti. - La prece pei defunti. — E. NADDEO, O. S. B. Teologia pastorale. Direzione spirituale. — GIOVANNI BUTTIGNONI. Dell' operazione « Porro ». - Digiuno e comunione. - Casistica morale. - Vita sacerdotale. - Nuovo matrimonio senza sentenza di nullità del primo. - L' assistenza passiva nei matrimoni misti. - D.r D. ARGEO MANCINI. S. S. Casistica morale. - Prof. GIOV. DALLA NEGRA. Del timore come vizio di consenso. - Avv. D. PASQUALE VITO. Questioni canoniche. - L' Ordinario e le messe nelle singole parrocchie. - De loco baptismi. — G. MONETTI, S. I. La crociata eucaristica dei fanciulli. - La consacrazione delle famiglie al sacro Cuore di Gesù. - Cultura delle vocazioni sacre. — Prof. GUIDO COCCHI. Erezione delle quasi-parrocchie. — *(Ministerium Verbi)* G. MONETTI, S. I. Omelie sui vangeli. — S. E. Mons. F. DE SANTA. Discorsi di circostanza. - Istruzioni catechistiche. — PIETRO PEZZALI. La parola missionaria.

1929. — Mons. GIOVANNI BUTTIGNONI. Cooperazione ai danni altrui. - Vita sacerdotale. - Scambio di bambini e matrimonio tra fratelli. — Dott. COCCHI, C. M. Diritto di battezzare. - Trasmissione di Messe con trattenuta a favore di un Santuario. - I Regolari e il ius funerandi. - Animo di aderire più tardi a voti emessi in religione. — Dott. Avv. VITO. Mansionari. - Esequie ed invito al clero locale. - Alienazione e restitutio in integrum. - Benefizio conferito e poi ritolto. - Oneri da dedursi per il seminaristico. - Riserva dei peccati fuori Sinodo. - Dispensa dal coro per eseguità di rendite dopo i recenti augmenti di congrua. — Mons. ANGELO GRAZZIOLI. I vantaggi della Confessione frequente. - Censura e licenza nelle pubblicazioni dei sacerdoti. — Prof. DELLA NEGRA. Metus levis. - Legge civile e buon costume. — *(Ministerium Verbi)* Mons. PEZZALI. Perle evangeliche. - Discorsi di circostanza. - G. MONETTI, S. I. Sulle epistole domenicali. - Discorsi di circostanza. — Mons. E. BECCEGATO. Riflessioni sul vangelo. — MARIO PISTOCCHI. Conferenze. — Mons. F. DE SANTA. Istruzioni catechistiche. - Discorsi di circostanza.

Pastor bonus, 1928. Mgr. Prof. HULLEN. Die Ehe einer Unaufgeklärten. — D.r P. KETTER. Iudaskommunion ? - Der H. Paulus und die Frauenmode in Korinth. — D.r LENTZ. Das Recht des unehelichen Kindes. — D.r OSKAR MEISTER. Zur Geschichte der volkswirtschaftlichen Studienrunden. - Versicherung und Sittlichkeit.

1929. — D.r A. MÖNCH (Ill. D.) Niedergang oder Aufstieg. —

M. GIERENS, S. I. Katholische Aktion und Gesetz der Liebe. — Pfr. STEINMETZ. Die zeilgemässe Predigt, ihre Qualitaten und Stoffgebiete.

Le Recrutement sacerdotal, 1928. — J. BLOUET. Les vacances des Séminaristes. - Le G. La montée du sacerdoce. - X. Les écoles apostoliques. - P. DE BREM, S. I. La direction spirituelle des enfants appelés an sacerdoce.

Revue des Communautés religieuses, 1928. — XXX. Documents du Saint-Siège (1918-1924) Texte et Commentaire:

1929. — E. JOMBART, S. I. La Coutume. — Le calcul du temps en droit canoniqne. — R. BROUILLARD, S. I. La vocation. — N. PIKERY, S. I. L'examen de conscience. — J. CREUSEN, S. I. Le Code et les pratiques de dévotion. - Les pouvoirs des aumôniers. - L. HONORÉ, S. I. La messe de minuit. - L. POULLIER, S. I. La retraite annuelle.

Revue ecclésiastique de Liège, 1928. — L. KERKHOFS (III D.) La méditation dans la vie du prêtre. — G. KISELSTEIN. De praecepto ecclesiastico confitendi peccata. - Dispensatio ab impedimento mixtae religionis. - A. POSTELMANS. De diebus privilegiatis pro defunctis. - G. SIMENON. Les curés et les largesses aux bonnes oeuvres. - Absolutio a peccato cui annexa sit censura reservata.

1929. — G. KISELSTEIN. *L'Extrême-Onction, sacrement des malades*. — De parochi potestate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus. — E. LEROUX. De obligatione tempestive exonerandi missas ob stipendium debitas. — A. POSTELMANS. « Communicantes ». « Hanc igitur ».

Nouvelle Revue Théologique, 1928. — I. B. RAUSS, C. SS. R. St. Alphonse et les variations de son système moral. — R. LE PICARD. La notion d'ordre public en droit canonique. — L. HONORÉ, S. I. La mariage chrétien. — E. FRUTSAERT, S. I. La définition du Sacrement dans S. Thomas. — F. SALSMANS, S. I. Le pouvoir paternel d'annuler les voeux. — F. CREUSEN, S. I. Le réserve des censures « ab homine ». - Rôle du Confesseur dans l'admission en religion.

L. MALEVEZ, S. I. Un mouvement récent de la théologie protestante. — A. LEMAIRE, S. I. La réaction contre la propagande protestante. — JOS. ARENDT, S. I. La direction spirituelle des jeunes salariés. — PIERRE CHARLES, S. I. Les noirs, fils de Cham le maudit. — L. PEETERS, S. I. Une hérésie orthodoxe : l'ascéticisme. — M. DE LA TAILLE, S. I. Une histoire de la piété. — F. SALSMANS, S. I. La force obligatoire d'une loi probablement illégitime.

1929. — E. MERSCH, S. I. Religion, Christianisme, Catholicisme. — E. FRUTSAERT, S. I. St. Thomas et l'institution de la confirmation. — I. CREUSEN, S. I. La Direction des écoles dans les Vicariats et Préfectures apostoliques. — L. HONORÉ. Une Église servante de l'État.

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1928. — D. KOPLER. Klerus und Politik. — IOSEPH HECTOR, O. M. I. Der liturgische Herz-lesu-Kult in der Kirche, seine Entstehung, seine Bestätigung, sein Gegenstand. — P. MATTHAUS KURZ. Zweck und Wahl mystischer Lesung. — A. SCHMITT S. I. Notwehr? — W. GROSAM. Der Beichtvater ohne Iurisdiktion. - Volständigkeit der Beichte. — Dr. I. HARING. Die Trauung durch einen inaudito parocho bestellten Hilfspriester. — Dr. JONE, O. M. Cap. Herausgabe der Mitgift einer Ordensschwester. — I. B. RAUS, C. SS. R. Von der Restitutionspflicht, von den kirchlichen Zensuren und der besonderen. Autorität, die den Meinungen des H. Alfons in der Moral zukonunt.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, 1928. — P. DAMASUS, O. M. Cap. Volksretraiten op kleine plaatsen. — Dr. ALPH. MULDERS. Maria Middelares. — M. VAN GRINSVEN, C. SS. R. Nati ab acatholicis, baptizati catholice, educati acatholice. — J. P. VANDEN HEUVEL. De stichting van nieuwe parochie. - J. Een oordeel over de vroegtijdige Kindercommunie twee eeuwen geleden.

1929. — D.r BEIJERSBERGEN, S. I. Antwoorden over het huwelijksrecht. — D.r W. MULDER. De computandis gradibus consanguinit. inaequalibus. — A. F. JANSEN, S. I. Nieuwe weg van zielzorg.

PARS ALTERA

MONUMENTA

4. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutio Consistorialis 17 Dec. 1928.

DE CONGRESSU SYDNEYENSI

(A. A. S. 20 dec. 1928, XX, 405)

VENERABILES FRATRES

Laetus de consessu, Pontifex cum Patribus communicare proponit gaudium de conventu Eucharistico Sydneyensi conceptum.

Paucis equidem verbis vos allocuturi sumus ; eis tamen quae silentio prorsus praeteriri nequeunt. Profecto vos coram conspicere in consessu hoc amplissimo qui sacro hoc tempore cogi solet, quique oculos catholicorum omnium ad se convertit, valde id sane ad facienda verba Nos invitat, ut vos saltem consalutemus simulque profiteamur quam magnam Nobis afferat praesentia vestra laetitiam. Iamvero argumentum huc accedit quo quidem animus Noster grate iucundeque afficitur : quamobrem facere non possumus quin hoc gaudium vobiscum, Venerabiles Fratres, communicemus, unaque gratum animum Nostrum Deo et hominibus praebeamus ; quod placet — quasi suavi munere fungentes — in vestro totiusque catholici orbis conspectu testificari. De Conventu Eucharistico dicimus, qui, ut probe nostis, in Sydneyensi urbe nobilissima, confluentibus undique Christi fidelibus, haud ita pridem sollemni ritu celebratus est. Ex iis enim quae verbis scriptisque Nobis attulerunt qui coetibus affuere, imprimisque dilectus Filius Noster Bonaventura Cerretti, Legatus Noster, libenter sane compertum persuasumque habemus celebrationem illam, quamquam omnium hoc in genere novissimam, atque in regione habitam tam longo terrarum marisque tractu seiuncta, nulli tamen in huiusmodi congressionum serie magnificentia animarumque fructu cessisse; in quo quidem maxima laus est. Ecquis enim ignorat quanto-

Causae gaudendi ; mirus et plenus spe habitus Congressus.

pere ceteri, qui acti sunt, ex nationibus omnibus Congressus Eucharistici quamque mirum in modum contulerint ad fidem in populis excitandam, ad fovendam pietatem, ad christianae denique vitae usum restaurandum? In Conventu autem Sydneyensi novum quidem ac magnificum divini Regis triumphum, sub Eucharisticis velis amanter delitescentis, conspeximus; ita ut inde portendi liceat latissime illic christianum nomen propagatum feliciterque confirmatum iri. Ac certam omnino uberiorum in dies laetiorumque fructuum spem ex segete illa — omnium plane exspectationem excedente — itemque ex nova satione longe lateque diffusa concipimus, quae episcoporum missionaliumque sollertia, clero quidem christianoque populo operam eis navante, mirifice effectae sunt; egregia nempe sollertia, quam historia de sacris illis Pastoribus deque apostolicis viris, qui Australiae finitimisque insulis christianum cultum intulerunt, magnis laudibus illustrat. De omnibus his rebus, admiratione profecto atque solacio plenis, plurimas Nos equidem, una cum catholico orbe universo, Deo Optimo Maximo bonorum omnium datori, grates agimus; cum nihil prorsus, uti liquet, nisi eo afflante atque opem ferente, fieri possit. Verum probe Nos scimus atque recogitamus quo pietatis ardore studiique alacritate iis omnibus opus fuerit qui a Deo delecti sunt ut, ad Ecclesiae sanctae utilitatem et laetitiam, Congressum tam mirum in Australia ad prosperum exitum adducerent. Itaque libentes Venerabilem Fratrem Michaelem Kelly, Archiepiscopum Sydneyensem, eiusque in episcopatu collegas, et egregios ex utroque clero homines imprimis dilaudamus; quos omnes, cum apostolos, immo etiam apostolorum duces se praestiterint, verissime Sanctus Paulus grandem illam sententiam suam iterando *gloriam Christi* appellaret (*II Cor.*, VIII, 23). Deinde debitam laudem cum religiosis feminis tribuimus, quae, uti semper (maxime in iuventute rite educanda) ita hac praecipue occasione, actuose ecclesiasticis auctoritatibus opitulatae sunt, tum dilectis ex populo filiis, qui vel pueri amantissimi, vel iuvenes aetate florentes, vel mulieres virique sanis quidem consiliis praestantes, tam naviter pastorum suorum optatis responderunt. Placet insuper peculiares grati animi Nostri sensus moderatoribus ac magistratibus Australiae Civitatum hic testari, quod tam valide ad felicem rei eventum contulerint; itemque ceteris illius regionis civibus qui, quamvis Catholicae Ecclesiae non adhaerentes, tamen non modo hospitales erga nostros sese praebuere, sed etiam benevolos et amicos. Nec mittere possumus quin Nostram animi voluntatem Venerabili Fra-

Post gratias Deo peractas, eos laudat qui alacri studio Congressum ad prosperum exitum adduxerunt.

tri Thomae Ludovico Heylen, Episcopo Namurcensi, significemus, qui una cum virorum Consilio, cui praeest sollerter, Conventibus Eucharisticis ex toto terrarum orbe provehendis, rebus omnibus ita consuluit ut ad optatos exitus coeptum quoque illud sanctissimum perduceret. Volumus demum ut ii omnes qui, quoquo modo rem iuvarunt, et debito afficiantur praeconio, et paternam grati animi Nostri significationem habeant, et, caelestium auspicem munerum, Apostolicam Benedictionem accipiant. De aliis etiam, Venerabiles Fratres, laetis vel tristibus, quae menti Nostrae occurrunt, vos alloqui possemus; hoc tamen, de quo verba fecimus, tam egregium Nobis tantique momenti visum est, ut dignum id habuerimus ad quod unum Nostrum vestrosque animos converteremus, intimo fruentes gaudio et grates Deo hominibusque iterantes.

Omnibus benedicit etiam in grati animi significationem.

Superest ut viduatis Ecclesiis Episcopos praeficiamus.

---

5. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Divini cultus, » 20 dic. 1928

DE LITURGIA DEQUE CANTU GREGORIANO ET MUSICA SACRA COTIDIE MAGIS PROVEHENDIS.

(A. A. S. 6 feb. 1929, XXI, 33)

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divini cultus sanctitatem tuendi cum Ecclesia a Conditore Christo munus acceperit, eiusdem est profecto, salva quidem Sacrificii et sacramentorum substantia, ea praecipere — caerimonias nempe, ritus, formulas, preces, cantum — quibus ministerium illud augustum et publicum optime regatur, cuius peculiare nomen est *Liturgia,* quasi actio sacra praecellenter. Atque res utique sacra est liturgia; per eam enim ad Deum evehimur ipsique coniungimur, fidem nostram testamur nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo

Eccae provincia circa cultum. Liturgiae notio, praestantia, necessitudo cum dogmate et populi sanctificatione.

inter dogma et liturgiam sacram, itemque inter cultum christianum et populi sanctificationem. Quapropter Caelestinus I fidei canonem expressum esse censebat in venerandis liturgiae formulis; ait enim: « *legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur* ». (1)

Varium nomen et vis actionis liturgicae.

Quae communes supplicationes primum *opus Dei*, deinde *officium divinum* appellatae, quasi debitum cotidie Deo solvendum, noctu dieque olim fiebant, magna quidem christianorum frequentia. Ac mirum quantum iam inde ab ipsa antiquitate temporum ingenuae illae cantilenae, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populo pietatem contulerunt. Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinebant, non parum liturgici cantus eo valuere ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, historia teste, adducerentur. In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt; quamobrem Valens imperator arianus, prae divini mysterii maiestate, a S. Basilio peracti, stupore quodam insolito correptus, animo deficiebat; ac Mediolani S. Ambrosius ab haereticis arguebatur se turbas liturgicis cantibus fascinare, quibus quidem perculsus Augustinus consilium cepit Christi fidem amplectendi. In ecclesiis deinde, ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat, opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, litterarum ipsi studiosi, per liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet.

Inde Pontificia sollicitudo de Liturgia.

Ex his intelligitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint. Itemque patet cur Sancti Patres liturgiam sacram (seu *supplicandi legem*) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam.

Praescripta Pii X, eorumque utilitas.

Quod vero ad nostra haec tempora attinet, Pius X, abhinc annos XXV, in praescriptionibus illis *Motu Proprio* promulgandis, quae ad cantum gregorianum et musicam sacram pertinent, hoc in primis sibi proposuit ut scilicet christianum spiri-

(1) *Epist. ad episcopos Galliarum, Patrol. Lat.*, L, 535.

tum in populis excitaret et aleret, ea sapienter removendo quae templi sanctitudinem maiestatemque dedecerent. Etenim ob eam causam ad aedes sacras fideles conveniunt ut pietatem inde, tamquam ex praecipuo fonte, hauriant, veneranda Ecclesiae mysteria ac publicas sollemnesque preces actuose participando. Permagni igitur interest quidquid est liturgiae ornamentum normis quibusdam praeceptisque Ecclesiae contineri, ut artes reapse velut par est, quasi ancillae nobilissimae divino cultui inserviant; quod quidem nedum in detrimentum, in maiorem potius dignitatem splendoremque ipsarum artium quae in sacris locis adhibentur certe cedet. Idque mirum sane in modum in musica sacra effectum est: ubicumque enim praescriptiones illae diligenter sunt in usum deductae, ibidem cum lectissimae artis venustates reviviscere, tum religiosi spiritus late florere coeperunt; propterea quod populus christianus, liturgico sensu altius imbutus, et eucharisticum ritum et psalmodiam sacram et supplicationes publicas participare impensius consuevit. Quod Nos quidem ipsi tum iucunde experti sumus, cum, primo Pontificatus Nostri anno, ingens clericorum chorus ex omni natione liturgiam sollemnem, quam in Vaticana Basilica celebravimus, gregoriano cantu nobilitavit.

Imperfectam eorum observantiam dolet Pontifex eiusque causas indicat.

Iam vero dolendum hic est quibusdam in locis eas leges sapientissimas plene non fuisse in usum deductas; ideoque optatos fructus inde perceptos non esse. Namque probe novimus vel dictitasse aliquos se eis legibus non teneri quae tam sollemniter edictae fuerant; vel nonnullos, primum quidem iisdem paruisse, sed pedetentim ei musicae generi indulsisse quod est omnino a templis arcendum; vel denique alicubi, cum praesertim saecularia sollemnia in memoriam celebrarentur musicorum illustrium, causam inde quaesitam esse quaedam opera in templo exsequendi quae, quamvis praeclara, cum sacri loci et liturgiae sanctitati non congruerent, in ecclesiis nequaquam erant adhibenda.

Ut perfectius iis pareatur, S. Pont. non nulla addere vult, nactus occasionem recordationis XXV. instaurationis musicae sacrae, celebratae memoriae Guidonis Arretini: huius laudes.

At tamen, quo clerus populusque eis legibus et praescriptionibus, quae sancte, inviolateque in Ecclesia universa servandae sunt, religiosius pareat, nonnulla heic adiicere placet, quae nempe hoc XXV annorum spatio experiendo didicimus. Idque eo libentius Nos facimus quod hoc anno non solum musicae sacrae restaurationis, quam diximus, recordatio, sed etiam memoria monachi illius Guidonis Arretini celebrata est; qui, cum circiter abhinc annos nongentos, Romani Pontificis iussu, in Urbem venisset, ingeniosum illud suum inventum protulit, quo liturgici cantus, iam inde ab antiquitate traditi, et facilius evul-

garentur, et, ad Ecclesiae artisque ipsius utilitatem ac decus, integre servarentur in posterum. In Lateranis aedibus, ubi antea S. Gregorius Magnus, monodiae sacrae thesauro — hereditate quidem monumentoque Patrum — collecto, digesto et aucto, *Scholam* illam percelebrem, ad veram liturgicorum cantuum interpretationem perpetuandam, tam sapienter constituerat, Guido monachus experimentum egit mirifici sui inventi, coram romano clero ipsoque Pontifice Maximo; qui, rem eximie probando meritaque laude prosequendo, hoc effecit ut eadem innovatio longe lateque paulatim propagaretur, atque omne musicae artis genus magnum inde caperet incrementum.

Schola Lateranensis a Greg. M. instituta.

Omnibus igitur Episcopis atque Ordinariis, quibus quidem, cum sint liturgiae custodes, de sacris artibus in ecclesiis cura esse debet, nonnulla hic Nos commendare volumus, quasi optatis respondentes, quae ex tot musicis congressionibus, praecipueque ex recentiore conventu, Romae habito, Nobis significarunt non pauci sacri Pastores ac studiosissimi rei huius praecones, quos omnes merita hic laude honestamus; eademque, ut infra, efficacioribus viis rationibusque propositis, ad effectum deduci iubemus.

Commendationes Ordinariis factae.

I. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeo continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

I. *Clericis etiam religiosis, ab initio, a prima aetate et dein continua ratione cantus greg. et musica sacra proponenda sunt.*

Sperata utilitas.

II. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutio id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars

II. *In seminariis et studiorum domibus brevis, sed paene cotidiana lectio vel exercitatio.*

Speratus fructus.

est divini cultus praecipua; itemque ut *scholae* et *capellae musicorum,* quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

Instauratio choralis officii ad Ecclesiae praeceptum in basilicis, cathedralibus, collegiatis et conventualibus religiorum ecclesiis.

III. Quicumque in *basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis* et *conventualibus religiosorum* cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendant ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, *chorale officium* instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi *digne* semper, *attente* ac *devote,* sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in psallendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus* » aemulari videntur.

Sperata utilitas.

Cautio de observatione legum Ecclesiae. Vitia chori corrigenda.

IV. Ne quis autem in posterum faciles excusationes praetexat ut ab officio Ecclesiae legibus parendi liberatum se existimet, ordines canonicorum omnes ac religiosae eaedem communitates de his rebus in statis coetibus agant; et quemadmodum olim *cantor* erat seu *rector chori,* ita in posterum in canonicorum et religiosorum choris aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia emendet. Quo in genere praetereundum non est, ex veteri constantique Ecclesiae disciplina atque ex ipsis capitularibus constitutionibus quae adhunc vigent, quotquot ad chorale officium tenentur, eos omnes saltem cantum gregorianum rite pernoscere oportere. Cantus vero gregorianus, in ecclesiis omnibus cuiusvis ordinis adhibendus, is est qui ad veterum codicum fidem restitutus, ab Ecclesia in editione authentica, vaticanis typis, iam propositus est.

Quisnam cantus Gregorianus adhibendus.

Pontifex etiam capellas musicorum et polyphoniam sacram commendat.

V. *Capellas* etiam *musicorum* iis omnibus ad quos spectat commendatas hic volumus, utpote quae, decursu temporum, in antiquarum *scholarum* locum suffectae, eo pacto in basilicis maioribusque templis constitutae sint ut polyphonicam praecipue musicam ibidem efficerent. Quam quidem ad rem, merito *polyphonia* sacra post gregorianum cantum altero loco haberi solet: ideoque vehementer Nos cupimus ut *capellae* huiusmodi quemadmodum a saeculo XIV ad saeculum XVI floruerunt, ita hodie illic maxime renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant.

Scholas puerorum etiam penes minores et paroeciales aedes.

VI. *Scholae puerorum*, non modo apud maiora templa et cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur; pueri autem a *capellarum* magistris ad recte canendum instituantur ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum choris sese adiungant, maxime cum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro suprema voce, quae *cantus* appellari consuevit. Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, uti est compertum, prodiere, quos inter omnium facile princeps Ioannes ille Petrus Aloisius Praenestinus.

Improbato immoderato instrumentorum usu, primae dandae sunt voci humanae.

VII. Quoniam vero didicimus tentari alicubi ut quoddam musicae genus resumatur, sacrorum officiorum perfunctioni haud omnino congruens, praesertim ob immoderationem instrumentorum usum, Nos quidem hic profitemur cantum cum symphonia coniunctum nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectiorem musicae formam rebusque sacris aptiorem haberi; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe cleri, cantorum, populi. Neque est autem putandum incremento musicae artis Ecclesiam obsistere, quod instrumento cuilibet humanam vocem anteponat; siquidem nullum instrumentum, quamvis eximium atque perfectum in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime cum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad omnipotentem Deum extollat.

Organum etiam a profanis novitatibus praeservandum est.

VIII. Est quidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum a maioribus traditum, *organum*, ut aiunt; quod, ob miram quandam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive cantum comitando, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo. At vero in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio, quae causa cum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorundam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso ad quem destinatur fine mirificum deflecteret. Equidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, uti olim aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus invehantur; quas quidem formas, si gliscere inciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis ii tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto ars tum fabrorum in construendis organis, tum

musicorum in eisdem adhibendis, revirescet ad liturgiae efficax adiumentum.

Optanda actuosa fidelium participatio.

IX. Quo autem actuosius fideles divinum cultum participent, cantus gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint — tum etiam cum pompae seu processiones, quas vocant, instructo cleri ac sodalitatum agmine, aguntur — ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat.

Curandum ab utroque clero, praeeuntibus locorum Ordinariis, ut populus l turgicam musicamque institutionem recipiat.

X. In hoc utriusque cleri industria desudet, praeeuntibus quidem Episcopis et locorum Ordinariis, ut, per se vel per alios rei peritos, liturgicam musicamque populi institutionem curent, utpote cum doctrina christiana coniunctam. Quod quidem facilius efficietur scholas praecirue, pia sodalicia ceterasque consociatones liturgicis cantibus instruendo; religiosorum autem, sororum ac piarum feminarum communitates alacres sint ad hunc finem assequendum in variis institutis quae sibi ad educandum et erudiendum concredita sunt. Itemque valde ad hanc rem valituras esse confidimus eas societates quae in nonnullis regionibus, ecclesiasticis auctoritatibus obsequentes, musicam sacram ad Ecclesiae leges restaurare contendunt.

Laudantur Instituta quibus periti magistri praeparantur, praecipue Pontificia schola musicae sacrae altius tradentae.

Haec Ordinariis commendatur.

XI. Ad haec omnia, quae sperantur, adipiscenda peritis magistris iisdemque frequentissimis omnino opus est. Quo in genere, Scholis et Institutis illis, passim per catholicum orbem conditis, debitas laudes tribuimus; siquidem disciplinas huiusmodi diligenter docendo, praeceptores optimos idoneosque effingunt. Sed maxime memorare hoc loco ac dilaudare placet *Pontificiam Scholam musicae sacrae altius tradendae,* quae inde ab anno MCMX in Urbe a Pio X constituta est. Hanc Scholam, quam deinde proximus decessor Noster Benedictus XV studiose provexit novaque sede donavit, Nos quoque peculiari quodam favore prosequimur, tamquam pretiosa Nobis hereditate a duobus Pontificibus relictam, eandemque idcirco Ordinariis omnibus magnopere commendatam volumus.

Verae difficultates animos Antistitum excitare debent, nedum eum infringant.

Equidem probe novimus ea omnia, quae supra mandavimus, quantum studii postulant ac laboris. At vero quis ignorat quam multa opera quamque magno artificio confecta, nullis devicti difficultatibus, maiores nostri posteritati tradiderint, utpote qui

pietatis studio ac liturgiae spiritu imbuti essent? Neque id mirum: quidquid enim ab ipsa, quam Ecclesia vivit, interiore vita proficiscitur, mundi huius perfectissima quaeque transcendit. Difficultates coepti huius sanctissimi animos Ecclesiae Antistitum excitent atque erigant nedum infringant; qui voluntati Nostrae concorditer omnes constanterque obsequentes, operam navabunt Summo Episcopo episcopali suo munere dignissimam.

Clausulae. Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere vel eidem temerario ausu contraire.

Dies (20 dec. 1928). Datum Romae apud Sanctum Petrum, in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali, die XX mensis Decembris anno MCMXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

FR. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, *Cancellarius S. R. E.*

CAMILLUS Card. LAURENTI, *S. R. C. Pro Praefectus.*

Iosephus Wilpert, *Decanus Coll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

ANNOTATIONES

I. Nostrum quidem non est de magno isto diplomate fusius disserere, praetermittere tamen non possumus quin paucis verbis memoremus quo spectet et quid pro Ecclesiae et religionis bono a prompta et fideli exsecutione praescriptionum S. Pontificis exspectandum sit.

Mira arte ipse Sanctissimus Dominus ad singula quae praecipit, rationes et speratos fructus addit quod ipsi in marginalibus summariis fecimus manifestum.

II. Vult autem ut uterque clerus toto suae institutionis tempore liturgia et musica sacra imbuatur: ambae hae individuo quasi nexu coniunguntur. Qui non est liturgice institutus animam sacrae musicae quomodo penetraret; quomodo genuinam vere amaret

et praeferret musicis sonis quibus aures profanae mulcentur? Ignarus autem musicae sacrae ipsam liturgiam non cognoscet nisi incomplete, cum liturgia dicat cultum publicum, maxime collectivum, cuius conaturalis expressio est cantus.

III. Vult etiam ut *chorale officium* ad Ecclesiae praecepta et vota instauretur, eiusque vitia corrigantur.

IV. Vult demum ut ubique populus christianus cantus sacros rite participare doceatur.

V. Haec sunt potissima praecepta *positiva* praesentis Bullae. Per *negativa* autem S. Pontifex omnia profana eliminare proponit, etiam ab organi confectione, et impedire ne instrumenta dominentur voci hominis qui longe iis praestantior et solus formaliter Deum laudare potest.

VI. Si prudenti S. Pontifici obtemperetur, erit ubique consultum dignitati functionum sacrarum; nullus cantus choralis audietur qui non vere aedificet, nulla pompa religiosa quae populum fastidiat. Simul unitas Ecclesiae, ipsis templis fiet magis manifesta; propria fidelium pietas et devotio aletur, et qui alieni sunt ab Ecclesia ad eam aestimandam, amandam et intrandam disponentur. Hoc modo ipsa *catholica actio,* ut sanctificans et apostolica non modice in cultu peragendo exercebitur.

VII. Difficultates exsequendi sua iusta in saeculo tam inquieto et quod tot negotiis Pastores et ilerum distinet, S. Pontifex minime dissimilat; sed sicut perfutionis studiosi in vita sua privata nullis laboribus a formali pietate excolenda excusari possunt, ita Ecclesia simul sancta sit oportet et apostolica, sanctam autem se iam demonstrabit honore quem publico cultui tribuit. Quid, ceterum ad persuadendum magis aptum quam solemnis ista declaratio: « Antistites voluntati Nostrae... obsequentes operam navabunt Summo Episcopo episcopali suo munero dignissimam »?

TRIA RECENTIORA CONCORDATA

6. — I. Conventio inter sanctam Sedem et Rempublicam Lusitaniae

15 APRIL.-3 MAII 1928

(A. A. S. 4 maii 1928, XX, 129)

ACCORDO (1)

FRA LA SANTA SEDE E IL PORTOGALLO

Occasio pacti.

La Santa Sede e il Governo Portoghese, avendo riconosciuto le difficoltà che presenta l'esecuzione del Concordato del 1886, a causa delle profonde modificazioni avvenute, sia in Portogallo sia nella vita religiosa delle Indie, specialmente dopo la guerra, si sono messi d'accordo per regolare la circoscrizione delle Diocesi, la nomina dei Vescovi e la doppia giurisdizione, delle quali tratta il citato Concordato; ed hanno

Legati nominati.

nominato Plenipotenziari: per parte della Santa Sede, Sua Eminenza il Signor Cardinal Pietro Gasparri, Segretario di Stato di Sua Santità; e per parte del Governo Portoghese, Sua Eccellenza il Signor Dottor Augusto De Castro Sampaio Corte-Real, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario, per

Conventa.

firmare, sotto riserva di ratificazione, il Protocollo seguente:

ART. I

De archidioecesi Goanensi.

L'Archidiocesi di Goa, cui rimane annesso il titolo patriarcale, viene ingrandita:

---

(1) Id est latine: *Conventum inter S. Sedem et Lusitaniam.*

Cum Sancta Sedes et Lusitana respublica difficultates recognoverint quas exsecutio pacti anni MDCCCLXXXVI exhibet ob profundas mutationes quae sive in Lusitania sive in religiosa Indiarum vita evenerunt, praesertim post bellum, convenerunt de ordinandis finibus Dioecesum, Episcoporum nominatione, duplicique iurisdictione, quibus de rebus in illo concordato agitur; et Legatos a plena potestate dictos nominarunt: Sancta Sedes Em.um Purpuratum Patrem Petrum Gasparri, a Secretis Status Sanctitatis Suae; et Lusitana Respublica Exc.mum Virum Doctorem Augustum de Castro Sampaio Corte Real Legatum extraordinarium et Ministrum cum auctoritate ad firmandam subscriptione, salva ratihabitione, tabulas quae hic describuntur.

Art. I. — Archidioecesis Goanensis, cui titulus patriarchalis manet coniunctus, ampliatur:

a) coll'aggiunta del possedimento portoghese di Damao a nord di Bombay;

b) coll'aggiunta dell'isola di Diu sulla costa di Kathiavar.

L'Arcivescovo perciò sarà denominato: Arcivescovo di Goa e Damao.

ART. II

De archidioecesi Bombayensi.

La parte della Diocesi di Damao che non resta incorporata nell'Archidiocesi di Goa, sarà annessa all'Archidiocesi di Bombay, la quale mantiene la sua attuale organizzazione ecclesiastica.

ART. III

De archiepiscopo Bombayensi.

L'Arcivescovo di Bombay sarà alternativamente di nazionalità portoghese e britannica, e avrà giurisdizione su tutto il territorio dell'Archidiocesi, ingrandito come sopra.

I parroci portoghesi delle due chiese di S. Francesco Saverio e Nostra Signora della Gloria in Bombay, saranno camerieri segreti di Sua Santità *durante munere*.

ART. IV

De duobus parochis Lusitanis.

La Santa Sede e il Governo Portoghese si dichiarano d'accordo per modificare i limiti della Diocesi di San Tommaso di Meliapor, in modo da assicurare nella miglior forma la continuità del territorio su cui si esercita la giurisdizione episcopale.

De dioecesi S. Thomae Meliapor.

Perciò vengono tolte alla diocesi di S. Tommaso di Meliapor le 14 parrocchie sparse nel territorio delle Diocesi di

---

a) lusitana possessione *Damão* nomine, Bombay ad Septemtriones;

b) possessione insulae de Diu ad oram Kathiavar. Archiepiscopus hinc nominabitur: Archiepiscopus Goanensis Damanensis.

Art. II. — Ea autem dioecesis Damanensis pars quae in Archidioecesim Goan. haud incorporabitur, Archidioecesi Bombayensi adiungetur, quae praesentem suam constitutionem ecclesiasticam servat.

Art. III. — Bombayensis Archiepiscopus erit alternis vicibus Lusitanus et Britannus, atque imperabit omni archidioecesis territorio, ut supra aucto. Lusitani parochi duarum ecclesiarum Sancti Francisci Xaverii et Dominae Nostrae a Gloria (della Gloria) dicta in Bombay, Pontificis maximi a cubiculo honoris titulo, *durante munere,* decorabuntur.

Art. IV. Sancta Sedes et Respublica Lusitana concorditer componere decernunt fines Dioecesis Sancti Thomae de Meliapor eo meliore modo ac forma, quibus tutior ac securior fiat continuitas territorii episcopo subiecti. Ideo ab Dioecesi S. Thomae de Meliapor 14 evelluntur paroeciae sparsae in dioecesibus Trichinopoly ac Tuticorin (ad oram Piscariae) aliaeque sex in dioecesis Dacchae atque Calcuttae territorio dispersae.

Trichinopoly e Tuticorin (costa della Pescheria), e le sei parrocchie sparse nel territorio delle Diocesi di Dacca e di Calcutta.

La Diocesi di S. Tommaso di Meliapor conserverà i due territori continui di San Tommaso (presso Madras e in parte dentro Madras) e di Tanjore (più al sud), e le cinque parrocchie sparse nella città di Madras.

Per i compensi territoriali e personali da darsi alla Diocesi di San Tommaso di Meliapor, la Santa Sede e il Governo Portoghese, assunte le necessarie e opportune informazioni, e tenuto conto dei principii che informano la presente convenzione, specialmente in riguardo alle condizioni giuridiche, demografiche e politiche, si metteranno d'accordo dentro otto mesi dalla entrata in vigore del presente Protocollo. Soltanto trascorsi i detti otto mesi saranno stabiliti con Bolla i nuovi limiti della diocesi di S. Tommaso di Meliapor.

ART. V

Obiectum praesentis actus.

Il presente Protocollo si riferisce solamente alla giurisdizione episcopale, e non alla proprietà dei beni, dei tesori artistici, delle scuole, ecc. portoghesi, che continueranno ad essere proprietà degli enti ai quali attualmente appartengono.

Cuius gentis sint parochi.

Il clero delle parrocchie portoghesi continuerà ugualmente ad essere portoghese.

ART. VI

Quo modo provideatur sedi Goan., Cochim, S. Thomae Meliap., et Macaensi.

Nella provvista delle sedi di Goa, Cochim, S. Tommaso di Meliapor e Macao:

Dioecesis Sancti Thomae de Meliapor servabit ambo territoria continua S. Thomae (apud Madras et partim intra Madras) et Taniore (magis versus meridiem) et parochias quinque in urbe Madras dispersas.

Pro compensationibus territorialibus et personalibus quae spectant ad Dioecesim S. Thomae de Meliapor, S. Sedes et Lusitana Respublica, post necessarias et opportunas indagationes, et habita ratione principiorum quae praesens pactum conformant maxime de condicionibus iuridicis, demographicis et politicis, mutuo convenient intra octo menses a vigente praesenti diplomate. Solummodo post elapsos octo menses, novi limites Dioecesi Sancti Tomae Meliaporis Bulla pontificia definientur.

Art. V. — Praesentes tabulae ad solam iurisdictionem episcopalem referuntur non vero ad proprietatem, bonorum, thesaurorum artis, scholarum, etc. Lusitanarum, quae pertinere pergent ad entia ad quae actu pertinent. — Paroeciarum lusitanarum clerus lusitanus quoque manebit.

Art. VI. — In provisione ecclesiae Goanae, Coccinensis, S. Thomae de Meliapor et Macaonensis:

a) la Santa Sede, dopo aver consultato, secondo la prassi consueta della Curia Romana, i Vescovi della provincia per il tramite del Delegato Apostolico dell'India o, rispettivamente, della Cina, sceglierà il candidato portoghese più idoneo per dirigere la Diocesi;

b) per il tramite di Mgr. Nunzio Apostolico di Lisbona o della Legazione del Portogallo presso il Vaticano, la Santa Sede trasmetterà confidenzialmente a Sua Eccellenza il Presidente della Repubblica Portoghese il nome del candidato scelto;

c) il Presidente della Repubblica, se il candidato non offre difficoltà di ordine politico, ne presenterà ufficialmente il nome alla Santa Sede;

d) Si presume affermativa la risposta del Presidente della Repubblica alla consulta della Santa Sede, nel caso non venga entro due mesi, a contare dal giorno della consegna della relativa comunicazione;

e) Le due Alte Parti Contraenti si metteranno d'accordo volta per volta per la pubblicazione contemporanea della nomina, che dovrà rimanere segreta fino al compimento degli atti ufficiali.

ART. VII

Ac sedi Bombay. Mangalur. Quilon et Trichinopol.

Nella provvista delle sedi di Bombay, Mangalor, Quilon e Trichinopoly:

a) la Santa Sede, scelto il candidato più idoneo, lo farà conoscere per il tramite di Mgr. Nunzio o della Legazione di Portogallo presso il Vaticano al Presidente della Repubblica;

---

a) Sancta Sedes, postquam, iuxta Romanae Curiae praxim, Episcopos ecclesiasticae provinciae opera legati Romani Pontificis apud Indos aut respective Sinenses consuluert, lusitanum eliget candidatum magis regendae dioecesi idoneum.

b) Per Nuntium Apostolicum Ulysiponensem vel Lusitanae Reipublicae Legationem apud Vaticanum, Sancta Sedes Ex.mo Viro Lusitanae Reipublicae Praesidi, electi candidati nomen secreto communicabit.

c) Praeses, candidatum cui nihil politice obiciendum sit Sanctae Sedi palam praesentabit.

d) Si intra duos menses a tradita communicatione nullum S. Sedi consulenti responsum a Praeside Reipublicae datum fuerit, responsum istiud praesumitur esse benignum.

e) Ambo excelsi contrahentes toties quoties consentient de simultanea divulgatione nominis candidati electi, quod, donec publica acta non fuerint confecta, secretum manere debebit.

Art. VII. — In provisione sedis Bombayensis, Mangalurensis, Quilonensis et Trichinopoly:

a) Sancta Sedes quem magis idoneum candidatum elegerit per tramitem Nuntii vel Lusitanae legationis apud Vaticanum manifestabit Reipublicae Praesidi;

b) il Presidente della Repubblica farà ufficialmente la presentazione di detto candidato nello spazio di un mese, e la nomina si pubblicherà nella forma prevista dal capoverso *c*) dell'articolo precedente.

ART. VIII

Condicio fidelium extra propriam dioecesim.

Fuori del territorio della propria Diocesi i fedeli dipendono dall'Ordinario del luogo, secondo il Diritto Canonico.

ART. IX

Clausula derogans contrariis.

Si considera senza effetto qualsiasi clausola contraria al presente Protocollo contenuta in altri documenti, leggi o note diplomatiche.

Dies (15 apr. 1928).

Roma, quindici Aprile mille nove cento ventotto.

L. ✠ S. PIETRO Card. GASPARRI

L. ✠ S. AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL

Ratihabitio

Essendosi tra la Santa Sede e il Governo della Repubblica del Portogallo conchiuso e dai rispettivi Plenipotenziari sottoscritto nel giorno 15 Aprile dell'anno corrente, un Accordo per regolare la circoscrizione delle Diocesi, la nomina dei Vescovi e la doppia giurisdizione, delle quali tratta il Concordato stipulato nel 1886 tra la Santa Sede e il Portogallo, oggi 3 Maggio 1928, Sua Eminenza il Signor Cardinale PIETRO GASPARRI, *Segretario di Stato di Sua Santità, e Sua Eccellenza il Signor Dott.* AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL, *Inviato Stra-*

---

b) Reipublicae Praeses praedictum candidatum, intra mensis spatium publice praesentabit; nominatio autem promulgabitur ratione praevisa ad litteram *c*) superioris articuli.

Art. VIII. — Extra territorium propriae dioecesis, fideles loci Ordinario erunt obnoxii ad normam iuris canonici.

Art. IX. — Quaecumque his tabulis contraria in aliis monumentis, legibus, aut litteris diplomaticis contineantur, nullius efficaciae esse censentur.

Romae, die XV Aprilis MCMXXVIII.

L. ✠ S. PETRUS Cardinalis GASPARRI

L. ✠ S. AUGUSTUS DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL.

N. B. — Formula hodie trita: « Ambo excelsi contrahentes » non ita antiqua est. In Concordato cum Napoleone, dum gallice dicitur: art. 17, « les

ordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica del Portogallo, riuniti nelle Camere del Palazzo Apostolico Vaticano, previa lettura dei rispettivi Istrumenti di ratifica, li hanno trovati pienamenti conformi in tutti e singoli i loro articoli. In seguito di che, hanno entrambi proceduto allo scambio delle ratifiche medesime, ed in fede di tale Atto hanno sottoscritto di loro propria mano il presente processo verbale in doppio originale, apponendovi il sigillo delle loro armi.

Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, il 3 Maggio 1928.

L. ✠ S. P. Card. GASPARRI.
L. ✠ S. AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL.

---

7. — II. Modus vivendi 2 febr. 1928

INTER SANCTAM SEDEM ET REMPUBLICAM CECOSLOVACHAM

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 65)

De finibus dioeceseum statuendis.

I. — Le Saint-Siège (1) et le Gouvernement Tchécoslovaque sont d'accord sur le principe qu'aucune partie de la République Tchécoslovaque ne dépende d'un Ordinaire dont le siège se trouverait hors des frontierès de l'État tchécoslovaque, de même qu'aucun diocèse de Tchécoslovaquie ne s'étende au delà des frontières du pays. Le Saint-Siège et le Gouvernement Tchécoslovaque se mettront d'accord au sujet de la nouvelle délimitation et de la dotation des diocèses. Pour préparer cet accord deux Commissions, indépendantes l'une de l'autre, seront organisées dans le délai de deux mois: la première formée par le Saint-Siège et composée de délégués de tous les diocèses inté-

---

parties contractantes », latine a Card. Consalvi translatum est: « utrimque conventum est »; in Concordato autem 1803 inter Pium VII et rem publicam Ital. dicitur: « Ambedue le parti contraenti », ambo contrahentes; anno demum 1818 dicitur: « le Alte Parti contraenti » excelsi contrahentes.

(1) Sancta Sedes et Resplublica Cecoslovacha in hoc concordant quod nulla Reipublicae Slovachae pars Ordinario subiecta sit cuius sedes extra fines Reipublicae Cecoslovachae sit posita, pariterque quod nulla Dioecesis Cecoslovachiae ultra eiusdem limites se extendat. Sancta Sedes et Gubernium Cecoslovachense convenient de nova descriptione et pensione dioecesium. Huiusmodi negotio parando, commissiones duae, nec una alteri subordinata, constituentur infra duorum mensum spatium: prior a Sancta Sede, composita ex legatis

ressés, sous la présidence du représentant du Saint-Siège à Prague; la seconde formée par le Gouvernement Tchécoslovaque et composée de représentants des diocèses intéressés et d'experts.

De administrandis bonis ecc. sub sequestro positis.

II. — L'administration des immeubles et des biens mobiliers ecclésiastiques en Tchécoslovaquie, qui sont actuellement conservés sous sequestre. est provisoire, jusqu'à l'accord mentionné dans l'article précédent et est confiée à une commission sous la présidence de l'Épiscopat de la région intéressée.

De Superioribus Ordinum et Congregationum. religios.

III. — Les Ordres et les Congrégations religieuses dont les maisons se trouvent en Tchécoslovaquie, ne dépendront pas des supérieurs des maisons provinciales des mêmes Ordres et Congrégations à l'étranger. Si la création d'une province en Tchécoslovaquie est impossible, les dites maisons religieuses tchécoslovaques seront directement soumises à la maison généralice.

Les supérieurs provinciaux et les chefs des maisons religieuses dépendantes directement de la maison généralice, seront sujets tchécoslovaques.

De nominatione Praelatorum saecul.

IV. — Le Saint-Siège avant de procéder à la nomination des Archevêques et des Evêques diocésains, des Coadjuteurs *cum iure successionis* ainsi que de l'Ordinaire de l'armée, communiquera au Gouvernement Tchécoslovaque le nom du candidat pour s'assurer que le Gouvernement n'a pas des raisons de caractère politique à soulever contre ce choix. Les Prélats susmentionnés seront sujets tchécoslovaques.

On entend par objections de caractère politique toutes les

---

omnium Dioecesium interesse habentium sub auctoritate legati Sanctae Sedis Praguensis, altera a Gubernio civili composita ex personis repraesentantibus dioeceses quarum interest, et ex peritis.

II. — Administratio bonorum immobilium et mobilium Ecclesiarum in Cecoslovachia, quae sunt in praesens sequestro posita, temporaria est usque ad conventionem hic supra memoratam, et concredita est commissioni cui praecest Episcopatus regionis interesse habentis.

III. — Ordines Congregationesque religiosae, quorum domus in Cecoslovachia exstant, minime subiicientur praepositis domorum provincialium extranearum eorundem Ordinum et congregationum. Si in ipsa Cecoslovachia provincia erigi nequeat, praefatae religiosae domus Cecoslovachae domui generaliciae directe obnoxiae erunt. Superiores provinciales et praepositi domibus religiosis Generali domui immediate subiectis, erunt cives Cecoslovachi.

IV. — Antequam ad nominandos Archiepiscopos et Episcopos dioecesanos, coadiutores *cum iure successionis* atque etiam Ordinarium exercitus, S. Sedes Gubernio Cecoslovacho manifestabit candidati nomen ut certior fiat nihil sub respectu politico ei delectui obiciendum esse. Praefati Praesules erunt Subditi Cecoslovachi.

Nomine obiectionis politicae venit quidquid Gubernium allegandum habet

objections que le Gouvernement serait à même de motiver par des raisons qui ont trait à la sécurité de l'État, par exemple que le candidat choisi se soit rendu coupable d'une activité politique irredentiste, séparatiste ou bien dirigée contre la Constitution ou contre l'ordre public du pays.

Le nom du candidat, indiqué par le Saint-Siège au Gouvernement ainsi que les pouparlers relatifs, resteront secrets.

Les dispositions au sujet de l'Ordinaire de l'armée n'entrent en vigueur, qu'au cas où le système du soin religieux exempt des soldats soit maintenu. Dans ce cas on tiendra compte, en outre, des objections de caractère politique, aussi de celles ayant trait à la position du candidat dans l'armée.

De iuramento ab iis emittendo.

V. — Les dignitaires mentionnés dans l'article précédent, après la nomination du Saint-Siège, avant d'assumer leurs fonctions, prêteront le serment de fidélité à l'État Tchécoslovaque par la formule suivante : « Iuro et promitto sicuti decet Episcopum, fidelitatem Reipublicae Cecoslovachae necnon nihil me facturum quod sit contra salutem, securitatem, integritatem Reipublicae ».

Conformatio legum aa modum « vivendi ».

VI. — Le Gouvernement aura soin de conformer — dans le plus bref délai — les dispositions légales en vigueur au présent *modus vivendi.* (1)

---

ob causas Status securitatem spectantes, ex. gr. quod candidatus electus reus evaserit actionis politicae « irredentisticae », « separatisticae », vel directae contra constitutionem et contra publicum bonum civitatis.

Candidati nomen a Sancta Sede Gubernio indicatum, sicut colloquia de eo secreta erunt.

Dispositiones de Ordinariis exercitus non vigebunt nisi permanserit autonomia religiosae curae militum. Hoc in casu, praeterea ratio habebitur obiectionum natura politicae, atque illarum quae ad condicionem candidati in exercitu referuntur.

V. — Praesules memorati in articulo praecedenti, post Sanctae Sedis nominationem, antequam officium suscipiant, fidei sacramentum elicient Cecoslovacho Gubernio, sequenti formula adhibita : « Iuro et promitto sicut decet Episcopum fidelitatem Reipublicae Cecoslovachae nec non nihil me facturum quod sit contra salutem, securitatem, integritatem reipublicae ».

VI. — Gubernium curabit quamprimum ut vigentia iura civilia ad praesentem *modum vivendi* conformentur.

(1) *Huiusmodi* Modus vivendi *die 2 Februarii proxime elapsi vigere incepit, quo die E.mus Cardinalis a Secretis Status respondens Administro ab Exteris Negotiis Reipublicae Cecoslovachae, communicanti cum Sancta Sede adprobationem Gubernii, certiorem hunc faciebat etiam ab Augusto Pontifice eundem* Modum vivendi *adprobatum fuisse.*

8. — III. Pacta conventa 27 sept. - 10 dec. 1927

INTER S. SEDEM ET LITHUANIAE GUBERNIUM

(A. A. S. 10 dec. 1927 XIX, 425)

Invocata SS. Trinitate.

Au nom de la Très Sainte et Indivisible Trinité. (1)

Auctores

Sa Sainteté le Pape Pie XI et le Président de la République de Lithuanie, M. Antanas Smetona.

Finis.

Animés du désir de déterminer la situation de l'Église Catholique en Lithuanie et d'établir les règles qui régiront d'une manière digne et stable les affaires ecclésiastiques sur le territoire de la République.

Ont décidé à ces fins de conclure un Concordat.

Conventa.

En conséquence, Sa Sainteté le Pape Pie XI et le Président de la République de Lithuanie, M. Antanas Smetona, ont nommé leurs Plénipotentiaires respectifs,

Sa Sainteté:

Son Éminence Révérendissime le Cardinal Pierre Gasparri, Son Sècrétaire d'État;

Le Président de la République:

Son Excellence M. le professeur Augustinas Voldemaras, Président du Conseil et Ministre des Affaires Étrangères.

---

(1) *I. e. latine*

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis

Sanctitas Sua Pius Papa XI et Praeses Reipublicae Lithuanae, Dominus Antanas Smetona,

desiderio moti definiendi Ecclesiae Catholicae condicionem in Lithuania, et regulas constituendi quae digne ed stabiliter res ecclesiasticas in Reipublicae finibus regant,

Sollemnem Conventionem ad hunc finem inire statuerunt.

Ideoque Sanctitas Sua Pius Papa XI et Praeses Reipublicae Lithuanae Dominus Antanas Smetona, suos quisque arbitros elegerunt,

Sanctitas Sua:

Eminentissimum virum Card. Petrum Gasparri a Secretis Status;

Praeses Reipublicae:

Excellentissimum Virum Prof. Augustinas Voldemaras, Praesidem Consilii, eundemque Ministrum exterarum rerum.

Les Plénipotentiaires surnommés, après l'échange de leurs pleins pouvoirs, ont arrêté les dispositions suivantes:

ARTICLE I

De Ecc.a catholica.

L'Église Catholique, sans distinction de Rites, jouira dans la République de Lithuanie de toutes les libertés nécessaires à l'exercice de Son pouvoir spirituel et de Sa juridiction ecclésiastique, ainsi qu'à l'administration et gestion de Ses affaires et de Ses biens, conformément aux Lois divines et au Droit Canon.

ARTICLE II

De Episcopis, clero, fidelibus.

Les Évêques, le Clergé et les fidèles communiqueront librement et directement avec le Saint-Siège. Dans l'exercice de leurs fonctions, les Évêques communiqueront librement et directement avec leur Clergé et leurs fidèles, et pourront publier de même leurs instructions, mandements et lettres pastorales.

ARTICLE III

De internuntio et legato civili.

Afin de maintenir les relations amicales entre le Saint-Siège et la République de Lithuanie, un Internonce Apostolique résidera en Lithuanie et un Ministre de la République résidera auprès du Saint-Siège.

Arbitri, quos supra memoravimus, datis et acceptis litteris ad recognoscendam plenitudinem suae potestatis, statuerunt articulos, qui sequuntur:

ARTICULUS I.

Ecclesia Catholica. absque Rituum distinctione, omni utetur libertate necessaria tum exercitio suae potestatis spiritualis, suaeque ecclesiasticae iurisdictionis, tum administrationi ac gestioni rerum ac bonorum suorum iuxta leges divinas et ius Canonicum.

ARTICULUS II.

Episcopi, Clerus, necnon fideles libere ac directe cum Sancta Sede communicabunt. Episcopi vero, in suorum munerum exercitio, libere ac directe cum suo clero nec non fidelibus communicabunt, iidemque instructiones, mandata, litteras denique pastorales edere poterunt.

ARTICULUS III.

Ad societatis amicitiam inter Sanctam Sedem et Lithuaniae Rempublicam fovendam, Internuntius Apostolicus in Lithuania morabitur, itemque minister Lithuaniae apud Sanctam Sedem.

Article IV

De sanctionibus ecclesiasticis iuvandis.

Les autorités civiles prêteront leur appui à l'exécution des décisions et des décrets ecclésiastiques: au cas de destitution d'un ecclésiastique ou de sa privation d'un bénéfice ecclésiastique; au cas de défense du port de l'habit ecclésiastique; au cas de perception des taxes, destinées à des buts ecclésiastiques et permises par les lois de l'État.

Article V

De immunitatis privilegio.

Les ecclésiastiques jouiront dans l'exercice de leur ministère d'une protection juridique spéciale. A l'égal des fonctionnaires de l'État, ils bénéficieront du droit d'exemption de la saisie judiciaire pour une partie de leurs traitements.

Les ecclésiastiques ayant reçu les Ordres, les religieux ayant prononcé leurs vœux, les élèves aux Séminaires et les novices dans les Noviciats, s'ils persevèrent dans leur état ecclésiastique ou religieux, seront exempts du service militaire, même dans le cas de guerre et de levée en masse. Les ecclésiastiques seront aussi libérés des fonctions civiques, incompatibles avec la vocation sacerdotale selon le Droit Canon.

Article VI

De locis sacris.

L'immunité des églises, des chapelles et des cimetières est assurée, sans que cependant la sécurité publique ait à en souffrir.

Articulus IV.

Summae Civiles Potestates exsecutioni favebunt consiliorum et decretorum ecclesiasticorum: si quando vir ecclesiasticus destituatur, vel beneficio ecclesiastico privetur, vel habitu ecclesiastico prohibeatur; sive de vectigalibus exigendis, quae ad Ecclesiae res destinentur et Reipublicae legibus permittantur.

Articulus V.

Viri ecclesiastici in muneris exercitio peculiari protectione iuridica fruentur. Ut Reipublicae Officiales, iure gaudebunt exemptionis a iudiciali manus iniectione quoad certam partem stipendiorum.

Ecclesiastici viri qui ordines susceperunt, Religiosi qui vota nuncuparerunt, Alumni in Seminario vel Novicii in noviciatu degentes, quoad usque in statu ecclesiastico aut religioso perseverabunt, a militia eximentur, etiam in casu belli et generalis militum delectus. Ecclesiastici viri a muneribus quoque civilibus quae ius canonicum aestimat cum sacerdotali vocatione componi non posse liberi erunt.

Articulus VI.

Immunitas Ecclesiarum, Capellarum et Coemeteriorum in tuto est, qua tenus tamen publica securitas nullum inde detrimentum accipiat.

Article VII

De exercitu et cappellanis.

Les armées de la République de Lithuanie jouiront de toutes les exemptions qui sont accordées aux armées par le Saint-Siège selon les prescriptions du Droit Canon. Les aumôniers exerceront les fonctions de leur ministère sous la juridiction de l'Archevêque, qui aura le droit de les choisir.

Article VIII

De oratione pro re publica et praeside.

Les dimanches et le jour de la fête nationale de l'indépendance, les prêtres officiants réciteront une prière liturgique pour la prospérité de la République de Lithuanie et de son Président.

Article IX

De concordandis finibus Status et dioecesibus.

Aucune partie de la République de Lithuanie ne dépendra d'un Évêque dont le siège se trouverait en dehors des frontières de l'État lithuanien. La Province ecclésiastique, dont les diocèses et la prélature sont fixés par la Bulle *Lithuanorum gente*, ne sera modifiée sans accord préalable avec le Gouvernement lithuanien, sauf les rectifications paroissiales exigées par le bien des âmes. En tout cas les limites de la Province ecclésiastique, des diocèses et de la prélature seront conformes aux frontières de l'État Lithuanien.

Article X

De beneficiis et religiosis.

La création et la modification des bénéfices ecclésiastiques, des Congrégations et Ordres religieux, ainsi que de leurs

---

Articulus VII.

Exercitus Reipublicae Lithuanae omnibus exemptionibus fruentur quae exercitibus a S. Sede iuxta Iuris Canonici praescripta conceduntur. Cappellani munera ministerii exercebunt sub Archiepiscopi iurisdictione, cui ius erit eos eligendi.

Articulus VIII.

Diebus Dominicis necnon die festo libertatis Reipublicae recuperatae, sacerdotes sacra peragentes liturgicam effundent precem pro felici Reipublicae Lithuanae, eiusque Praesidis Statu.

Articulus IX.

Nulla Reipublicae Lithuanae pars Episcopo snbiicietur cuius sedes extra Lithuaniae fines sit. Provincia ecclesiastica, cuius dioeceses et praelatura constitutae sunt Bulla *Lithuanorum gente,* non immutabitur nisi praevia cum Gubernio Lithuano conventione, exceptis paroeciarum finium mutationibus, quae animarum bono postulentur. Semper tamen fines ecclesiasticae provinciae, dioecesium et praelaturae ad Reipublicae fines aptabuntur.

Articulus X

Constitutio et mutatio beneficiorum ecclesiasticorum, Congregationum et Ordinum Religiosorum, necnon eorundem domuum et institutorum, subicietur

Maisons et établissements, dépendra de l'autorité ecclésiastique compétente, laquelle, toutes les fois que les dites mesures entraîneraient des dépenses pour le Trésor de l'État, y procédera après entente avec le Gouvernement. Les Congrégations et Ordres religieux pourront de plein droit s'établir et exister en Lithuanie s'ils constituent dans la République une province selon les règles du Droit Canon.

S'ils ne remplissent pas cette condition et déjà ils existent dans le territoire de l'État, les maisons existantes au moment de la ratification du présent Concordat seront reconnues par l'État; cependant ils ne pourront pas ouvrir des maisons nouvelles sans une autorisation spéciale du Saint-Siège.

Article XI

De nominatione Episcoporum.

Le choix des Evêques appartient au Saint-Siège. Sa Sainteté consent à s'adresser au Président de la République, avant de nommer l'Archevêque et les Evêques diocésains, les coadjuteurs *cum iure successionis*, pour s'assurer que le Président n'a pas de raisons de caractère politique à soulever contre ce choix.

Article XII

De iureiurando Ordinariorum.

Les Ordinaires ci-dessus, avant d'assumer leurs fonctions, prêteront, entre les mains du Président de la République, un serment de fidélité d'après la formule suivante:

---

auctoritati ecclesiasticae competenti, quae, quoties res sumptus ex Reipublicae aerario postulabit, negotium conficiet post conventionem cum Gubernio habitam. Congregationes et Ordines Religiosi sedem pleno iure constituere in Lithuania ibique esse poterunt, quotiescumque in Republica provinciam condant iuxta Iuris Canonici praescripta.

Si qui vero huic condicioni non satis faciant, et iam in Reipublicae finibus sint, eorum domus, quae ratihabitionis empore huius sollemnis Conventionis iam exsistant, Republica ratae erunt; attamen novas domos erigere non poterunt absque speciali Sanctae Sedis licentia.

Articulus XI.

Ad S. Sedem ius pertinet Episcopos eligendi. Sanctitas sua, priusquam Archiepiscopum seu dioecesanos Episcopos, nec non Coadiutores *cum iure successionis* eligat, uti certior fiat, Praesidi huic electioni nihil ob Reipublicae incommoda excipiendum esse, eundem consuli Praesidem benigne annuit.

Articulus XII.

Locorum Ordinarii quos memoravimus, antequam sibi munera suscipiant, iusiurandum fidelitatis coram Reipublicae Praeside, secundum formulam quae sequitur dabunt:

« Devant Dieu et sur les Saints Évangiles, je jure et je promets, comme il convient à un Évêque, fidélité à la République de Lithuanie. Je jure et je promets de respecter en toute loyauté et de faire respecter par mon Clergé le Gouvernement établi par la Constitution. Je jure et je promets en outre que je ne participerai à aucun accord ni n'assisterai à aucun conseil pouvant porter atteinte à l'État lithuanien ou à l'ordre public. Je ne permettrai pas à mon Clergé de participer à de telles actions. Soucieux du bien et de l'intérêt de l'État, je tâcherai d'en écarter tout danger dont je le saurais menacé ».

Article XIII

Scholis et seminariis.

1.° Dans toutes les écoles publiques, ou subventionnées par l'État, l'enseignement religieux est obligatoire. L'Autorité religieuse compétente en établira le programme et choisira les textes. La nomination des enseignants et la surveillance de l'enseignement religieux, en ce qui concerne son contenu et la morale des enseignants, s'effectuera conformément au Droit Canon.

Au cas où l'Ordinaire retirerait à un enseignant l'autorisation qu'il lui avait donnée, ce dernier sera par là même privé du droit d'enseigner la Religion.

Les mêmes principes, concernant le choix et la révocation des enseignants, seront appliqués aux professeurs, aux agrégés et aux adjoints universitaires de la faculté de Philosophie et Théologie, que l'État maintient à ses frais.

« Coram Deo Sanctisque tactis Evangeliis iuro ac promitto, sicut Episcopum decet, Reipublicae Lithuanae fidelitatem. Iuro ac promitto, me Gubernium constitutionibus firmatum omni fidelitate et obsequio prosecuturum, itemque ut Clerus mihi commissus prosequatur curaturum. Praeterea iuro ac promitto me nullius conventionis participem fore, nullique concilio adfuturum quod Statum Lithuanum vel publicum ordinem laedere possit. Neque huiusmodi actionum clerum participem esse permittam. Reipublicae boni studiosus atque utilitatis, omnia quae eidem minari pericula sciam avertere conabor ».

Articulus XIII.

1. In omnibus publicis scholis aut sumptu Reipublicae alendis institutio religiosa est lege praecepta. Auctoritatis religiosae competentis erit disciplinae summam praestituere nec non textus seligere. Magistrorum electio et religiosae institutionis vigilantia, quoad ipsam christianam catechesim moresque magistrorum, iuxta ius canonicum fiet. Si quem scholae magistrum loci Ordinarius privaverit docendi facultate, quam antea ei fecerat, is re ipsa iure destituetur catecheticam tradendi institutionem.

Principia quae ad magistrorum delectum ac revocationem vigent eadem extendantur ad Professores, aggregatos, adiunctos universitarios facultatis Philosophiae ac Theologiae tradendae, quam Respublica suis sumptibus alit.

2.° Dans tous les diocèses, l'Église catholique en conformité avec le Droit Canon possédera des Séminaires ecclésiastiques subventionnés par l'État, qu'Elle dirigera et dont Elle nommera les enseignants.

Les brevets d'études délivrés par les grands Séminaires seront suffisants pour enseigner la Religion dans toutes les écoles publiques ou subventionnées par l'État.

3.° Dans toutes les écoles publiques ou subventionnées par l'État celui-ci veillera d'accord avec les Ordinaires à ce que les élèves puissent convenablement accomplir leurs devoirs religieux.

4.° En ce qui concerne l'éducation de la jeunesse catholique, l'État reconnaît aux Ordinaires les droits prévus par le canon 1381 et il donnera suite aux remontrances justifiées des mêmes Ordinaires.

5.° Toutes les écoles qui se trouvent sous la dépendance de l'Ordinaire et se conforment au programme du Ministère de l'Instruction publique sont assimilées, pour ce qui regarde la valeur des diplômes, aux écoles de l'État.

Article XIV

De libris paroecialibus.

Le Clergé, en Lithuanie, est autorisé à tenir des registres de naissance et de baptême, de mariage et de décès, qui, conformément à la Constitution du pays, font foi même dans le for civil. L'Église fournit à l'État des copies des registres de

---

2. In omnibus dioecesibus, Ecclesia Catholica — iuxta iuris canonici praescripta — Seminaria ecclesiastica possidebit sumptibus Gubernii aucta, quae Ipsa diriget magistrisque donabit.

Diplomata studiorum a Seminariis maioribus concessa satis erunt tradendae christianae catechesi in omnibus scholis publicis vel sumptu Reipublicae auctis.

3. In omnibus scholis publicis vel sumptu Reipublicae auctis, haec, una cum locorum Ordinariis, curabit ut alumni copiam habeant decenter implendi officia pietatis.

4. Quoad iuventutis catholicae institutionem, Respublica agnoscit iura in can. 1381 spectata, ad locorum Ordinarios pertinere, atque eorundem locorum Ordinariorum monita exsecutioni mandabit.

5. Scholae omnes quae Ordinarii potestate reguntur et studiorum rationem Ministerii publicae Institutionis susceperunt, quoad valida diplomata tradenda, Reipublicae scholis assimulantur.

Articulus XIV.

In Lithuania Clero facultas fit, libros pro baptizatis, matrimoniis et defunctis conficiendi ac custodiendi, qui iuxta regionis Constitutionem, etiam in

l'année en cours, ainsi que les registres de levée de l'année correspondante. Si le travail de la rédaction des actes n'est pas payé par les intéressés eux-mêmes, l'État le rétribuera.

Article XV

De matrimonio.

Les mariages célébrés en conformité des prescriptions du Code Canonique obtiennent par là même les effets civils.

Article XVI

De taxis civilibus.

Les ecclésiastiques, leurs biens et les biens des personnes juridiques ecclésiastiques et religieuses, sont imposables à l'égal des personnes et des biens des citoyens de la République et des personnes juridiques laïques, à l'exception toutefois des édifices consacrés au service divin, des Séminaires ecclésiastiques, des maisons de formation des religieux et religieuses de même que des maisons d'habitation des religieux et religieuses, qui ont fait vœu de pauvreté, et des biens et titres dont les revenus sont destinés aux besoins du culte religieux et ne contribuent pas aux revenus personnels des bénéficiaires. Les habitations des Évêques et du Clergé paroissial, de même que leurs locaux officiels, seront traités par le Fisc à l'égal des habitions officielles, des fonctionnaires et des locaux des Institutions de l'État.

---

foro civili fidem faciant. Ecclesia Reipublicae suppeditat transumpta tabularum anni currentis nec non tabulas conscribendorum militum anni congruentis. Si qua titulo laboris debita praestatio pro actibus redigendis ab ipsis quorum interest non solvatur, eam Respublica solvet.

Articulus XV.

Matrimonia iuxta normas iuris canonici celebrata obtinent reipsa vim et effectus in iure civili.

Articulus XVI.

Ecclesiastici viri, eorum bona, ac bona quae ad personas iuridicas ecclesiasticas et religiosas pertinent, haud secus ac personae et civium Reipublicae bona, nec non bona personarum iuridicarum laicarum, vectigali subiciuntur, exceptis tamen aedificiis divino cultui deputatis, ecclesiasticis Seminariis, domibus probationis religiosorum ac religiosarum nec non domibus habitationis religiosorum qui vota nuncupaverunt paupertatis; bonis insuper titulisve, quorum reditus divino cultui destinentur, nec ad personales beneficiariorum reditus conferant. Episcoporum clerique paroecialis domicilia, nec non eorundem loca officialia Fisco habebuntur veluti oficialium domus atque aedificia Reipublicae Institutionum.

Article XVII

De iure habendi bona pro personis moralibus eccl.

Toutes les personnes juridiques ecclésiastiques et religieuses ont, selon les règles du droit commun, le droit d'acquérir, de céder, de posséder et d'administrer, conformément au Droit Canon, leurs biens meubles ou immeubles, de même que le droit d'ester devant toute instance ou autorité de l'État pour la défense de leurs droits civils.

Article XVIII

De beneficiorum provisione.

La République garantit le droit des autorités compétentes d'attribuer les fonctions, les charges et les bénéfices ecclésiastiques d'après les prescriptions du Droit Canon. A l'attribution des bénéfices paroissiaux seront appliquées les règles suivantes:

Dans le territoire de la République de Lithuanie ne peuvent pas obtenir des bénéfices paroissiaux, à moins d'avoir reçu le consentement du Gouvernement: 1.° les étrangers non-naturalisés; 2.° les personnes dont l'activité a été contraire à la sécurité de l'État.

Avant de procéder aux nominations à ces bénéfices, l'autorité ecclésiastique s'informera auprès du Ministre compétent de la République pour s'assurer qu'aucune des raisons, prévues ci-dessus aux points 1.° et 2.°, ne s'y opposerait. Au cas où le Ministre susmentionné ne presenterait pas, dans le délai de 30 jours de telles objections contre la personne dont la nomination est envisagée, l'autorité ecclésiastique procédera à la nomination.

Articulus XVII.

Ex iure communi, omnibus personis iuridicis ecclesiasticis religiosisve ius est eorum bona sive immobilia acquirendi, alienandi, possidendi, administrandi iuxta iuris canonici praescripta, itemque ius standi coram iudice cuiuslibet instantiae, vel coram Reipublicae potestatibus ad sua quaeque tuenda iura civilia.

Articulus XVIII.

Respublica securum praestat ius competentium potestatum conferendi secundum iuris canonici leges, ecclesiastica officia, munera et beneficia. Collationem beneficiorum curatorum moderantur regulae quae sequuntur:

Intra Reipublicae Lithuanae fines, beneficiis curatis — nisi de Gubernii consensu — arcentur: 1. Exteri civitatem non adepti; 2. personae, quarum acta securitati Reipublicae obstiterint.

Antequam ad huiusmodi beneficiorum provisionem deveniatur, auctoritas ecclesiastica a Reipublicae competenti Ministro quaeret atque certior fiet nihil obstare ex rationibus quae supra n. 1 et 2 dictae sunt. Quod si Minister, quem supra memoravimus, intra 30 dies nihil exceperit in eum, de cuius electione quaestio sit, potestas ecclesiastica ad electionem deveniet.

Article XIX

De patronatu.

Le droit de patronage, soit de l'État soit des particuliers, reste en vigueur jusqu'à nouvel accord. La présentation d'un digne ecclésiastique au poste vacant sera effectuée par le patron dans le délai de 30 jours sur une liste de trois noms proposée par l'Ordinaire. Si dans les 30 jours la présentation n'a pas été faite, la provision du bénéfice deviendra libre. Dans le cas où il s'agirait d'un bénéfice paroissial, l'Ordinaire, avant de procéder à la nomination, consultera le Ministre compétent conformément à l'article XVIII.

Article XX

De sanctionibus poenalibus.

Si des ecclésiastiques ou religieux sont accusés près des Tribunaux laïques de crimes prévus par les lois pénales de la République, ces Tribunaux informeront immédiatement l'Ordinaire compétent de chaque affaire de ce genre et lui transmettront, le cas échéant, l'acte d'accusation et l'arrêt judiciaire avec ses considérants. L'Ordinaire, ou son délégué, auront le droit, après conclusion de la procédure judiciaire, de prendre connaissance des dossiers relatifs. Dans le cas d'arrestation ou d'emprisonnement des personnes susmentionnées, les autorités civiles procéderont avec les égards dus à leur état et à leur rang hiérarchique.

Les ecclésiastiques et religieux seront détenus et subiront la peine de réclusion dans des locaux séparés des locaux des-

---

Articulus XIX.

Ius patronatus sive Reipublicae sive privatorum, donec novum quidpiam non convenerit, vigere pergit. Praesentatio digni ecclesiastici ad beneficium vacans intra 30 dies a patrono fiet de tribus nominibus ab Ordinario loci propositis. Quod si intra 30 dies praesentatio minime effecta sit, beneficium illud erit liberae collationis. Si vero de beneficio curato agatur, Ordinarius loci, antequam ad electionem deveniat, — iuxta articulum XVIII — Ministrum competentem consulat.

Articulus XX.

Si ecclesiastici vel religiosi viri coram tribunali laico insimulantur crimine poenalibus Reipublicae legibus sancito, ilico haec tribunalia competentem loci Ordinarium de huiusmodi re certiorem facient, eique, si occurrerit libellum accusationis et iudicialem sententiaen cum huius rationibus transmittent. Loci Ordinario, eiusve delegato, ius erit post causam iudicialiter cognitam actus ad eam spectantes cognoscendi. Quod si praefatae personae comprehendantur vel in vincula coniiciantur, politicae potestates ea utentur observantia quae sive illorum statu sive hierarchico loco exigitur.

Ecclesiastici ac religiosi viri detinebuntur ac poenam reclusionis luent locis ab illis qui laicis destinantur separatis, nisi forte a competentibus loci

tinés aux laïques, à moins d'avoir été privés par l'Ordinaire compétent de leur dignité d'ecclésiastiques. Au cas où ils seraient condamnés par jugement à la détention, ils subiront cette peine dans un couvent ou autre maison religieuse, en des locaux destinés à cet effet.

Article XXI

De subsidiis spir. fidelium.

Les Ordinaires veilleront à ce que tous les fidèles aient l'assistance religieuse dans leur langue maternelle, selon les règles de l'Église.

Article XXII

De bonis ecclesiasticis.

1°. La République de Lithuanie reconnaît les droits de propriété des personnes juridiques ecclésiastiques et religieuses à tous les biens meubles et immeubles, capitaux, rentes et autres droits, que ces personnes juridiques possèdent actuellement dans le territoire de l'État.

2°. La République de Lithuanie consent à ce que les droits de propriété susmentionnés, dans les cas où ils ne seraient pas encore inscrits aux registres hypothécaires ou autres instruments juridiques équivalents, aux noms des personnes juridiques qui les possèdent (Évêchés, Chapitres, Congrégations, Ordres religieux, Séminaires, bénéfices paroissiaux, autres bénéfices, etc.), y soient inscrits, et cela sur une déclaration de l'Ordinaire compétent, certifiée par l'autorité civile compétente.

Ordinariis privati fuerint ecclesiastica dignitate. Si autem in iudicio detentione damnati sint, hanc poenam in conventu aliave religiosa domo solvent in partibus ad id deputatis.

Articulus XXI.

Locorum Ordinarii curabunt ut omnes fideles religioso cultu donentur — iuxta regulas Ecclesiae — lingua sua cuique materna.

Articulus XXII.

1. Respublica Lithuanae personis iuridicis ecclesiasticis religiosisve ius facit omnia bona sive mobilia sive immobilia, pecuniae summas, reditus aliave iura possidendi, quae intra Reipublicae fines huiusmodi personae iuridicae nunc possident.

2. Respublica Lituanae consentit, ut iura possidendi, de quibus mentio supra est, in libris hypothecariis, aliisve aequipollentibus iuridicis instrumentis sub titulo personarum iuridicarum, ad quas pertinent, nondum inscripta sunt (Episcopatus, nempe, Capitula, Congregationes, Ordines religiosi, Seminaria, beneficia curata, aliaque beneficia, et ita porro) ibidem inscribantur, idque praevia competentis loci Ordinarii declaratione a competente civili potestate ratihabita.

3°. La question des biens immeubles dont l'Église a été privée par la Russie et qui se trouveraient actuellement en possession de l'État lithuanien, sera réglée par un arrangement ultérieur.

4°. Les biens que la République de Lithuanie revendiquerait auprès des autres États et qui appartenaient jadis à l'Église, lui seront restitués conformément du Droit Canon.

ARTICLE XXIII

De subsidiis pecuniariis.

Les sommes, payées par la République conformément aux états fixés par la loi en vigueur sous les noms des diocèses de Samogitie et de Seinai et de l'Administration Apostolique de Vilnius, respectivement à l'archidiocèse de Kaunas et aux diocèses da Vilkaviskis et de Kaisedorys, seront payées aussi et dans la même proportion aux nouveaux diocèses de Telsiai et Panevezys. L'État s'engage toutefois à augmenter ces allocations dans la même proportion qu'il le fera pour les autres branches de l'Administration de l'État.

Un accord ultérieur entre les Hautes Parties contractantes réglera tout ce qui regarde le maintien des Églises et des autres bâtiments ecclésiastiques ainsi que les constructions nouvelles exigées pour le bien des âmes.

ARTICLE XXIV

De pensionibus.

L'Archevêque, les Évêques, le Clergé et le corps enseignant dans les grands Séminaires ont droit à la retraite. Leur

---

3. Quaestio bonorum immobilium quibus Russia Ecclesiam privavit, quaeque nunc a Republica Lithuana possideantur, ulteriori conventione componetur.

4. Bona quae sibi forte a Lithuana Republica apud alia Gubernia vindicentur, quaeque olim ad Ecclesiam pertinebant, huic iuxta iuris canonici praescripta restituentur.

ARTICULUS XXIII.

Pecuniae summae a Republica solutae iuxta rationem lege vigente statutam sub nomine dioecesium Samogitensis ac Seinensis, nec non Administrationis Apostolicae Vilnensis, quod spectat ad archidioecesim Kaunensem dioecesesque Vilkaviskensem et Keisedorensem, solventur etiam et in eadem quidem proportione novis dioecesibus Telsensi et Panevezensi. Attamen Respublica promittit quod eas allocutiones augebit eadem proportione qua ceteri Administrationis Reipublicae ordines augebuntur.

Ulterior conventio inter Proceras Partes contrahentes omnia, quae ad Ecclesiarum aliorumve aedificiorum ecclesiasticorum conservationem, nec non novarum aedificationum, quas postulet bonum animarum, spectant, componet.

ARTICULUS XXIV.

Archiepiscopus, Episcopi, Clerus, et magistrorum Ordo in maioribus Se-

participation à la caisse de retraite sera réglée ultérieurement d'accord avec les Ordinaires.

ARTICLE XXV

De consociationibus catholicis.

L'État accordera pleine liberté d'organisation et de fonctionnement aux associations poursuivant des buts principalement religieux, faisant partie de l'*Action Catholique* et, comme telles, dépendant de l'Autorité de l'Ordinaire.

ARTICLE XXVI

Abrogatio contrariorum.

Toutes lois, ordonnances ou décrets, qui seraient en contradiction avec les stipulations des articles précédents, seront de ce fait même annulés, dès l'entrée en vigueur du présent Concordat.

ARTICLE XXVII

Provisio specialis.

Les biens ecclésiastiques situés en Lithuanie, mais appartenant à des personnes juridiques ecclésiastiques et religieuses ayant leur siège hors des frontières de l'État lithuanien, et inversement, formeront l'objet d'une convention spéciale.

ARTICLE XXVIII

Dies a quo.

Le présent Concordat entrera en vigueur le jour de l'échange des actes de sa ratification.

Dies (27 sept. 1929).

Rome, le vingt-sept Septembre mil neuf-cent vingt-sept.

PIERRE Card. GASPARRI. AUGUSTINAS VOLDEMARAS.

L. ✠ S. L. ✠ S.

---

minariis ius habent pensionis post dimissa munera. Eorum participatio ad arcam pensionum postea componetur conventione facta cum Ordinariis.

ARTICULUS XXV.

Respublica plenam tribuet libertatem sese constituendi muneribusque fungendi Societatibus fines in primis religiosos persequentibus ad *Actionem Catholicam* pertinentibus, quae ideo ad Ordinarii loci auctoritatem qua tales pertinent.

ARTICULUS XXVI.

Omnes leges, ordinationes vel decreta quae stipulationibus articulorum praefatorum contraria fuerint a vigente praesenti Concordato ipso facto abrogabuntur.

ARTICULUS XXVII.

Bona ecclesiastica sita in Lithuania, sed quae pertinent ad personas iuridicas ecclesiasticas et religiosas quarum sedes sit extra fines Status Lithuaniae, et contra, speciali conventione regentur.

ARTICULUS XXVIII.

Praesens Concordia vigebit a die qua mutuis actis ratihabita fuerit.

Romae, 27 sept. 1927.

Ratihabitio.

Essendosi fra la Santa Sede ed il Governo della Repubblica di Lituania, conchiuso, e dai rispettivi Plenipotenziari sottoscritto nel giorno 27 Settembre del corrente anno un Concordato, oggi, dieci Dicembre 1927, Sua Eminenza il Signor Cardinale PIETRO GASPARRI, *Segretario di Stato di Sua Santità, e Sua Eccellenza il Signor Dott.* GIORGIO SAULIS, *Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica di Lituania, riuniti nelle camere del Palazzo Apostolico del Vaticano, previa lettura dei rispettivi istrumenti di ratifica, li hanno trovati pienamenti conformi in tutti e singoli i loro articoli. In seguito di che, hanno entrambi proceduto allo scambio delle ratifiche medesime ed in fede di tale Atto hanno sottoscritto di loro propria mano il presente processo verbale in doppio originale, apponendovi il sigillo delle loro armi.*

Roma, dal Palazzo Pontificio al Vaticano, il 10 Dicembre 1927.

L. ✠ S. P. Card. GASPARRI.
L. ✠ S. Dr. J. SAULIS.

COMMENTARIUM SEU ANNOTATIONES

De tribus recentioribus Concordatis

I.

Conventio inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitaniae de rebus ecclesiasticis in Indiis Orientalibus.

Ob insignia merita Lusitanorum erga Indiam Orientalem, iam a saeculo XV Summi Pontifices Lusitaniae Regibus concesserunt ius patronatus in Ecclesias quas ibi fundassent ant dotassent.

Sed imperii Lusitani mutatis adiunctis, aliisque nationibus dominantibus in India Orientali, non adeo exclusiva interventio Lusitaniae in rebus ecclesiasticis sustineri poterat. Ideoque, ad amicaliter componenda antiqua discidia, acerrime exagitata sub Pontificatu Gregorii XVI, nec omnino sopita Concordato inter

Pium IX et Petrum V anno 1857, novae conventiones statutae inter Leonem XIII et Ludovicum I de rebus Goanis et hierarchia episcopali in Indiis Orientalibus (*Concord. 23 iunii 1886; Const.* LEONIS XIII *" Humanae salutis », 1 sept. eiusdem anni; Conventiones additionales, ann. 1887, 1889, 1891*, ap. *Raccolta di Concordati, ed.* MERCATI, *1919, pp. 844, 1041, sq.).*

In his pactis ratum asserebatur ius patronatus Coronae Lusitanae in diversis ecclesiis ac dioecesibus Indiarum Orientaliun.

Sed, eversa Monarchia Lusitana, et constituta Republica anno 1910, disiectae prorsus fuere relationes illius Gubernii cum Romano Pontifice, donec ab anno 1918 instaurari coepti sunt tractatus diplomatici, e quibus prodiit Conventio definitive ratihabita in aedibus Vaticanis 3 maii 1928. (A. A. S. XX, 129-132).

Tres quaestiones, ibi proponuntur solvendae: « *circumscriptio dioecesium, nominatio Epiŝcoporum* et *duplex iurisdictio de qua agebat concordatum anni 1886* ». 1.ª Pro *delimitatione dioecesium* attenditur hodierna divisio politica territorialis, ita ut dioeceses Lusitanae non compeehendant partem territorii britannici, nec anglicae versentur in dicione lusitana. — Ea propter, articulo 2, supprimitur dioecesis Damanensis, eiusque titulus unitur Archidioecesi Goanae, cui etiam annectitur territorium lusitanum *de Dâmao* ad septemtrionem civitatis Bombayensis et insulae Diu (art. 1).

Alia pars antiquae dioecesis Damanensis transit ad Archidioecesim Bombayensem (art. 2).

Sed pro meritis et honore Lusitaniae cedentis partem territorii Damanensis, et habentis in Bombayensi civitate optimas ecclesias, statuitur, artic. 3, alternativa electio sacerdotis lusitani et britannici pro Archiepiscopatu *de Bombay (sic 4 maii 1928 designatur R. P. Iaochim Rodriguez Lima, S. I., lusitanus*), et parochis lusitanis bombayensibus S. Francisci Xaverii et N. Dominae a

Gloria conceditur pro tempore muneris titulus Cubicucarii intimi Suae Sanctitatis.

Articulo 4, dismembratis 14 paroeciis quae sitae erant in territorio dioecesis Trichinopolitanae et Tuticorensis et aliis 6 in dioecesibus Dachensi et Calcuttensi, delimitatur dioecesis S. Thomae de Meliapor cum territoriis continuis S. Thomae iuxta urbem *Madras* et *Tanjore,* atque cum 5 paroeciis in civitate *Madras.* Compensationes territoriales et personales tribuendae dioecesi, statuentur intra terminum octo mensium, a ratihabitione Concordati, per Bullam Pontificiam.

Cetera quae ad personas, instituta ecclesiastica, scholas, bona temporalia, etc., spectant, remanent prout erant.

2.ª — Quoad *nominationem Episcoporum,* post debitas informationes Praesulum provinciae ecclesiasticae Indianae aut respective Sinensis, persona praevie designatur a Romano Pontifice et per Apostolicum Nuntium aut Legatum Lusitanum proponitur Praesidi Reipublicae Portugalliae, qui, si *nihil obstet* ob rationes politicas, candidatum praesentat S. Sedi. Praesumitur favorabilis praesentatio quando omissa fuerit rescriptio aut alius generis responsio intra terminum duorum mensium. Sic provisio fit quoad Sedes Goanam, Coccinensem, Macaonensem et S. Thomae de Meliapor (artic. 6).

Pro dioecesibus Bombayensi, Mangalurensi, Quilonensi et Trichinopolitana, quandoquidem ob rationes politicas proprias nihil obstare possit, propositio candidati fit, forma dicta, apud Praesidem Reipublicae Lusitanae, qui intra mensem praesentabit eligendum S. Sedi (artic. 7).

3.ª — Ad vitanda incommoda *duplicis iurisdictionis,* artic. 8, statuitur fideles versantes extra territorium propriae dioecesis subiacere, secundum normas iuris canonici, *territoriali* potestati Ordinarii localis.

Sic difficultates antiquae, exortae ex exsecutione Concordati anni 1886, valde aggravatae ob separationem Status ab Ecclesia ab anno 1911, atque ob adiuncta diversa post ultimum fere generale bellum, solvuntur praesenti conventione quae, etsi non attingat territorium metropolitanum Lusitaniae, viam profecto sternit ad generale Concordatum ibidem ineundum.

II.

Modus vivendi cum Cecoslovachia.

Post immane ultimum fere universale bellum, novi Status in Europa creati mox necessitatem experti sunt agendi cum Sancta Sede de propriis negotiis ecclesiasticis.

Inter quos enumeranda Respublica Cecoslovachiae, quae constat 14.000.000 incolarum quorum 85, 6 % sunt catholici. Post varias cum Apostolica Sede contentiones occasione sollemnitatis officialis ad honorandum haereticum IOANNEM HUSS, tandem 17 Decembris 1927 ventum est, non ad proprium Concordatum de omnibus rebus mixtis, sed ad *modum vivendi* de aliquibus urgentioribus negotiis, seu ad provisionalem et temporaneam conventionem quae viam pararet ad definitivam concordiam.

Eiusmodi *vivendi modus* 2 Februarii 1928, utrinque per Litteras Eminentissimi Cardinalis a Secretis Suae Sanctitatis, et alias similes Administri Relationum Exteriorum Cecoslovachiae approbatus est.

Sex articulis, normae proponuntur pro tribus praecipuis quaestionibus solvendis.

I. Prima, de *circumscriptione territoriali* dioecesium, solvitur criterio quodam generali, sc.: nulla dioecesis territorii Cechoslovachiae seu eius pars potest dependere ad Ordinario locali alius Status civilis; ac similiter nullum territorium alius Status civilis subdi debet Ordinariis Cecoslovachis.

Sic cessat interventio cuiuscumque auctoritatis ecclesiasticae hungaricae, austriacae aut germanicae in territorio nationali cecoslovaco et viceversa; atque item cavetur de unitate et concordia in gubernatione ecclesiastica.

Regimen hoc territoriale attingit etiam instituta religiosa quatenus eorundem provinciae vel domus nequeant dependere a provinciis exteris, vel regi per superiores alius nationis. Servatur utique subiectio relate ad Moderatorem generalem eiusque domum generaliciam extra Cecoslovachiam exsistentem.

Ad novam delimitationem dioecesium earumque dotationem, binae constituuntur commissiones independentes, alia Pontificia, civilis alia, quae schemata parabunt definitivae circumscriptionis, subiciienda novae inter utramque potestatem conventioni.

II. Sequitur conventio de *administratione patrimonii ecclesiastici.*

Bona ecclesiastica mobilia et immobilia, hactenus in sequestro constituta, subiicientur commissioni administrativae sub directione Episcoporum regionis, donec stabiliter in futuro Concordato de dotatione ecclesiarum negotium transigi valeat. Interim non deerunt difficultates ex reformatione legis agrariae anni 1920, attingente etiam proprietatem fundiariam Ecclesiae.

III. Tandem agitur in artic. IV de tertia quaestione seu, de nominatione personarum pro officiis, et beneficiis ecclesiasticis. Non conceditur Statui civili praesentatio; sed solum ut candidati sint nationales et eorum notificatio Gubernio Cecoslovaco praevie fiat, cum iure excipiendi contra personas designatas ob rationes politicas publicae securitatis. — Est *nihil obstat praevium*, aliis Statibus permissum in recentioribus conventionibus cum Polonia, Lethonia, Lithuania, Bavaria et Italia.

Pro Ordinario Castrensi, praeterea, strictiores normae innuuntur; nam supponitur eiusdem iurisdictio exempta et candidatus etiam in exercitu benevisus.

Cavetur serio de secreto servando quoad designatorum nomen et praevios tractatus inter utramque partem.

Insuper Ordinariis localibus iniungitur, ut pro Lithuania, Polonia et Italia, iuramentum fidelitatis erga Statum, determinata quadam formula. Denique hoc pacto obstringitur Status obligatione cito conformandi suam legislationem civilem praesenti *modo vivendi.*

En puncta praecipua huiusce conventionis provisionalis, in qua urgentiora, non omnia negotia tractantur. Deest gravissima quaestio de scholis, de beneficiis minoribus, de pleno dominio proprietatis et liberae administractionis quoad bona ecclesiastica, etc. etc.

Ex amicabili initiali tractatu sperare licebit cuncta definitive in Cecoslovachia deinceps per novum concordatum bene componenda.

III.

Concordatum Lithuanicum

Post Concordatum Lethonicum anni 1922 ac Polonicum anni 1925, venit Concordatum Lithuanicum 10 Dec. 1927 (A. A. S. XIX, 425)

Respublica Lithuanica, constituta ut Status plene independens mense februario a. 1918, simul cum territorio autonomo de Memel constat 2.361.500 incolis quorum 85 $^{0}/_{0}$ ad Ecclesiam catholicam pertinent.

In eiusmodi natione ea erat condicio circumscriptionis territorialis ecclesiasticae ut plures dioeceses dependerent a metropolitanis exteris in Russia aut Polonia, ac vicissim earum ambitus excurreret per dilionem civilem aliorum Statuum. Oportebat igitur

novam instituere delimitationem dioecesium, quam fecit SS. D. N. Pp. Pius XI in Apostolica Constitutione « *Lithuanorum gente* » 4 aprilis 1926, statutamque confirmare publica conventione inter S. Sedem et Statum civilem.

Praeter ratam territorialem ordinationem ecclesiasticam intra limites Lithuanos (art. 9), quamplura alia negotia, praecipua nempe quae ad disciplinam et regimen fidelium spectant, aequa generatim et accurata ratione, stabiliuntur in hoc Concordato, vigenti ut lege ecclesiastica et civili a die ratihabitionis, sc., a 10 decembris 1927.

En praecipua Conventionis capita.

I. *Plena independentia ac libertas catholicae Ecclesiae,* absque ulla rituum distinctione, agnoscitur cum omnibus iuribus suae potestatis in exercitio sacri ministerii et administratione bonorum prout postulant leges divinae et canonicae (art. 1.). Consequenter libera omnino sancitur communicatio Ordinariorum, clericorum et fidelium cum Sede Apostolica; itemque eorundem superiorum ecclesiasticorum libera communicatio oralis et scripta cum clero et populo sibi commisso (art. 2); promittitur ex parte Status positiva tuitio iurium ecclesiae et clericorum protectio in suo ministerio, nimirum auxilium brachii saeculariis de quo in can. 2198 (art. 4 et 5). Pro relationibus inter Sanctam Sedem et Statum conservandis instituitur Internuntiatura Apostolica in Lithuania et Legatio Lithuana Romae.

II. *Immunitas Ecclesiastica.* In art. 5 et 6 plures exemptiones aliique favores clericorum agnoscuntur:

1) Beneficium quod dicitur *competentiae* quoad partialem tantum coactam retentionem dotationis, v. c., ad solvenda debita;

2) exemptio clericorum atque alumnorum Se-

minarii a muneribus incompatibilibus cum proprio statu, et a servitio militari etiam tempore belli;

3) immunitas *localis*, ecclesiarum, cappellarum et coemeteriorum;

4) immunitas *realis* a vectigalibus, licet restricta ad loca sacra, monasteria, domus et collegia pro formatione religiosorum, bona cuiusvis generis pro dotatione cultus divini; atque ad aedes Episcopi et suae Curiae, et ad domus paroeciales. Cetera autem bona personarum ecclesiasticarum communibus oneribus fisci subduntur. Porro clericorum immunitas quoad *forum* fere disparet; in causis vero criminalibus delictorum communium mitigatio habetur relate ad totius causae notitiam, in quovis processus stadio, Ordinario communicandam, et ad poenas incarcerationis et reclusionis ab ecclesiasticis separatim luendas.

III. *Personae iuridicae ecclesiasticae earumque bona.* In articulis 10 et 17 libera omnino agnoscitur Ecclesiae potestas ad erigenda et immutanda beneficia ecclesiastica, ad instituendos Ordines et Congregationes religiosas earumque domus et provincias; cuncta eiusmodi instituta habebunt, secundum iuris communis regulas, facultatem acquirendi, cedendi, possidendi et administrandi, congruenter cum iure canonico, bona mobilia cuiuscumque generis, ac consequenter gaudebunt pleno iure standi in iudicio coram tribunalibus et aliis auctoritatibus Status pro defensione suorum iurium civilium.

Praeteritam bonorum ecclesiasticorum acquisitionem et praesentem possessionem Respublica Lithuana in art. 22, plenissime agnoscit ac tuetur, simulque facilem omnino reddit novam proprietatis titulationem et inscriptionem nomine personarum ecclesiasticarum iusta declarationem Ordinarii competentis. Quoad bona ecclesiastica, in Lithuania sita, sed ad exteras per-

sonas morales pertinentia, aut, vice versa, de bonis constitutis extra, sed ad Ecclesiam Lithuanicam spectantia, novum fiet pactum.

De Ecclesiae bonis immobilibus ereptis a Gubernio Russiaco, modo sub possessione Status Lithuanici constitutis, promittitur in eodem articulo 22, n. 3^0, nova conventio cum Apostolica Sede; item in n. 4^0 restitutio aliorum bonorum ad Ecclesiam pertinentium post obtentam illorum reivindicationem ab aliis Statibus detentoribus.

In articulo 23 consulitur doti dooecesium; pro aedificatione et conservatione sacrarum aedium promittitur nova conventio. Pro iubilatione Episcoporum, sacerdotum, ac professorum in Seminariis, statuitur art. 24 ius ad dotationem emeritorum Status, secundum proportionem decernendam communi consilio cum Ordinariis dioecesanis.

IV. *Provisio officiorum ecclesiasticorum*, Episcoporum nominatio libera fit a Sancta Sede; verum antequam eorum personae instituantur, interpellandus est praeses Reipublicae eiusque *nihil obstat* ob rationes politicas, requirendum. Antistites ante suarum sedium possessionem iuramentum fidelitatis coram eodem Praeside dabunt (Art. 11 et 12).

In articulis 18 et 19 statuuntur quae ad officia minora pertinent.

Praemittitur pro omni provisione necessitas civitatis Lithuanicae et qualitas candidati minime infensi Statui comprobata per *nihil obstat* Ministri cultus, quae praesumitur si Gubenium, in termino unius mensis, factae propositioni non obstiterit.

Retinetur ius patronatus Status et personarum particularium ita, ut designatio canditati intra terminum peremptorium unius mensis fiat ex tribus sacerdotibus ab Ordinario propositis; secus, provisio erit libera, quamvis cum onere interpellandi ministrum

cultus, iuxta art. 18, si agatur de beneficio paroeciali.

Pro exercitu Reipublicae conceduntur exemptiones et alia privilegia, concedi solita a Romano Pontifice ad curam animarum secundum normas Codicis. Cappellani Castrenses nominantur et reguntur a Metropolita Lithuaniae (art. 7).

Diebus dominicis et festo independentiae nationalis, sacerdotes officiantes collectam liturgicam in Missa pro Lithuaniae Republica eiusque Praeside recitabunt.

V. *Matrimonium — Regesta Paroecialia.* — In art. 15 matrimonium canonicum admittitur ab Statu quoad omnes effectus civiles. Consequenter eiusmodi causae matrimoniales subiacere debent foro ecclesiastico. Servatur tamen ab Statu matrimonium civile *facultativum.*

De actibus sacramentalibus et sepultura christiana in ecclesiis Lithuaniae, admittuntur a Gubernio, art. 14, regesta publica quae fidem faciant etiam in foro civili; ideoque parochi authenticas transcriptiones annuatim Statui communicabunt, ac similiter elenchum iuvenum pro conscriptione militari.

VI. *Seminaria et scholae — Catholicae organizationes.* Quoad clericorum institutionem in art 13 n. 2^0, in omnibus dioecesibus agnoscentur *Seminaria* omnino iuxta formam Codicis I. C., iisque assignantur subsidia Status. Tituli studiorum theologicorum, in eisdem Collegiis rite suscepti, ad exercendum magisterium religionis in publicis scholis aut aliis ab Statu stipendiatis, sufficient.

Si Ordinarius alicui revocaverit licentiam ad tradendam religionem, privatus tali facultate, eo ipso, amittet officium.

Istiusmodi normae relate ad nominationem et revocationem docentium valent pro ordinariis aut extraordinariis professoribus universitariis in Facultatibus

Philosophiae et Theologiae, sumptibus Statu constitutis. — Praeterea, Status assumit obligationem curandi, annuentibus Ordinariis, ut alumni scholarum publicarum aut aliarum subsidiis Status praeditarum, possint opportune praecepta religiosa adimplere; atque ut sartum tectum semper sit ius Episcoporum, iuxta can. 1381 quoad inspectionem omnium scholarum.

Tandem, scholae catholicae, sub dependentia Ordinarii, si studiorum programmata Ministerii Publicae Instructionis evolvant, scholis Status assimilantur quoad valorem diplomatum.

« *Actio catholica* », sub Episcoporum dependentia, libera omnino a Statu relinquitur quoad organizationem, et vitam praecipue religiosam.

VI. *Minoritates diversae linguae.* Quoad gentes alius linguae secundum mentem iuris internationalis in conventionibus post ultimum bellum, usus propriae linguae permittitur; ideoque stipulatur, art. 21, ut in Lithuania fideles istius generis curam spiritualem habeant in lingua materna.

VII. *Clausulae finales.* — Sunt derogatoriae legum aliarumque dispositionum contrariarum (art. 26); et (art. 28) promulgatoriae huius Conventionis tamquam legis canonicae et civilis vigentis a die mutuae ratihabitionis, quae evenit 10 decembris 1927.

Ex dictis clarissime apparet Concordati Lithuanici momentum. Rerum amplitudine et forma, in plerisque imitatur Concordatum Polonicum anni 1925; universaeque rationi ac conditioni catholicorum in novo Statu baltico apprime in universum respondere videtur.

MICH. MOSTAZA, S. I.

9. — Congr. Consistorialis

Responsum 4 feb. 1929

DE « ROTARY CLUBS » ET CLERICIS
(A. A. S. 6 feb. 1929, XXI, 42)

Quaestio.

Dubium. — Ab hac Sacra Congregatione Consistoriali non pauci sacrorum Antistites, pro sua pastoralis officii religione, exquisierunt: *An Ordinarii permittere possint clericis ut nomen dent Societatibus, hodiernis temporibus constitutis, quibus titulus « Rotary Clubs », vel ut earumdem coetibus saltem intersint.*

Responsum

Sacra autem haec Congregatio Consistorialis, re mature perpensa, respondendum censuit: *Non expedire.*

Dies (4 Febr. 1929).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 4 Februarii 1929.

L. ✠ S. C. Card. Perosi, *Secretarius.*
† Fr. Raphaël C., *Archiep. Thessalonicen., Adsessor.*

ANNOTATIONES

I. « Rotary » proprium nomen est consociationis internationalis, divisae in « clubs » seu sectiones nationales et locales, quae coadunat homines variarum professionum et functionum, quibus commune declaratur esse propositum *serviendi* societati per professionem seu actionem suam. Quo homines istius propositi se plures cognoscunt et saepe conveniunt, intellectus mutuarum utilitatum materialium et spiritualium, sic aiunt, iuvatur et melior fit convictus inter populos. Nomen sumitur a symbolo rotae in qua legitur « *Rotary international* », et quae motu suo circulari digressum sociorum atque eorum hebdomadarium congressum repraesentat. In eo quaestiones oeconomicas, sociales, hygienicas et morales agitant, exclusa re politica.

II. Sed cum homines omnis religionis vel, ut dicitur, omnis philosophiae congregat, « Rotary » nullam praesenti vitae superiorem considerationem admittere potest, atque indifferentismum sua « neutralitate » fovet.

10. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 6 dec. 1928

APOSTOLICA FACULTAS FACTA LEGATIS INDULGENDI TRANSITUM AD ALIUM RITUM

(A. A. S. 20 dec. 192', XX, 416)

Memoratis iuris sanctionibus

Nemini licere sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti, plurimis Romanorum Pontificum constitutionibus, praesertim Benedicti XIV, const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742; const. *praeclaris*, 18 Mart. 1746; ep. encycl. *Allatae sunt*, 26 Iul. 1755; Gregorii XVI, ep. encycl. *Inter gravissimas*, 3 Feb. 1832; Leonis XIII, litt. ap. *Orientalium dignitas*, 30 Nov. 1894; Pii X, const. *Tradita ab antiquis*, 14 Sept. 1912, Decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium, statutum fuit, atque a Codice iuris canonici, can. 98, § 3 confirmatum.

et usu hactenus vigente H. S. C.,

Hanc porro facultatem veniae Apostolicae concedendae ad transeundum de uno in alium ritum, haec Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali directe et immediate usque adhuc ipsa exercuit; ea enim, exceptis oratorum precibus seu petitionibus, usitato more audiebat interesse habentes et Romani Pontificis Legatos, utrum preces privatorum veritate niterentur, nec ne; ac, re diligenter cognita, causas allatas, utrum canonicae et sufficientes essent, ad trutinam revocabat, et demum ea decernebat quae ad bonum animarum magis profutura videbantur.

Propter frequentiam casuum et adiuncta tum localia tum psychologica,

Verum cum postremis hisce temporibus magis magisque in dies numerus augeatur latinorum catholicorum in partibus orientalium degentium, et catholicorum ritus orientalis extra patriarchalia territoria et orientalium partes commorantium, in latinis, iisque dissitis, regionibus; cumque partim pro rerum adiunctis et locorum distantia, persaepe sit res longi temporis exquirere et hinc inde comparare notitias, seu percontationes et informationes necessarias et opportunas circa oratorum preces; partim vero, ut nunc sunt mores, fere omnes festinare ambiant ac celeritati studeant, atque reapse morae huiusmodi non raro in detrimentum animarum vertere possint; undique delatae sunt preces huic Sacrae Congregationi, ut facultas concedendi transitum ad alium ritum delegaretur ac tribueretur Romani Pontificis Legatis, seu Nuntiis, Internuntiis ac Delegatis

Apostolicis loci, ubi oratores transitum postulantes degunt; quippe quod Apostolici Legati ibidem commorantes, facilius et expeditius rem cognoscere et absolvere valent.

Sententia S. C. 6 nov. 1928, de concedenda facultate Legatis, cum opportunis instructionibus.

Proposita igitur quaestione in plenariis Comitiis diei 6 Novembris curr. anni, huius Sacrae Congregationis Emi Patres censuerunt valde expedire ad bonum animarum ut Romani Pontificis Legatis facultas tribuatur concedendi veniam transitus ad alium ritum, uno excepto casu de Sacerdote ritus mutationem postulante; simulque statuerunt iisdem dare necessarias et opportunas instructiones circa causas canonicas iustas et sufficientes, earumque agnitionem, ut hac facultate utantur tantummodo in animarum bonum: hac enim ratione, nihil de veteri disciplina immutando, facilior atque expeditior via sternitur ad consulendum, hac in re, fidelium saluti.

Approbatio SS., 10 nov.

Quam E.morum Patrum resolutionem Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XI, in audientia diei 10 eiusdem mensis Novembris, referente infrascripto Cardinali Secretario, approbare ac confirmare dignatus est, simul decernens ut res publici iuris fiat per huius Sacrae Congregationis decretum.

Via in posterum sequenda describitur.

Mandat idcirco haec Sacra Congregatio ut a die prima proximi mensis Ianuarii a 1929 preces ad implorandum transitum ad alium ritum, per tramitem Ordinarii proprii, seu sub cuius iurisdictione sunt oratores, mittantur ad Romani Pontificis Legatos, seu Nuntios, Internuntios, Delegatos Apostolicos, vel eorum qui pro tempore vices eorundem gerunt. Legati Apostolici autem singulis anni spatiis referant huic Sacrae Congregationi de numero veniarum concessarum pro transitu sive de ritu orientali in latinum, sive de ritu latino in orientalem.

Exceptio.

Quod si in loco seu regione Legatus Apostolicus non fuerit missus aut constitutus, aut agatur de Sacerdote, preces, ut antea, ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali mittendae erunt.

Dies (6 dec. 1928)

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 6 Decembris 1928.

L. ✠ S.

A. Card. SINCERO, *Secretarius.*
H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

ANNOTATIONES

I. Quamvis decretum istud generalem titulum de transitu ad alium ritum praeferat, fere unice tamen de

transitu sive Orientalis ad ritum latinum sive Latini ad ritum Orientalem re vera agitur.

Omnia monumento quae allegantur huiusmodi tantum transitum ordinant.

Atque in *Collectanea S. C. de P. F.* repperimus solum decretum *S. C. de P. F.* a SS. approbatum, diei 20 nov. 1838 (*Coll.* I, n. 878), ubi de transitu ab uno ritu orientali ad alium orientalem quaestio movetur. Sic autem solvitur: Etiam inter Orientales, S. Sedes intervenire debet si Orientalis transire voluerit ad ritum ubi in alia specie consecratur (azima vel fermentata); si autem non variet species consecranda, sufficit consensus utriusque Episcopi. Haereticis tamen vel schismaticis, qui non fuerint apostatae, libera optio esse sinitur, cum convertuntur, ritus Orientalis ad quem pertinere malint.

II. Nihilominus, cum decretum edatur ut generale, quando pro mutando ritu Orientali interventus S. Sedis postulatur, preces poterunt etiam per proprium Ordinarium ad Romani Pontificis Legatum porrigi, ubi Legatus Apostolicus affuerit.

---

11. — S. Congr. Rituum

Instructio 9 ian. 1929

DE COMMUNIONE PLURIUM INFIRMORUM

(A. A. S. 6 feb. 1929, XXI, 75.)

Instructionis opportunitas;

Quo breviori et faciliori ratione sacra Communio pluribus infirmis ministrari valeat, Sacra Rituum Congregatio sequentem instructionem probari posse censuit; nimirum:

Tenor

Quando sacra Communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem domo, vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant, Sacerdos vel Diaconus ministrans, in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante in-

firmorum Communionem dicendas iuxta Rituale Romanum, Tit. IV, cap. 4; in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces: *Misereatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei...*, semel *Domine non sum dignus... Accipe frater (soror)...* vel *Corpus Domini Christi...;* et in ultimo cubiculo addat versum: *Dominus vobiscum,* cum suo responsorio et cum sequente oratione plurali numero dicenda: *Domine sancte...*, ibique, si qua particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur, ac tandem reliquas preces praescriptas in Ecclesia de more persolvat.

Approbatio SS.mi.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro Praefectum relatione, Sanctitas Sua praefatam instructionem ratam habuit et confirmavit; eamque pro opportunitate adhibendam benigne concessit Contrariis non. obstantibus quibuscumque.

Dies (9 ian 1929)

Die 9 Ianuarii 1929.

L. ✠ S.

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Pro Praefectus.*

Angelus Mariani, *Secretarius.*

Annotationes

I. Rituale Romanum in Tit. IV, cap. 4 ritum exhibet quo Communio administranda sit aegrotis extra Ecclesiam decumbentibus. Porro, totus ritus ibi descriptus omnesque preces ibi indicatae supponuntur peragi et recitari in ipso cubiculo in quo iacet aegrotus. Unde auctores plerumque concludebant totum illum ritum omnesque preces ibi indicatas ex integro esse reiterandas in singulis cubiculis eiusdem domus in quibus iacent infirmi (1), saltem si tanto intervallo iacent ut nullatenus possint ea quae sacerdos agit videre vel audire, ut puta si duo infirmi iacent in diversis eiusdem domus contabulationibus vel in cubiculis valde distantibus eiusdem contabulationis (2).

(1) *Ephemerides Liturgicae,* IV 1880, p. 452. - Van der Stappen, IV, q. 213.
(2) Genicot-Salsmans. Ed. 9. t. II, p. 166.

II. Porro, ex quo, Deo favente, populus christianus consuevit frequenter, immo cotidie, ad sacram Communionem accedere, in multis domibus religiosis et hospitalibus cotidie non in uno alterove cubiculo, sed in bene multis interdum ministranda est sacra Communio: quod ob longitudinem caerimoniae haud parvum incommodum prae se ferre solet. Nihil ergo mirum si modus brevior et facilior a *S. R. C.* fuerit approbatus.

III. *Summa caerimoniarum* in casu servandarum haec est:

In singulis cubiculis paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua ss. Sacramentum decenter deponi possit; in ea duo saltem ardeant cerei, et, nisi a ministro hoc ab uno in alterum deferatur cubiculum, vasculum cum aliquantum aquae ad abluendos sacerdotis digitos. Insuper habeatur linteum mundum ante pectus communicandorum ponendum eorumque mento substernendum. In primo insuper cubiculo habeatur vas aquae benedictae cum aspersorio.

Sacerdos modo in Rituali descripto Sanctissimum ex ecclesia defert in primum cubiculum, ibique omnia admussim peragit quae in Rituali praescribuntur ante communionem facienda. *Misereatur* tamen et *Indulgentiam* semper dicit numero plurali.

Communione administrata, Sacerdos pyxidem refert ad mensam, et de more abluit digitos in vase cum aqua parato, nihil dicens. Deinde claudit pyxidem et reassumpto velo humerali pyxidem cooperit eamque prae manibus tenens, absque benedictione e cubiculo egreditur nihil dicens.

In reliqua cubicula ingrediens nihil dicit, nec facit aspersionem, sed deposito in mensa super corporali Sanctissimo, dimittit velum humerale et statim pyxidem aperit. Deinde, non praemisso *Confiteor,* versus aegrotum dicit in singulari, nisi plures infirmi in hoc

cubiculo sint communicandi, *Misereatur* et *Indulgentiam*. Et ostendens de more particulam consecratam aegroto addit: *Ecce Agnus Dei,* et semel *Domine non sum dignus,* et Sacramentum ministrat modo in Rituali descripto dicens *Accipe, frater,* vel *Corpus Domini.*

Post communionem omnia peragit ut in primo cubiculo. In ultimo autem addit versiculum *Dominus vobiscum* cum oratione *Domine sancte* in plurali numero dicenda. Tandem, si particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam modo consueto impertitur, et in ecclesiam regreditur ubi reliquas preces praescriptas de more persolvit.

IOS. PAUWELS, S. I.

---

12. — S. Congr. Rituum

Decretum 29 ian. 1929

DE FESTO, ET OFFICIO CUM MISSA SS. CORDIS IESU

(A. A. S. 6 feb. 1929, XXI, 77)

Memorato decreto SS. D. de augenda festi sollemnitate, eiusque ratione,

novum officium cum missa, secundum votum S. Rit. C. SS. Pont. approbat

et utrique clero omnibusque officio divino iuxta ritum romanum astrictis imposuit.

Urbis et Orbis. Quo plenius Sacratissimi Cordis Iesu Festi sollemnitas devotioni populi christiani responderet, Ss.mus D. N. Pius Papa XI, litteris suis Encyclicis « Miserentissimus Redemptor », die VIII mensis Maii anno MDCCCCXXVIII datis, dictum festum ad ritum duplicem primae classis, cum octava privilegiata tertii ordinis, ipsum praeterea primarium declaravit et feriatis festis aequiparandum esse decrevit. Concinnatum autem a speciali Commissione, de mandato quidem eiusdem Ss.mi Domini, integrum officium cum missa Sacra Rituum Congregatio approbandum censuit. Itaque facta per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Pro Praefectum Sanctissimo Patri relatione in Audientia die 29 Ianuarii 1929, Sanctitas Sua praefatum officium cum missa proprium, prouti in superiori prostat exemplo, approbare dignata est, illudque, in universa Ecclesia, ab utroque Clero et a quibuslibet recitationi Officii divini, iuxta Romanum ritum, adstrictis

adhiberi iussit; servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die mense et anno quibus supra. *Dies (29 ian. 1929).*

C. Card. LAURENTI, *S. R. C. Pro Praefectus.*

L. ✠ S.

ANGELUS MARIANI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

De nova ratione celebrandi festum Sacratissimi Cordis Iesu

I. In Litteris suis encyclicis *Miserentissimus Deus,* diei 8 maii 1928 (1), Sanctissimus Dominus N. PIUS Pp. XI festum sacratissimi Cordis Iesu pro universali Ecclesia evexit ad titum duplicis I. classis cum octava. Nulla ibi maior habebatur determinatio, ac proin exspectandum erat decretum S. R. C. rem magis definiens, officium pro octava approbans et mutationes in Breviario et in Missali introducendas indicans: quod tandem factum est decreto 29 ianuarii 1929.

Porro, elevatio ritus festi sacratissimi Cordis multo maior est quam ex praedictis Litteris apparebat. Octava enim quo festum donatur, est privilegiata III ordinis, ipsumque festum declaratur primarium et festis feriatis aequiperatur.

Quanta consectaria inde defluant nemo ets qui non videat.

II. Et primo quidem, cum festum nunc sit duplex I. classis primarium universalis Ecclesiae, tam in concurrentia quam in occurrentia praeferendum iam est cuilibet festo particulari, etiam Patroni loci, Titularis vel Dedicationis Ecclesiae (*Additiones et Variationes in Rubricis Breviarii II, 1*), et in eo prohibentur missae exsequiales, etiam praesente corpore (*Additiones et Variationes in Rubricis Missalis III, 4*).

(1) Cfr *Per.* XVII, 97.

Sed festum sacratissimi Cordis occurrere potest sive cum festo S. Ioannis Baptistae, scilicet Pascha occurrente die 17 aprilis, quod durante saeculo vigesimo continget annis 1938, 1949, 1960, sive cum festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, Pascha occurrente 22 aprilis, scilicet annis 1962, 1973, 1984. Ipsa autem sunt etiam festa sollemnissima universalis Ecclesiae quibus hucusque cedere debebat festum sacratissimi Cordis, utpote minoris dignitatis, uti factum est anno 1927, non sine admiratione, et fere dixerim scandalo, quarundam animarum piarum. Iamvero, in posterum praevalebit festum sacratissimi Cordis. Habet enim eandem sollemnitatem externam, cum aequiparetur festis feriatis et celebretur cum octava; immo ex hoc capite potius iam est maioris nobilitatis, cum eius octava sit ex privilegiatis pro universa Ecclesia; est insuper aeque primarium, ac proinde certe praevalet ut festum Domini.

Tandem, cum sit festum primarium Domini I. classis universalis Ecclesiae, in laudibus et missis privatis respuit commemorationem de occurrenti duplici sive maiori sive minori aut semiduplici (*Addit. Missalis VII, 1*).

III. Quaeri potest num in eo dici debeat Imperata pro re gravi praescripta *dicenda etiam in duplicis I. classis?* Ex novis Rubricis, huiusmodi Imperata omittenda est tantum in Nativitate Domini, Epiphania Domini, Feria V in Cena Domini, Sabbato sancto, Dominica Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecoste, Festo sanctissimae Trinitatis et Festo sanctissimi Corporis Christi (*Addit. Missalis VI, 4*). Porro, quando haec concinnata est rubrica, haec praecise erant omnia et sola festa primaria Domini I. classis universalis Ecclesiae. Haud absurde ergo quis contenderit regulam hic aequivalenter generalem poni et quae proinde applicanda est etiam iis festis quae postea ad hunc ritum

fuerunt evecta, scilicet festo Domini nostri Iesu Christi Regis et festo sacratissimi Cordis. Huic opinioni ceterum non parum favet quod infra dicemus de Praefatione sacratissimi Cordis in Dominica adhibenda.

IV. Quod ad octavam, haec, ut diximus, est privilegiata III ordinis, ad instar octavae Nativitatis Domini et Ascensionis. In occurrentia ergo tam pro diebus infra octavam, quam pro die octava, iisdem tantum praevalet festis et officiis atque octava communis; sed, quocumque festo occurrente, nisi sit de identico Domini mysterio, v. g. de Corde Eucharistico, certe obtinet commemorationem. Per totam octavam prohibentur missae votivae quae non sint sollemnes pro re gravi et publica causa *(Addit. Missalis III, 1)*. Missa tamen votiva pro sponsis permittitur *(Addit. Missalis II, 2)*. Item per totam octavam prohibentur missae de *Requiem,* una excepta missa exsequiali praesente corpore (*Addit. Messalis III, 5-8)*. In officio de die infra octavam et de die octava, itemque in officio de dominica infra octavam, non adhibentur antiphonae et psalmi de psalterio, sed dicuntur ut in festo. *(Addit. Breviarii 1-2)*. In festis vero infra octavam occurrentibus quae Lectiones adhibent de *Scriptura occurrente,* hae dicuntur cum responsoriis octavae (*Addit. Breviarii 1, 4)*. In die autem octava, si occurrat duplex maius aut minus, vel semiduplex, quod iuxta rubricas reduci debet ad modum simplicis, de hoc festo simplificato non permittuntur missae privatae *(Addit. Missalis IV, 4)*.

V. Sed insuper, hac occasione *S. R. C.* pro festo sacratissimi Cordis novum officium novamque missam approbavit eaque in Breviarium Romanum et in Missale inseri iussit, non iam in *Proprio Sanctorum*, post festa maii, sed in *Proprio de Tempore,* post octavam sanctissimi Corporis Christi, in posterum ex mandato ipsius Summi Pontificis adhibenda in universa Ecclesia ab utroque Clero et ab omnibus recitationi divini

officii iuxta ritum romanum adscriptis. Hoc officium prorsus differt tum ab officio hucusque in universali Ecclesia adhibito, tum ab officio pro aliquibus locis olim approbato. De eo haec pauca animadvertere sufficiet:

« Attenta indole peculiari utriusque festi »; hucusque in concurrentia sacratissimi Cordis cum octava Corporis Christi, vesperae integrae fiebant de die octava sine ulla commemoratione (*dec. 3712, 28 iun. 1889*), etiam sicubi festum sacratissimi Cordis per accidens erat primarium (*decr. 3010, 27 iun. 1890 ad 11*). In novo autem officio, vesperae sunt integrae de festo sacratissimi Cordis sine commemoratione.

Habetur *doxologia propria* per totam octavam adhibenda iuxta rubricas:

Iesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
Qui Corde fundis gratiam
In sempiterna saecula.

Item ad Primam Versus proprius, qui et ipse infra totam octavam est adhibendus iuxta rubricas: *Qui Corde fundis gratiam.*

In missa prostat *praefatio propria,* quae iuxta rubricas dici debet per totam octavam, etiam in dominica, ut expresse praescribit rubrica specialis in missam dominicae inserta: *Praefatio de sacratissimo Corde, ratione octavae, iuxta rubricas.* Iamvero, nova rubrica de praefatione sic effertur: *Pro dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis censetur propria Praefatio octavae; itemque pro dominica infra octavam Corporis Christi, nisi commemoratio octavae omittenda sit; in ceteris dominicis... Praefatio de Trinitate* (*Addit. Missalis VIII, 1*). Formaliter ergo rubrica minime dicit praefationem de octava habendam esse ut propriam in missa de dominica occurrente infra octavam quamcumque in universali Ecclesia privilegiatam;

reapse tamen hanc praefationem adhibendam praescribit in omnibus dominicis tunc temporis occurrentibus infra talem octavam. Nunc autem *S. R. C.* eandem regulam sequendam iubet in nova hac octava privilegiata et hoc *iuxta rubricas*. Sufficienter inde apparet ab ipsa Congregatione tamquam aequivalenter generalem haberi hanc rubricam. Sed eodem modo tunc intellegendae videntur aliae similes rubricae.

VI. Si missa dominicae sua die ab officio nobiliori impediatur, tunc iuxta rubricas resumitur prima infra octavam die libera, etiam in die in qua officium fit de die infra octavam *(Addit. Missalis I, 6)*. In ea, si infra octavam resumitur, dicitur *Gloria* et *Credo (Addit. Missalis VII, 1 et 3)* et adhibetur praefatio de octava (*Addit. Missalis VIII, 1)*. Si vero resumenda sit post octavam, id est in sabbato, celebrabitur sine *Gloria* et *Credo*, cum praefatione B. M. V. ob commemoratum eius officium in sabbato.

VII. Nihil dicitur de *colore* in missa de dominica adhibendo. Haud absurde ex superius doctis possit quis contendere applicandam esse regulam datam pro missa occurrente infra octavam SS. Corporis Christi (*Addit. X, 1)*, ac proin, nisi in casu aliquo extraordinario commemoratio octavae foret omittenda, hanc missam celebrandam esse colore albo. Forsan ipsa Congregatio mox statuet quid in casu faciendum sit.

VIII. Pro reliquis octavae diebus indicantur pro I Nocturno *Lectiones* de Scriptura olim iam his feriis assignatae, sed cum responsoriis de festo sacratissimi Cordis. Pro II et III Nocturno novae dantur Lectiones diversae ab iis quae olim approbatae fuerunt pro aliquibus locis et insertae erant in Appendicem Octavarii Romani. Item pro officio de dominica novae habentur Lectiones in II Nocturno dicendae; in III vero Nocturno servata est Homilia antiqua sed cum responsoriis festi.

Lectiones olim feriae VI assignatae *Congregati ergo* sic iam deficiunt, cum tamen hucusque iuxta rubricam in die octava positam hac die anticipari debuerint. Supponimus has Lectiones in posterum definitivo modo assignatum iri feriae V. Hucusque hoc fieri non poterat, quia in *Proprio de Tempore* nulla fiebat mentio festi sacratissimi Cordis, ac proin, nisi huic feriae nihil prorsus in hoc Proprio assignetur, quod certe fuisset inauditum, feriae VI aliae assignari debuissent Lectiones quae numquam potuissent adhiberi. Non nullae aliae ceterum variationes in rubricas erunt introducendae; sic v. g. post octavam sacratissimi Cordis erit transferenda rubrica quae nunc legitur post feriam VI infra hebdomadam II post Pontecosten: *Ad vesperas, nisi sequenti die persolvendun sit officium de festo novem Lectionum aut de qualibet octava vel vigilia, fit Commemoratio de Sancta Maria, et de ea dicitur officium die sequenti. Quod item, etc.*

IOS. PAUWELS, S. I.

---

13. — S. Poenitentiaria Apostolica

Responsum in audientia SS. approbatum, 8 martii 1929

DE PRIVILEGIO PERSONALI IN HOC ANNO IUBILARI SACERDOTIBUS CONCESSO.

(A. A. S. 5 apr. 1929, XXI, 170).

Dubium. S. Paenitentiariae Apostolicae sequens dubium pro opportuna solutione exhibitum fuit:

« Utrum *privilegium personale*, hoc anno iubilari in Constitutione Apostolica « Auspicantibus Nobis » sacerdotibus concessum, sit consuetum personale privilegium *altaris*, vi cuius sacerdotes, pro defuncto celebrantes, Indulgentiam plenariam acquirere et applicare valeant animae pro qua Missam cele-

brant; vel potius ita intellegendum sit ut sacerdotes, Sacrum litantes, in quolibet Missae Sacrificio plenariam Indulgentiam lucrari et applicare possint, independenter a Missae applicatione, uni animae, in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae ».

Sententia S. Paenitentiariae.

Et Sacra Paenitentiaria Apostolica, re mature perpensa, respondundum censuit:

« *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam ».

Approbatio SS. et mandatum promulgandi, 1 mart. 1929

Facta autem de praemissis relatione SS. D. N. Pio divina Providentia Pp. XI, ab infrascripto Regente eiusdem Sacri Tribunalis, in audientia diei 1 Martii 1929, idem SS. Dominus responsum Sacrae Paenitentiariae benigne approbavit, confirmavit et publici iuris fieri mandavit.

Dies (8 mart. 1929).

Datum Romae, ex Paenitentiaria Apostolica, die 8 martii, 1929.

S. Luzio, *Regens*

A. Anelli, *Substitutus*

ANNOTATIONES

I. Ex declaratione et confirmatione SS. Domini, iam extra dubium posita est significatio privilegii personalis Bulla « Auspicantibus » sacerdotibus hoc anno concessi, quam quidem suspicari poteramus, non autem scientifice probare. Agitur enim de perinsigni gratia, cuius nulla alia memoria exstat.

II. Cum privilegium dicatur *personale*, (1) sicut bene insinuatur in ipso supplici libello, indulgentia prius acquirenda est a sacerdote, qui eam subinde ad animam in purgatorio transferat. Indulgentia autem non acquiritur nisi in statu gratiae. Oportet igitur ut celebrans Sacrosanctum sacrificium digne obtulerit. (2)

quando altresì all'Azione Cattolica è riconosciuto un posto legittimo; veramente è altrettanto facile che doveroso comprendere come si possa e si debba ringraziare di tutto cuore il Signore.

Tutto questo insieme di cose si potrà poi tanto meglio apprezzare, allorchè si potranno pubblicare i testi del Trattato e del Concordato; giova però fin d'ora considerare che quando si fa un soliloquio si può dire quel che si vuole, ma quando si fa un dialogo bisogna pure ascoltare l'altra parte. Le favorevoli condizioni nelle quali si è svolto il Nostro dialogo non ci lasciano ragione alcuna di dubitare che sarà pure assicurata altrettanto lealmente, generosamente, nobilmente, l'esecuzione di tutte le misure di comune accordo deliberate.

Spes fidelis exsecutionis.

Ben volentieri abbiamo fatto a quest'uditorio tali paterne confidenze, anche perchè confidiamo che da questa eletta schiera esciranno giovani egregiamente preparati a dedicare a così nobili ed importanti argomenti almeno qualche parte della loro attività tutta rivolta al bene. Siamo anche lieti di ricordare una circostanza che è riuscita particolarmente cara al Nostro, e non dubitiamo, anche al vostro cuore, che cioè, proprio nel giorno in cui davamo il Nostro assenso alla stampa dei documenti di cui abbiamo parlato, davamo altresì il Nostro definitivo consenso e l'ultima approvazione alle nuove disposizioni liturgiche per le quali la festività del Sacro Cuore di Gesù ha avuto una maggiore solennità, anzi la più grande solennità che sia consentita dalla Sacra Liturgia, riuscendo anche ad ottenere con la nuova solennissima ufficiatura un insieme di preghiere, di testi, di omelie, che ci sembra proprio fatto per diffondere sempre più largamente ed efficacemente la devozione al S. Cuore.

Simul cum conventionibus, S. Pontifex consensum dedit novae Liturgiae de SS. Corde.

Non ci resta infine che rinnovare l'espressione della Nostra paterna riconoscenza, per la consolazione che voi, figli dilettissimi, ci avete dato in questa udienza così caramente solenne, ed invocare sopra di Voi in tutta la sua pienezza la Benedizione Divina, mentre impartiamo a tutti e singoli, a tutte le intenzioni, propositi e fatiche di ciascuno a tutta l'opera in particolare che ciascuno di voi nei più diversi modi, ma con lo stesso nobilissimo intento, impiega per la gloria del Sacro Cuore, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Benedictio finalis.

21. — S. Congr. Concilii

Resolutio 21 maii 1927

DE CAPPELLANIIS LEGATIS

(A. A. S. 6 mart. 1929. XX, 116)

Dioecesis N. Cappellaniarum.

21 Maii 1927

Dies (21 maii 1929). Verba legati

SPECIES FACTI. — Quidam sacerdos oppidi *G.*, dioecesis *N.*, sub initium transacti saeculi, instrumento a rogato Notario confecto duas cotidianas cappellanias fundavit, his verbis usus: « sapendo (1) quanto sia grato a Dio il sacrosanto sacrificio della Messa... ha fondato e fonda ed ha eretto ed erige due cappellanie cotidiane, da celebrarsi entro questa ven. Basilica di S. A., all' altare della SS.ma Addolorata... Per dote di suddette due cappellanie ha assegnato durante la di lui vita, onze sessanta annuali, e dal giorno della sua morte onze sessantadue ogni anno, onerate sopra quelle onze quattrocento di soggiogazione che esige annualmente dal Sig. Principe di *F.* E se in qualunque tempo si verrà a reluirsi detta soggiogazione, vuole che il capitale di dette onze sessantadue si debba all' istante impiegare in compra di rendite stabili,... e i frutti esigersi dai cappellani, *nonostante che siano più delle onze sessantadue* ». Haec vero affrancatio canonum vivente adhuc fundatore effecta est, eiusque neptis et heres, mandato *alter ego* a fundatore munita, « ha (2) fondato, rifondato e fonda nella

Quae facta secuta sint.

(1) Id. e. latine: « Probe cognoscens quantum Deo gratum sit sacrosanctum Missae sacrificium,... fundavit et fundat, erexit et erigit duas cappellanias cotidianas, celebrandas in ista ven. Basilica S. A. ad altare perdolentis Virginis... Tamquam dotem praefatarum binarum cappellaniarum assignavit, per vitam suam, sexaginta uncias annuas; et ab eius obitu sexaginta duas, cum onere tamen 400 unciarum subiectionis quas D. Princeps F. E. quotannis exigit. Cessante autem quovis tempore ista subiectione, vult ut capitale dictarum 62 unciarum, illico collocetur in reditus stabiles... quorum fructus exigent cappellani, etiam si 62 uncias superent ».

(2) Id. e. latine: « Fundavit, iterum fundavit et fundat in venerabili ecclesia S. A. duas Missas cotidianas, seu cappellanias laicas... cotidianae isti celebrationi assignat vel iterum assignat annuas uncias 62... et pro facili exactione istarum 62 unciarum, gravat hypotheca agros... dictos *Hortus Marchionis*... qui agri, *mea secuta morte,* transeant statim in dominium ven. eccl. S. A. cum obligatione locandi meliore pretio: e quo pretio primo sumentur 62 unciae solvendae pro stipendiis debitis utrique Cappellano, dein 11 unciae erogandae pauperibus in die Virginis perdolentis; quidquid autem superfuerit impendendum sit in paramenta et supellectilem altaris Virginis perdolentis ».

ven. ch. di S. A. due quotidiane Messe, ossia laicali cappellanie... per elemosina di questa quotidiana celebrazione assegna o reassegna onze annue sessantadue... e per la facile esazione di dette onze sessantadue, ipoteca la possessione di terre... detto *Orto del Marchese*... quale possessione, *mea secuta morte*, passi subito in dominio della ven. chiesa di S. A., con obbligo di gabellarlo o affittarlo al miglior offerente, e della detta gabella, dedotte *prima* le onze sessantadue da pagare come elemosina come sopra per i Cappellani assegnata, e altresì dieci onze annualmente per distribuirle ai poveri nel giorno della Ss. Addolorata, tutto quanto sopravanzerà debba impiegarsi per gli arredi e suppellettili dell'altare dell'Addolorata ». Reditus annuus 62 unciarum, seu lib. 792,50, evidenter hodie non sufficit pro satisfactione Missarum ad taxae dioecesanae rationem: hinc iamdudum impetrata fuit reductio earundem. Verum cum in praesenti constet reditus fundi seu praedii *Orto del Marchese*, attingere circiter libellas 7000 annuas, capellani augmentum dotis reclamant ad summam saltem 3650 libellarum, quae responderet duplici capellaniae cotidianae: resistit tamen parochus, obtendens se ex fundatoris expressa voluntate teneri ad erogandas pro Missis summam unciarum 62 dumtaxat: ex quo potius dicendum videatur, fundatores noluisse capellaniam cotidianam, nisi subordinate; secus enim providissent pro casu quo summa non sufficeret. Quaestio delata est ad Ordinarium, qui consultius censuit ab hac Sacra Congregatione expetere solutionem sub his rogandi formulis:

Inde quaesita.

I. *An capellaniis in casu adnexa sit celebratio* cotidiana *Missarum.* Et quatenus affirmative: II. *Ad quam usque rationem Rector paroeciae S. A. teneatur reditus cedere in favorem Capellaniarum in casu.*

Normae interpretationis.

ANIMADVERSIONES. — Ex relatis fundationis verbis apparet luculentissime fundum pro Missis celebrandis relictum non fuisse *taxative*, sed *demonstrative* solummodo. Fundatores enim exordiuntur ab oneris impositione, et inde pergunt ad fundum pro adimpletione oneris constituendum. Iam vero cum fundus *demonstrative* legatur, heres tenetur supplere quod necessarium sit ad onera Missarum adimplenda, si reditus assignati a fundatore non sufficiant. In casu enim onus non inhaeret fundo, sed personae quae non deficit, etsi reditus fundi assignati deficiant (Lucidi, *De Vis. sacr. Lim.*, vol. III, p. 426, n. 9). Hanc doctrinam aperte docet Benedictus XIV innixus instructioni per Sacram Congregationem Concilii transmitti solitae, dum Ordi-

nariis facultas onera Missarum reducendi concedebatur. In ea enim legitur: « Illa legata seu fundationes erunt *taxative* conceptae, si fundatores legando, aut aliquo modo disponendo, orationem, seu dispositionem primo inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde Missarum onera adiecerint; et hoc casu huiusmodi onera ad rationem eleemosynae manualis moderari possit Episcopus; contra, vero, si fundatores orationem seu dispositionem inceperint ab impositione oneris, et subinde fundum assignaverint: tunc enim onus dicitur *demonstrative* conceptum, ac fundatorum heredes per Amplitudinem Tuam cogendi sunt *ad perpetuam dicti oneris manutentionem, et ad supplendam summam deficientem* tam pro praeterito quam pro futuro tempore » (*De Syn. dioec.*, lib. XIII, cap. ult., n. XXXII). Idem docent inter alios, Lucidi (*De Vis. ss. LL.*, supr. rel. n. 104), Oietti (*Syn. rer. mor. et iuris Pont.*, n. 3402) et Gasparri (*De Ss. Euch.*, n. 620).

Quomodo in casu valeant.

In casu hoc fecerunt fundatores; primum onus Missarum imposuerunt, et deinde fundum pro adimplendo onere assignarunt. Onus inde *demonstrative* esse conceptum dicendum est. Ergo *ecclesia* S. A., cui fuit impositum, cogenda est ad perpetuam oneris Missarum manutentionem, et ad supplendam summam in tabulis fundationis assignatam, *tunc* sufficientem sed *nunc* ex aucta taxa synodali deficientem, pro duabus Missis fundatis quotidie celebrandis ad mentem fundatorum.

Neque dici potest hos ipsos noluisse Missas quotidianas disponere. Intentio enim eorum est manifestissima in tabulis fundationis, quibus, ut legenti patet, saepe de *cotidiana* Missarum fundatarum celebratione mentio fit. Nec iuvat reponere eos taxative determinasse summam, nempe 62 uncias, cappellanis tradendam pro Missis; hoc enim certissime factum est, quia haec summa *tunc* temporis omnino sufficiens, et forte plus quam sufficiens, credebatur, iuxta taxam et morem illius temporis et regionis; hinc nec ipsorum mentibus occurrit casus augmenti taxae synodalis, vel imminutionis redituum, quos superabundantes ad finem intentum censebant.

Pariter mens fundatoris non fuit praecipue ecclesiae S. A. benefacere. Ex tabulis fundationis luculentissime constat ipsos primo et principaliter fundum oneri Missarum implendo destinasse; stipendium enim earum debet *ante omnia* ex reditibus ipsius deduci. Prae omnibus ergo administratores ecclesiae S. A. de *cotidiana* duarum Missarum applicatione curare debent, et modo speciali hoc tempore quo reditus superabundantes ad omnia opera fundata habentur.

Confirmatio ex abundantia redituum.

Deductis etenim ex reditu actuali 3.650 libellis italicis, quas pro duabus Missis cotidianis fundatis ad rationem taxae dioecesanae, cappellani petunt, 127,50, quae in eleemosynas expendi debent et 25,50 pro anniversario, cum fundus 7.000 producat, remanent adhuc 3.197 pro adquirendis paramentis et supellectilibus ad mentem testatoris. Huius voluntas integre servabitur, si onera Missarum integre adimpleantur: secus vero, si non applicentur omnes Missae, et standum dicatur earum reductioni, cui hodie, auctis reditibus, non videtur locus superesse. Haec enim concessa fuit quando reditus ad eas celebrandas erant insufficientes; hodie vero plus quam sufficientes sunt. Ceterum can. 1551 § 3 perspicuam normam interpretationis tradit, nimirum intelligendum esse, nisi aliud constet, ut potius alia onera quam Missae reducantur.

Resolutio

Resolutio. — In plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 21 Maii 1927, E.mi Patres Sacrae Congregationis Concilii respondendum propositis dubiis censuerunt: « Ad I. *Affirmative*. Ad II. Ad rationem taxae dioecesanae ».

Approbatio SSmi.

Facta postmodum relatione Ss.mo Domino Nostro Pio Pp. XI per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua resolutionem datam approbare et confirmare dignata est.

† Iulius, *Ep. tit. Lampsacen., Secretarius.*

Annotatio

Cum, more suo, III. D. Secretarius argumenta pro resolutione luculente proposuerit, nihil nobis dicendum supererest, nisi ut ad elegantem quaestionem et solutionem lectores faciamus attentos.

Duo principaliter observanda sunt.

1. Ex can. 1551, § 3, potius alia onera quam Missae reducenda sunt.

2. Mens legantis praesumptione definitur. Praesumptio autem collegitur ex ipsa ratione qua legatum scriptum est.

Qui enim in recto imponit onus, huic ceteras suas largitiones subordinat: qui vero directe, adiecto onere, quidquam largitur, largitionem principaliter intendisse

censetur, ita ut oneris reductio quae propter aucta rerum pretia seu taxationes fiat eius menti minime adversari iudicetur.

A. VERMEERSCH S. I.

---

22. — S. Congr. Rituum

Declaratio 13 mart. 1929.

PRIVILEGIA PATRONORUM MISSIONIS
(A. A. S. 1 mai 1929, XXI, 195).

DECLARATIO

Plurium dioecesium.

Occasio quaestionis positae.

Post Decretum editum ab hac Sacra Rituum Congregatione die 14 Decembris 1927, quo constitutum est, ut S. Teresia a Iesu Infante Patrona aeque principalis haberetur cum S. Francisco Xaverio, Missionariorum et Missionum omnium in quavis orbis parte exsistentium, a nonnullis Vicariis Apostolicis quaesitum est quaenam liturgica privilegia iisdem duobus Sanctis, Missionum omnium Patronis aeque principalibus, vi praedicti Decreti, spectent, iuxta rubricas. Porro Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, in audientia diei 13 vertentis Martii, referente infrascripto Cardinali eiusdem Sacrae Congregationis Praefecto, ad omne dubium removendum, declarare dignatus est: festa S. Francisci Xaverii et S. Teresiae a Iesu Infante, stante supramemorato Decreto, sub ritu duplici primae classis, cum octava communi a clero saeculari et sine octava a clero regulari, in cunctis missionum locis esse recolenda. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Martii 1929.

Declaratio in audientia S. Pontificis.

Dies (13 mart. 1929)

C. Card. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus*
L. ✠ S. ANGELUS MARIANI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

Decreto S. Rit. C. diei 14 dec. 1927 (1) SS. D. Pius XI declaravit « s. Teresiam ab Infante Iesu pe-

(1) *Periodica* XVII, n. 46, p. 145.

culiarem Missionariorum omnium sive virorum, sive mulierum, necnon Missionum in toto orbe exsistentium Patronam aeque principalem cum s. Francisco Xaverio *cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis quae huic titulo conveniunt* ». Quaenam autem sint haec iura et privilegia non clare apparet. In rubricis quidem Breviarii sermo est de privilegiis liturgicis Patroni loci, sed statim clare explicatur quinam ut tales sint habendi. Sunt autem : Patroni Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae ac Nationis. Sed tales profecto dici non possunt s. Franciscus Xaverius et s. Teresia a Iesu Infante in locis Missionum, cum eorum patronatus multo ultra limites Nationum extendatur. Nec proin mirum dubia esse mota de his iuribus et privilegiis. Porro, nunc, in locis Missionum, his sanctis tribuitur ritus quem Rubricae (Addit. et Variat. Brev. IX, 3) Patrono loci agnoscunt. Unde clare deducitur per praesentem declarationem, nomine ipsius Summi Pontificis factam, ad novos hos Patronos extendi iura et privilegia liturgica Patronorum locorum. Ipsorum proinde festum in locis Missionum iam habendum erit liturgice tamquam festum feriatum *(Duae tabellae),* et sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis, aut translationis aut commemorationis non nisi duplicibus 1 classis primariis universalis Ecclesiae (necnon, ut patet, his officiis quae ipsis duplicibus 1 classis primariis universalis Ecclesiae praevalent) cedere debebunt (*Add.* II, 1). In ipso festo et, si celebretur octava, per totam octavam, *Credo* dicitur. Praeterea vel in festo, vel in translata sollemnitate, ne exsequialis quidem Missa *de Requiem* permittitur. Solum vespere possit fieri exsequialis caerimonia, omisso omni lugubri sonitu campanarum. (Add. Miss. III, 4 ; Decr. auth. 8 iun. 1904, n. 4130.) Si Missa Patroni in propria die a praevalente officio impediatur, v. g. si festum s. Francisci Xaverii occurrat in Dominica I

Adventus, in missa sollemni de die addi poterit sub unica conclusione cum prima, oratio de s. Patrono, et in hac missa tunc fient tantum commemorationes et addentur orationes quae missae Patroni conveniunt (*Addit. et Variat. in Rubr. Missalis* IV, 1). Item, si festum occurrat infra hebdomadam, eius sollemnitas externa reponi poterit in sequentem dominicam. Quod si haec fuerit dominica minor per annum, in ea cani potest missa de sollemnitate translata, et de ea pariter legi potest unica missa, nisi occurrat duplex 1 classis. Si vero sollemnitas externa transferenda sit in dominicam maiorem, aut in dominicam ut supra impeditam, missae de sollemnitate externa quidem prohibentur, sed in missa cantata diei currentis, et in altera lecta fieri poterit commemoratio de sollemnitate externa sub prima conclusione et in his quoque missis illae tantum commemorationes et orationes addentur quae missae de Patrono conveniunt (*Addit. Missalis* IV, 3).

Insuper attendatur decreto 22 maii 1914, n. 4316, III (1): « Festa sanctorum Ordinis seu Congregationis, qui Patroni locorum principales... sint, a Religiosis utriusque sexus *eiusdem* Ordinis aut Congregationis ibidem sub ritu duplici primae classis cum octava, uti a clero saeculari, recolantur ». In omnibus ergo domibus Societatis Iesu quae in locis Missionum inveniuntur, festum s. Francisci Xaverii recoletur sub ritu duplici 1 classis cum octava, et sub eodem ritu duplici 1 classis cum octava recoletur festum s. Teresiae a Iesu Infante in omnibus coenobiis Fratrum vel Sororum Carmelitarum quae in Missionibus exstant.

IOS. PAUWELS, S. I.

(1) *Periodica* VIII, n. 21, p. 49.

23. — S. Poenit. Apostolica (Sectio de indulg.)

Decretum 22 febr. 1929

APPROBATIO AUTHENTICAE COLLECT. INDULG. A 1899 - 4 IAN. 1929

(A. A. S., 1 mai 1929, XXI, 200)

Occasio et rationes conficiendae novae collectionis

Post editum a Sacra Congregatione Indulgentiarum sacrarumque Reliquiarum anno 1898 opus, cui titulus: « Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai Santi Pontefici le Sante Indulgenze », valde excrevit Indulgentiarum concessionum numerus, quarum plurimae a christifidelibus ignorantur vel debito modo non cognoscuntur. Enimvero, Indulgentiarum collectiones fuerunt quidem, post publicationem recensiti operis, a privatis auctoribus confectae, imo nonnullae etiam a Sacra Congregatione S. Officii aut a Sacra Poenitentiaria documentis authenticis conformes declaratae; eaedem tamen vel non amplius venales prostant, vel non omnes concessiones hucusque factas complectuntur, vel continent preces, pia opera, indulgentiarumque concessiones, quae aliquas immutationes postea subierunt.

Ideo necessarium visum est preces et pia opera, Indulgentiis ab anno 1899 a S. Sede ditata, in unum colligere et in vulgus edere; quod quidem ipsamet Sacra Poenitentiaria Apostolica perficiendum curavit.

Approbatio Pontificis; abrogatio indulgentiarum; authenticitas.

In Audientia vero infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori die 4 lanuarii 1929 concessa, SS. D. N. Pius div. Prov. Pp. XI collectionem hanc, typis Vaticanis impressam, approbavit et confirmavit, et, abrogatis generalibus Indulgentiarum concessionibus post dictum annum factis et in eadem collectione non relatis, ipsam tantum uti authenticam haberi mandavit.

Dies (22 feb. 1929)

Datum Romae, e Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 22 Februarii 1929.

L. Card. LAURI, *Poenit. Maior.*

L. ✠ S.

IOANNES TEODORI, *S. P. Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I. Ex causis propter quas visum est opportunum indulgentias authentice colligere, hae binae mente tenendae sunt:

1. Privatae collectiones non sunt completae.

2. Pia opera, preces, indulgentias concessas referunt sicut erant ab initio definita, dum plures immutationes intervenerunt.

II. Ex voluntate S. Pontificis, praesens collectio est simul authentica et exclusiva pro indulgentiis *generalibus*.

Generales istas concessiones intellegemus *stricte*, sicut, commentando can. 920, in nostro tomo III, 622, sequendo doctrinam operis approbati BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, intelleximus indulgentias a S. Pontifice pro omnibus fidelibus obtentas. I. e. agitur tantum de iis indulgentiis quas omnes fideles *ubique* omni tempore, sine speciali usu rei benedictae lucrari possunt, minime autem de iis quae definitae ecclesiae visitationem postulant, neque de iis proinde quas, v. g. sacerdotes sacerdotali foederi eucharistiso ascripti suis paenitentibus communicare possunt.

III. Solae abrogantur indulgentiae generales concessae a S. Sede post annum 1899 ad 4 ianuarii 1929.

IV. Dum beneficium istud perspicuitatis et securitatis gratanter accipimus, ultro nascitur humile votum ut etiam de anterioribus indulgentiis, de quibus tot sunt dubia, similis collectio mox promulgetur. Ita, v. g. quam multa incerta de indulgentiis usitatissimae viae crucis!

A. VERMEERSCH S. I.

---

24. — Pontificia Commissio intepretando Codici

Responsa 12 mart. 1929.

BENEDICTIONES; IMPEDIMENTA MATRIMONII; DISPENS. IEIUNII; COMMUNICATIO ARGUMENTORUM

(A. A. S. 5 ap. 1929, XXI, 170)

Plenarius coetus

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — De Sacris benedictionibus

Ritus servandi ab episcopis.

D. An verba *ritibus ab Ecclesia praescriptis*, de quibus in canone 349 § 1 n. 1, ita intelligenda sint ut Episcopi in sacris benedictionibus prohibeantur solo crucis signo uti, quum peculiaris formula in libris liturgicis non praescribitur.

R. *Negative.*

II. — De impedimento publicae honestatis.

Vis matrimonii civilis

D. An vi canonis 1078 ex solo actu, ut aiunt, civili inter eos, de quibus in canone 1099 § 1, independenter a cohabitatione oriatur impedimentum publicae honestatis.

R. *Negative.*

III. — De dispensatione ab abstinentia et ieiunio.

Concursus necessarius pro dispensatione

D. An *magnus populi concursus*, de quo in canone 1245 § 2, habeatur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum.

R. *Affirmative.*

IV. — De positionibus seu articulis argumentorum.

Communicatio interrogationum cum altera parte

D. An secundum canonem 1761 § 1 servari possit praxis, vi cuius iudex cum altera parte communicare solet positiones seu articulos argumentorum, super quibus testes sunt examinandi, ut interrogatorium conficiat exhibeatque iudici.

R. *Affirmative*, remoto tamen subornationis periculo.

V. — De iure accusandi matrimonium.

Significatio vocis impedimenti.

D. Utrum vox *impedimenti* canonis 1971 § 1 n. 1 intelligenda sit tantum de impedimentis proprie dictis (can. 1067-

1080), an etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (cann. 1081-1103).

R. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Datum Romae, die 12 mensis Martii anno 1929.

L. ✠ S. P. *Card.* GASPARRI, *Praeses.*

IOSEPH. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

Ad I. Ecclesia in sacramentalibus conficiendis, benedictionibus dandis, etc. **ritibus** utitur peculiaribus, qui in liturgicis libris recensentur. Praecipuus *ritus* isque excellentissimus est signum crucis, quod recte vocatur « *omnium fons benedictionum et omnium gratia gratiarum* ». Praeter signum crucis, interdum praescribitur, imo plerumque, etiam *formula* adhibenda, quae potest esse vel **peculiaris** vel **communis.** Unde habentur quaedam benedictiones, cum applicatione quoque indulgentiarum, quae nullam habent praefinitam **peculiarem** formulam, v. g. benedictio coronae cum indulgentiis apostolicis, Crucigerorum, etc. Dantur, e contra, quaedam benedictiones — v. g. benedictio scapularis rubri Passionis et Sacratissimi Cordis D. N. I. C., coronarum Pretiosissimi Sanguinis, scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, etc. — pro quibus formula peculiaris in libris liturgicis praescripta reperitur.

Ubi agitur de iis benedictionibus, pro quibus peculiaris forma non est praescripta, potest adhiberi *benedictio ad omnia* aut etiam signum crucis tantum. Si *peculiaris* forma sit praescripta, haec adhibenda omnino est, et quidem *ad valorem* benedictionis. Sane can. 1148, § 2 expresse statuit: « Consecrationes ac *benedictiones* sive constitutivae sive invocativae *inva-*

lidae sunt, *si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta* » (1).

Manifestum est discrimen inter can. 239, § 1, 5⁰, 6⁰, et can. 349, § 1, 1⁰, seu inter Cardinales et Episcopos. Cardinales non tenentur servare ritus ab Ecclesia praescriptos sive formulas peculiares in liturgicis libris contentas; Episcopi, contra, tenentur. Nam can. 349, § 1, 1⁰, referens privilegia Episcoporum, remittit ad privilegia Cardinalium seu ad can. 239, § 1, 5⁰ et 6⁰, at expressis verbis hanc ponit restrictionem: « *ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis* ».

Unde Episcopi in sacris benedictionibus, pro quibus *peculiaris* formula praescribitur, hanc, aliter ac Cardinales, servare debent perinde ac ceteri sacerdotes; in iis vero benedictionibus, pro quibus aut nulla aut communis tantum, i. e. non propria et peculiaris, praescripta est formula, « *solo crucis signo* » uti valent. Haec verba significant, satis esse ut signum crucis fiat super re benedicenda, quin opus sit ut proferatur formula: « *In nomine Patris, et Filii*, etc. ».

Ad II. Responsum plane confirmat doctrinam a nobis propositam hisce verbis: « Controvertitur, utrum publica honestas sequatur etiam ex matrimonio *civili*. Alii affirmant, ex. gr. NOLDIN (2); alii negant. *Quae sententia certa nobis est:* a) tum quia ex decl. *S. C. Conc.* 13 mart.-7 april. 1879, iussu Leonis XIII data, publica honestas ex matrimonio civili iure antiquo non oriebatur; cuius declarationis ratio fuit, quod contractui civili ne figuram quidem matrimonii Ecclesia quoad fideles agnoscit; b) tum quia in Codice numquam nomine *matrimonii invalidi* venit vinculum civile, quod propria voce *semper* designatur (cfr. can. 188, 5⁰, 646, § 1, 3⁰, 985, 3⁰, 2356, 2388, § 1). Proinde

(1) Cfr. CAPPELLO, *De Sacramentis*, I, n. 119.
(2) *Summa theol. mor.* III, n. 579.

ex *solo* matrimonio *civili* — nisi accedat *concubinatus publicus* vel *notorius,* qui de regula adest et recte praesumitur, — *impedimentum non est* (1) ». Hinc rationes responsi manifesto patent.

Ad III. Facultas dispensandi, de qua in can. 1245, est *generalis* ideoque *late* interpretanda, uti e contrariis colligitur ex can. 85. Sane, attento praescripto huius canonis, ea tantum facultas dispensandi subest strictae interpretationi, quae sit « ad *certum* casum concessa ».

Praeterea facultas dispensandi, *generaliter* data, est gratia facta, quae *accedit privilegio,* ac proinde etiam ex hoc capite *latam* recipit interpretationem. Unde PIRHING ait: « Potestas dispensandi non est stricti iuris, sed *favorabilis* et *ample* interpretanda » (2). Item SUAREZ docet: « Concessio potestatis dispensandi in aliqua lege **generaliter** facta, quoad personas sine illarum expressione, *favorabilis* est et *late* interpretanda. *Haec est communis sententia iuris canonici interpretum* » (3).

Can. 1245, § 2 statuit: « Ordinarii, *ex causa peculiari magni populi concursus.....* possunt totam quoque dioecesim seu locum a ieiunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare ». Verba sunt clara et perspicua. Nulla fit distinctio inter fideles paroecianos et non paroecianos, inter fideles unius tantum paroeciae aut plurium. Atqui notissimum est iuris axioma: *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Accedit quod una ex rationibus, et forte praecipua, cur legislator concedat Ordinariis facultatem dispensandi ob peculiarem causam « *magni populi concursus* », est periculum, praesertim generale, ne lex ecclesiastica culpabiliter violetur. Atqui huius-

(1) CAPPELLO, *De Sacramentis,* III, n. 543.
(2) *Ius canonicum,* lib. I, tit. 31, n. 87.
(3) *De legibus,* lib. VI, cap. 17, n. 11.

modi ratio adest profecto sive agatur de concursu unius tantum paroeciae seu loci, sive agatur de concursu plurium paroeciarum seu extraneorum. Ergo.

Demum *S. Officium,* circa facultatem concessam Ordinariis dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae per decretum diei 5 dec. 1894, proposito dubio: « Quomodo sit intelligendus *magnus populorum concursus*, an populorum extraneorum, vel etiam eiusdem civitatis aut loci »; die 18 mart. 1896 respondit: « Attentis omnibus, *intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci,* facto verbo cum SS.mo ». Porro dispositio contenta in can. 1245 praeformata fuit in variis decretis et responsis latis a S. Sede, praesertim a S. Officio, ideoque praefatus canon, ad sensum et vim quod attinet, interpretandus est ex iure antiquo, ad normam can. 6, 2^0 et 3^0.

Quibus perspectis, abunde patet rectissime datum fuisse responsum a Pontificia Commissione Codicis.

Ad IV. Responsum confirmat praxim ante Codicem fere ubique locorum receptam ex usu tribunalium ecclesiasticorum (1), seu verius eam servari posse authentice declarat. Agitur proinde de norma *permissiva,* non autem praeceptiva. Dum iura defensionis tutantur huiusmodi facultate concessa, praecavendum edicitur periculum subornationis, quod interdum haberi posset nisi adhiberentur debitae cautelae ad normam can. 1776.

Ad V. Perlibenter excipimus hoc responsum, quo authentice confirmantur, quae tum in opere *De matrimonio* (n. 879) tum in *Periodica* (1927, p. 228 ss.) fuse tradidimus, rationibus ex Codice et auctorum testimoniis allegatis.

Omnia ergo huc spectant, quae dicta fuerunt. Sedulo notandum est, iure accusandi matrimonium

(1) Cfr. Scaccia, *De iudiciis,* lib. II, cap. 7, n. 20 ss.; Bouix, *De iudiciis,* II, p. 208; Wernz, *Ius Decretalium,* V, n. 614.

privari etiam coniuges illos, qui condicionem *contra substantiam matrimonii,* quaecunque ea sit, apposuerunt. Id manifesto liquet *tum* ex fine legis seu can. 1971, § 1, 1°, qui optimo consilio vetat ne coniux ex sua culpa commodum percipiat, *tum* ex verbis petitionis seu dubii propositi. Sane quaesitum fuit: « Utrum vox *impedimenti* can. 1971, § 1, 1° intelligenda sit... etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (can. 1081 - 1103) ». Igitur ipse can. 1102 evidenter comprehenditur, ubi expresse sermo est de conditione, et quidem etiam de conditione *contra substantiam matrimonii*, quae illud invalidum reddit. Quare pars, quae huiusmodi condicionem apposuerit aut acceptaverit, si forte ab alia parte vel a parentibus aut ab aliis apposita fuerit, iure accusandi matrimonium procul dubio caret.

FELIX M. CAPPELLO, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

25. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Litterae 30 maii 1929, earumque occasio.

A. *Acta Apostolicae Sedis* die 11 iunii 1929, pp. 297-306 chirographum referunt quem SS. D. N. Pius Pp. XI ad Em. Cardinalem a Secretis Status 30 maii 1929, in festo Corporis Christi, misit per occasionem binarum orationum, quarum altera 13 maii huius anni in aula Deputatorum, altera 23 maii in Senatu Italiae habita est. Ex chirographo isto ea ad utilitatem lectorum nostrorum decerpere visum est quibus SS. D. N. mentem suam de tractatu Lateranensi et Concordato authentice explicat, et principia confirmat perennis utilitatis. Sunt autem latine conversa:

Ecclesia et Status, duo Summi Principatus; potior Ecclesia.

1. « In Concordato interveniunt... duae supremae potestates pleni iuris, i. e. plene perfectae in suo cuiusque ordine; qui ordo ipso utriusque fine necessario definitur. Vix autem non superfluum est subiungere obiectiva finium dignitate absolutam suprematiam Ecclesiae non minus obiective et necessario determinari. »

Quid sit in Ecclesia S. Pontifex.

2. Summus Pontifex est Suprema et Principalis auctoritas Ecclesiae, quae statuit quod aestimat fieri posse et debere ad maiorem Dei gloriam et maius animarum bonum, et in casu pessimo, ad minorem Dei offensionem et minus animarum malum.

Ecclesia non usurpat sed tuetur Status iura.

3. Ecclesia numquam iura Status vere et proprie usurpavit; contrarium historice et notorie constat in Italia et alibi; ius et auctoritatem Status ab ea, maxime temporibus criticis et difficilibus, tutatam esse agnitum est; neque nunc a Statu aliud postulat quam iustam et ordinatam cooperationem ad bonum commune secundum iustitiam et ordinem finium.

De absoluta libertate conscientiae.

4. « Praesidium *absolutae libertatis conscientiae* admitti nequit. Aequivalenter dixeris creaturam non esse subiectam Creatori; aequivalenter legitimam feceris omnem informationem vel potius deformationem conscientiae, etiam maxime scelestam et socialiter calamitosam... In Statu catholico libertas conscientiae et controversiae intellegi et exerceri debet secundum doctrinam et legem catholicam. »

De mandato educationis.

5. « Plenum et perfectum mandatum educationis non ad Statum sed ad Ecclesiam pertinet; nec Statui fas est impedire vel restringere exercitium et adimpletionem talis mandati, nec illud sola propositione veritatum religiosarum circumscribere. Id nullum damnum affert veris et propriis iuribus vel potius officiis Status de civium educatione, firmis semper, id intellegitur, iuribus familiae . . . . . .

« Ac minus etiam, si fieri potest, quam Status, scientia, methodus scientifica, inquisitio scientifica quidquam timendum habent ab ulterioribus et superioribus amplificationibus instructionis religiosae (1) ».

De matrimonio religioso.

6. « In re matrimoniali, Concordatum familiae, populo Italico, regioni plus etiam quam Ecclesiae tantum beneficium confert quod pro eo solo libenter vitam immolavissemus... Ecclesia autem, societas perfecta in suo ordine matrimonium canonicum mediis quae habet iuridice imponere potest. Atque id faciet, immo iam « ex nunc » efficit, declarando extra fidelium communionem, ea membra sua qui matrimonium religiosum neglegere aut omittere voluerint, ut solum civile praeferant ».

Clericales et catholici.

7. Miserum sophisma committit qui clericales a catholicis distinguit, immo alios aliis opponit.

---

(1) De missione educativa Ecclesiae et familiae fusius disserens in oratione quam 14 maii 1929 habuit ad convictores collegii Mondragonensis, S. Pontifex inter plura alia haec dixit: « Dum Ecclesia familiis utendum offert munus suum magistrae et institutricis, familiae autem eo libenter utuntur et centenos et millenos filios Ecclesiae dant, memorant et protestantur aliam veritatem cuius momentum morale et sociale est maximum. Testantur opus educationis ante omnia et supra omnia in primis ad Ecclesiam et familiam, ad Ecclesiam et ad patres et matres pertinere: ad ipsos pertinet iure naturali et divino, ac proin modo indefectibili, ineluctabili, incommutabili. Sane Status nec potest nec debet sollicitudinem de civium institutione deponere, sed in hunc tantum finem ut suppleat id omne quod persona singularis et familia non possent per se procurare. Non ideo exsistit Status ut singulos et familiam sorbeat, deglutiat, annihilet: id esset absurdum et contra naturam, cum familia sit societate et Statu antiquior. Non potest igitur Status educationem neglegere, sed conferre et suppeditare debet quod necesse et satis sit ad adiuvandam, participandam, perficiendam actionem familiae, ad plene satisfaciendum votis patris et matris, ad observandum praeprimis divinum Ecclesiae ius. Dici aliquo modo potest, Statum vocari ut operam familiae et Ecclesiae compleat, quia plus quam quilibet alius subsidia possidet quae ipsi pro omnium necessitate contribuuntur, et iustum est ut ea adhibeat in utilitatem eorum ipsorum a quibus proficiscuntur.

« Porro manifestum est Statum pro educatione procurare posse qui honeste professionem exerceant et stipendia mereantur, numquam autem suppeditare poterit vocationes, vitas quas plena et perfecta consecratio educationi dicaverit » (*Ex Osservatore Romano* - 23 iunii 1929).

Individua coniunctio Tractatus et Concordati.

8. « Tractatus et Concordatum, secundum litteram suam et spiritum, ac viva voce et scripto explicite datas declarationes, se mutuo necessario complent atque individuo et indissolubili nexu coniunguntur. Quare *simul stabunt* vel *simul cadent;* etiam si inde « Civitas Vaticana » cum statu Vaticano consequenter cadant. Quod ad nos, cum divino auxilio *impavidum ferient ruinae* ».

Translatio diaconiae.

B. Bulla *Recenti conventione*, 26 maii 1929, diaconia S. Mariae ad Martyres ad Ecclesiam S. Apollinaris transfertur (*A. A. S.*, XXI, 308).

Ordinatio religiosa civitatis Vaticanae,

C. Bulla *Ex Lateranensi* 30 maii 1929, regimen religiosum civitatis Vaticanae ordinatur. Constituitur Vicarius generalis, Sacrista *pro tempore* Pontificalis domus, cuius iurisdictio ad Palatium Lateranense, et ad quaedam Pontificia dominia Castri Gandulphi extenditur, ita tamen ut baptismata, matrimonia ac funebria in paroeciali aede Castri Gandulfi celebrentur et in libros referantur. A iurisdictione autem Vicarii generalis eximuntur basilica et canonica S. Petri, et Seminarium Aethiopicum. Ecclesia S. Annae in paroeciam Vaticanae civitatis erigitur « In aedibus S. Annae duplex statuatur officii sedes; altera Curiae Vicariati destinata, altera Paroeciae, ubi acta utriusque officii tabulaeque serventur ».

Augustiniani sodales e *Civitate Vaticana* etiam curam habent de Pontificiis cellis seu cappellis quae sunt in isto territorio et de iis quae sunt in aedibus et villis quibusdam Castri Gandulphi (*A. A. S.*, XXI, 309).

Translatio episc. sedis in Columbia.

D. Bulla *Apostolici officii*, 19 ian. 1928, SS. D. N. episcopalem sedem ab urbe *Socorro* in urbem *San Gil* transfert, ecclesiam principem S. Aegidii ad cathedralis ecclesiae dignitatem extollit cum omnibus iuribus et privilegiis cathedralium Columbiae ecclesiarum. Ecclesia autem de Socorro honorifico concathedralis titulo fruetur, dioecesis autem appellabitur de *Socorro et de San Gil* (*A. A. S.*, XXI, 97).

Translatio in urbem sedis princip. Operae Apost. a Iesu Christo operario.

E. Brevi *Decessor*, 11 iul. 1928, *Operam Apostolicam a Iesu Christo operario*, principalem sedem, quam in urbe Genevensi habebat, iam obtinet in Urbe, sub iurisdictione Magistri Generalis O. P. (*A. A. S.*, XXI, 99).

Restitutio Abbatiae Neuburg, O. S. B.

F. Brevi *Friburgensis*, 11 iul 1928, monasterium O. S. B. loci Neuburg, exstinctum 1804, ad abbatialem gradum restituitur (*A. A. S.*, XXI, 100).

G. Brevi *Dilectus Filius*, 11 iul. 1928, religiosa domus O. S. Benedicti, Congr. Solesmensis, apud Oosterholtum in Hollandia, in abbatiam sub titulo S. Pauli erigitur (*A. A. S.*, XXI, 101).

Erectio abbatiae Oosterholt, O. S. B.

Brevi autem *Cum tu*, 12 iul. 1928, designatur abbas; et regimen ordinatur (*A. A. S.*, XXI, 177).

H. Epistola Apostolica *Caritatem decet*, ad Archiepiscopos et Episcopos Cechoslovachae, de millenaria celebritate S. Wenceslai ducis, missam, SS. D. laudes texit B. Martyris, catholicae rei condicionem in melius mutatam laetatur, meliora etiam exoptat, variis additis consiliis, praesertim de institutione iuvenum, de frequenti SS. Eucharistiae usu, ut Clerus numero et virtute augeatur (*A. A. S.*, XXI, 129).

Millenaria celebratio S. Wenceslai.

I. Brevi *Romani Pontifices*, 11 mart. 1929, iurisdictio Delegati Apostolici Aegypti ad territoria Palaestina, Transiordaniae et insulae Cypri extenditur (*A. A. S.*, XXI, 149).

Extensio iurisd. Delegati Aegypti.

K. Brevi *Anno Iubilari*, 23 april. 1929, S. IOANN. B. VIANNEY caelesis Patronus omnium parochorum seu animarum curatorum totius Urbis et Orbis constituitur (*A. A. S.*, XXI, 312).

S. Ioannes B. Vianney patronus parochorum.

L. Brevi *Mirabilis Deus*, 2 iun. 1929, Ven. IOANNES BOSCO, presb. saecularis et fundator Societatis a S. Francisco Salesio et Filiarum seu Sororum S. Mariae Auxiliatricis, Beatus renuntiatur (*A. A. S.*, XXI, 313).

Ven. I. Bosco beatus renuntiatur.

M. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

1. Bulla *Supremi Apostolatus*, 3 feb. 1928, suppresso Vicariatu Apostolico eiusdem nominis, dioecesim *Antofagastensem* in Chilena Republica, suffraganeam archid. S. Iacobi de Chile erigit, sine capitulo canonicorum (*A. A. S.*, XXI, 138).

Dioec Antofagastensis in Chilena republica.

2. Bulla *Dominici gregis*, 2 april. 1928, SS. D. territorium a dioecesibus Neo-Pampilonensi, de Socorro et de San Gill, et Sanctae Marthae separatum, in praefecturam Apostolicam *Fluminis Magdalenae* in Columbiana republica erigit (*A. A. S.*, XXI, 141).

Praef. ap. Fluminis Magdalenae in Columbia.

3. Bulla *Universi*, 12 ian. 1929, SS. D. N. urbem Spediam (*La Spezia*) una cum paroeciis quibusdam e dioecesi Sarzanensi separat et in dioecesim erigit et principaliter unit cum dioecesibus iam unitis Lunensi - Sarzanensi et Brugnatensi, sub hac appellatione: Lunensis, seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis. Ad tres simul regendas dioeceses una curia episcopalis constituetur Spediae, ubi Episcopus habitualem resi-

Nova dioecesis Spediana, unita duabus aliis (in Italia).

dentiam habebit, ita tamen ut pro lubitu suo tum in urbe Sarzanensi, tum in Brugnatensi degere possit. Sarzanae et Brugnati manent capitula cathedralia; Spediae capitulum cathedrale quam primum constituetur. Pro negotiis communibus tria Capitula seorsum votum rogabuntur. Sed pro eligendo Vicario Capitulari, tria convocabuntur Spediam, et, praeside digniore e Capitulo Spediensi communem pro tribus dioecesibus Vicarium Capitularem eligent (*A. A. S.*, XXI, 144).

Missio de Cuttack in Ind. Oriental.

4. Brevi *Apostolatus officium,* 18 iul. 1928, e dismembrata dioecesi Vizagapatamensi, in Indiis Orientalibus, independens Missio *de Cuttack* erigitur. Concreditur sacerdotibus Congregationis Missionis religiosae provinciae Matritensis (*A. A. S.*, XXI, 148).

Dioec. de Chittagong in Ind. Orient. et Krishnagarensis.

5. Brevi *Per similes,* 18 iul. 1928, fines dioecesis de Chittagong in Indiis Orientalibus et dioecesis Krishnagarensis accuratius definiuntur (*A. A. S.*, XXI, 178).

Praefectura de Assam.

6. Brevi autem *Quum ex Apostolico,* dioecesi de Chittagong adiunguntur duo civiles districtus, a praefectura de Assam separati (*A. A. S.*, XXI, 180).

Praefect. de Yenki in Corea.

7. Brevi *Ex hac divi,* 19 iul. 1928, e dismembrato Vicariatu Apostolico de Wonsam erigitur Praefectura Apostolica de Yenki, in Corea (*A. A. S.*, XXI, 181).

Basilicae minores. Larinensis.

N. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Cathedrale,* 13 iul. 1928, cathedrale templum Larinense Deo in honorem Virginis assumptae sacrum (*A. A. S.*, XXI, 147).

SS. Corporis D.ni Taurini.

2. Brevi *Inter praestantiores,* 2 aug. 1928, Taurinense templum SS. Corporis Domini, a miraculo nuncupatum (*A. A. S.*, XXI, 182).

Caprimontensis in Leodiensi dioecesi.

3. Brevi *Leodiensis,* 24 aug. 1928, sanctuarium Caprimontense (*Chèvremont*) Beatae Mariae Gratiarum, in dioecesi Leodiensi (*A. A. S.*, XXI, 183).

26. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali.

Approbationes constitutionum.

Mechitaristae.

Decreto 28 iulii 1928, Constitutiones monachorum *Mechitaristarum,* cuius domus princeps in urbe Venetiarum sita est, *definitive* approbantur.

Basiliani.

Decreto 6 apr. 1929, Constitutiones congregationis *Monachorum Basilianorum,* graeci ritus, cuius domus princeps est abbatia S. Mariae Gratiarum in oppido Cryptoferratae, *ad septennium* approbantur.

27. — S. Cong. Concilii.

Die 5 ian. 1929 notum facit sac. Ludovicum Lucantonio esse privatum beneficio et habitu ecclesiastico *(A. A. S.,* XXI, 23). *Sacerdos habitu eccl. privatus.*

28. — S. C. de Religiosis.

Approbationes Institutorum vel Constitutionum.

1. Decreto 12 iun. 1928, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Soeurs Franciscaines de Notre-Dame du Temple*, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Soeurs Franciscaines de Notre Dame du Temple.*

2. Decreto 12 iun. 1928, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Suore Domenicane di S. Caterina de' Ricci*, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Domenicane di S. Caterina de' Ricci.*

3. Decreto 12 iun. 1628, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Suore Domenicane di New South-Wales*, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Domenicane di New South-Wales.*

4. Decreto 12 iun. 1928, approbantur ad septennium, Constitutiones *Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci* Assisiensis, cuius domus princeps est in dioecesi Albiensi. *Terzo Ordine Regolare di S. Francesco.*

5. Decreto 10 iulii 1928, Institutum Sororum, vulgo *Suore Compassioniste Serve di Maria*, cuius domus princeps in dioecesi Stabiensi sita est approbatur eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Compassioniste Serve di Maria.*

6. Decreto 10 iulii 1928, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Suore Francescane di S. Giuseppe*, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Francescane di S. Giuseppe.*

7. Decreto 10 iulii 1928, Institutum, vulgo *Servi della Carità* definitive, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Servi della Carità.*

8. Decreto 10 iulii 1928, Constitutiones Sororum, vulgo *Suore della S. Famiglia del S. Cuore*, definitive approbantur. *Suore della S. Famiglia del S. Cuore.*

9. Decreto 10 iulii 1928, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Figlie del Divin Salvatore*, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Figlie del Divin Salvatore.*

10. Decreto 10 iulii 1928, Constitutiones Sororum, *Soeurs du Bon Sauveur*, definitive approbantur. *Soeurs du Bon Sauveur.*

11. Decreto 30 iulii 1928, laudatur Institutum Sororum vulgo *Suore di S. Giovanni di Dio.*

Suore di S. Giovanni di Dio, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Soeurs de la S. Famille de la Délivrande.

12. Decreto 30 iulii 1928, Institutum Sororum, vulgo *Soeurs de la S. Famille de la Délivrande,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Suore della Misericordia di S. C. Borromeo.

13. Decreto 30 iulii 1928, Constitutiones Sororum, vulgo *Suore della Misericordia di S. Carlo Borromeo,* ad septennium approbantur.

Suore del SS. Sacramento.

14. Decreto 30 iulii 1928, laudatur Institutum Sororum, vulgo *Suore del SS. Sacramento,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Suore Riparatrici del S. Cuore di Gesù.

15. Decreto 30 iulii 1928, Constitutiones Sororum, vulgo *Suore Riparatrici del S. Cuore di Gesù,* cuius domus princeps in arch. Neapolitana sita est, definitive approbantur.

Terziarie Domenicane di S. Caterina da Siena.

16. Decreto 10 dec. 1928, Constitutiones Sororum, vulgo *Suore Terziarie Domenicane di S. Caterina da Siena,* definitive approbantur.

Figlie della Misericordia e della Croce.

17. Decreto 10 dec. 1928, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo Figlie della Misericordia e della Croce, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Suore degli Angeli Custodi.

18. Decreto 21 ian. 1929, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Suore degli Angeli Custodi,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Suore di S. Filippo Neri.

19. Decreto 21 ian. 1929, Constitutiones Instituti Sororum, vulgo Suore di S. Filippo Neri, definitive approbantur.

Suore della Provvidenza.

20. Decreto 21 ian. 1929, Institutum Sororum, vulgo *Suore della Provvidenza,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur.

Frères de la Sainte Famille.

21. Decreto 21 ian 1929, Constitutiones Instituti Fratrum a S. Familia, ad septennium approbantur.

29. — S. Cong. Rituum.

Officium Parochi duarum paroeciarum.

A. Die 27 ap. 1929, in Aginnen. S. C. Rituum declaravit a Parocho qui duas Ecclesias parochiales regit, recitandum esse officium cum Octava de utroque Titulari et non tantum de Titulari Ecclesiae residentiae (*A. A. S.*, XXI, 321).

B. *Causa Beatif et Canonizat.*

Ven. Serva Dei Irmengardis.

1. Die 19 decembris 1928, SS. D. probavit rescriptum S. Congr. quo Em. et Rev.mi Patres in causa Ven. Servae Dei Irmengardi,

censuerunt confirmandam esse sententiam Em. Card. Archiep. Monacensis et Frisingensis super cultu seu casu excepto. (*A. A. S.*, XXI, 24).

Ven Margarita Redi.

2. Die 3 martii 1929, SS. D. sollemniter edixit constare de duobus miraculis in causa Florentina Ven. Servae Dei Teresiae Margaritae Redi a S. Corde Iesu, Monialis Professae O. Carm. Excal. (*A. A. S.*, XXI, 163).

Ven. I. Bosco.

3. Die 17 martii 1929, SS. D. sollemniter decrevit constare de duobus miraculis in causa Ven. I. Bosco (*A. A. S.*, XXI, 165).

S. D. Fr. Franciscus a Picciano.

4. Die 9 ian. 1929, SS. D. propria manu signare dignatus est Commissionem Introductionis Causae Panormitanae beatificationis et canonizationis S. Dei Fr. Francisci a Picciano, laici professi Ordinis Minorum (*A. A. S.*, XXI).

Ven. I. Bosco.

5. Die 19 mart. 1929, SS. D. sollemni decreto declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Ioannis Bosco beatificationem (*A. A. S.*, XXI, 195).

Ven. Cosmas a Carboniano.

6. Die 21 april. 1929, SS. D. sollemniter in causa Constantinopolitana declaravit constare de martyrio et causa martyrii Ven. Der Gornidas Keumurgian seu Cosmae de Carboniano, parochi Armeni (*A. A. S.*, XXI, 197).

Ven. Teresia Marg. Redi.

7. Die 7 maii 1929, SS. D. sollemniter declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Teresiae Margaritae Redi beatificationem (*A. A. S.*, XXI, 321).

Ven. Claudius de la Colombière, S. I.

8. Die 7 mai 1929, SS. D. in causa Augustodunensi Ven. Claudii de la Colombière, S. I. declaravit constare de tribus miraculis (*A. A. S.* XXI, 323).

Ven. Cosmas a Carboniano.

9. Die 20 maii 1929, SS. D. sollemniter edixit tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Cosmae de Carboniano Beatificationem (*A. A. S.*, XXI, 325).

Ven. Franc. Maria a Camporubeo.

10. Die 20 maii 1929, SS. D. sollemniter declaravit constare de duobus miraculis in causa Ianuensi Ven. Francisci Mariae a Camporubeo laici professi O. M. Capucc. (*A. A. S.*, XXI, 326).

30. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt :

Lecce (Italia).

7 dec. 1928, R. P. D. Albertus Costa, episcopis Lyciensis, ex ep. Melphiensi Rapollensi et Venusino.

Rochester (U. S. A.)

4 ian. 1929, R. P. D. Ioannes Franciscus O' Hern, episcopus Roffensis in America.

Sacramento (U. S. A.)

4 ian. 1929, R. D. Robertus Armstrong, episcopus Sacramentensis.

Hildesheim (Germania).

15 ian. 1929, R. D. Nicolaus Bares episcopus Hildeshiensis.

Avellino (Italia).

18 ian. 1929, R. D. Franciscus Petronelli, episcopus Abellinensis.

Joinville (Brasile).

25 ian. 1929, R. D. Pius Freitas, e Cong. Missionis, episcopus Joinvillensis.

Zamora (Messico).

5 feb. 1929, R. D. Emmanuel Arce y Ochotorena, episcopus Zamorensis.

Segovia (Spagna).

5 feb. 1929, R. D. Lucianus Perez Platero, episcopus Segobiensis.

Luni La Spezia-Sarzana e Brugnato (Italia).

8 feb. 1929, R. D. Ioannes Costantini, episcopus Lunensis seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis.

Lingayen (Filippine).

22 feb. 1929, R. D. Caesar Guerrero, episcopus Lingayensis in Insulis Philippinis.

Cava dei Tirreni (Italia).

22 feb. 1929, R. D. Ildephonsus Rea O. S. B., abbas *nullius* SS.mae Trinitatis Caven.

Natal (Brasile).

1 mart. 1929, R. D. Marcolinus de Souza Dantas, episcopus Natalensis.

Portorico (Antille).

8 mart. 1929, R. P. D. Edwinus B. Byrne, ep. Portoricensis, ex ep. Poncensi.

Ponce (Antille).

8 mart. 1929, R. P. Aloisius Wellinger, C. SS. R., ep. Poncensis.

Wladislavia (Polonia).

5 apr. 1929, R. P. D. Carolus Radonski, ep. Vladislaviensis seu Calispensis, ex ep. Berissensi.

Ragusa (Yougoslavia).

13 apr. 1929, R. D. Ioseph Carevic, ep. Ragusinus.

Vannes (Francia).

15 apr. 1929, R. D. Hippolytus Eréhion ep. Venetensis in Gallia.

Montauban (Francia).

15 apr. 1929, R. D. Aemilius Roques, ep. Montis Albani.

Melo (Uruguay)

19 apr. 1929, R. P. Michael Paternain, C. SS. R., ep. Melensis.

Tarbes et et Lourdes (Francia).

14 maii 1929, R. D. Petrus Gerlier, epis. Tarbiensis et Lourdensis.

Goa e Damão. (Indie).

25 maii 1929, R. P. D. Theotonius Emmanuel Ribeiro Vieira de Castro, arch. Goanus et Damanensis cum annexo titulo Patriarchae ad honorem Indiarum Orientalium, ex ep. S. Thomae de Meliapor.

Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt :

Rodi (Malta).

5 ian. 1929, R. P. Ioannes M. Aemilius Castellani O. F. M., episcopus Rhodiensis.

Patna (Indie Orient).

15 Ian. 1929, R. P. Bernardus Sullivan, S. I., episcopus Patnensis.

Dinajpur (Indie Orient).

7 feb. 1929, R. D. Ioannes Baptista Anselmo, episcopus Dinajpurensis.

31. — Nominationes.

A. *Brevibus Apostolicis :*

R. P. Evaristus Tchang, Vic. Apost. de Tsining in Sinis. *Tsining (Cina).*

R. P. Eduardus Sheehan, e Congr. Missionis, Vic. Apost. de Yukiang in Sinis. *Yukiang (Cina).*

R. P. Burcardus Huwiler, e Societ. Missionariorum Africae, Vic. Apost. de Bukoba in Africa Centrali. *Bukoba (Africa centr.)*

R. P. Antonius Oomen e Societ. Missionariorum Africae, Vic. Apost. de Mwanza in Africa Centrali. *Mwanza (Africa centr.)*

B. *Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali,* 2 mart. 1929, Ill. D. Petrus Pisani, nominatus est Delegatus S. C. pro Ecclesia orientali quod ad Seminaria, Collegia et Instituta ecclesiastica et pia Ritus Orientalis utriusque sexus in Urbe. *Roma.*

C. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide* nominati sunt:

19 iun. 1928, R. P. Ioseph Lorks, e Soc. Verbi Divini, Praef. Ap. Novae Guineae Centralis. *Nuova Guinea*

12 dec. 1928, R. P. Ernestus Reilly, O. F. M., Superior Missionis de Bellary. *Bellary.*

8 ian. 1929, R. P. Franciscus Xaverius Ochoa, ex Ord. Eremitarum Recollectorum S. Augustini, Praef. Ap. de Kweitch in Sinis. *Kweiteh (Cina).*

8 ian. 1929, R. P. Carolus Ilarius Currea, S. I., Praef. Ap. Fluminis Magdalenae in Columbia. *Magdalena (Columbia).*

5 febr. 1929, R. P. Theodorus Breher, e Congr. Ottiliensi O. S. B., Praef. Ap. de Yeaki in Corea. *Yeaki (Corea).*

19 febr. 1929, Rev. P. Iulius Douènel, e Soc. Parisiensi pro missionibus exteris, Praef. Ap. de Sikkim in Indiis, nuper erecta Praefectura. *Sikkim (Indie Orient).*

22 dec. 1928, R. D. Alfredus Lellis renuntiatus est Praeses Consilii Centralis Pontificii Operis a Propagatione Fidei pro regione Canadensi occidentati. *Pont. Opus a Prop. Fide.*

28 dec. 1928, R. D. Taddaeus Zakrzewski adlectus est in Consilium Superius generale eiusdem Pontificii Operis pro Polonia. *Pont. Opus a Prop. Fide.*

32. — Designationes tribunalium pro appellatione.

25 febr. 1929, Vicarius Ap. de Volta inferiore, tribunal Vicarii Ap. de Togo. *Tribun. appellat.*

7 mart. 1929, Vicarius Ap. de Tutsirabè, tribunal Vicarii Ap. de Fianarantsoa.

33. — Necrologium

Harlem. 23 apr. 1928, Ill. D. Augustinus Callier, episc. Harlemensis.

Alife. 7 iul. 1928, Ill. D. Felix Del Sordo, episc. Aliphanensis.

Avignon. 3 oct. 1928, Ill. D. Gaspar. M. Mich. Latty, episc. Avenionensis.

Durazzo. 31 oct. 1928, Ill. D. Franciscus Melchiori, Arch. Dyrrachiensis (Albania).

Cotenna. 14 nov. 1928, Ill. D. Odoricus Tc'eng, episc. Cotennensis (Cina).

Milano. 7 ian. 1929, Em. D. Eugenius Tosi, arch. Mediolanensis.

Ruvo e Bitonto. 16 ian. 1929, Ill. D. Dominicus del Buono, episc. Ruben. et Bitontin. (Italia).

Langres. 7 ian. 1929, Ill. D. I. Bapt. Thomas, episc. Lingonensis.

Colima. 25 ian. 1929, Ill. D. Amator Velasco, episc. Colimensis (Messico).

Tuy. 26 ian. 1929, Ill. D. Emm. M. Vidal y Boullon, episc. Tudensis (Spagna).

Montauban. 2 feb. 1929, Ill. D. Petrus Marty, episc. Montis Albani.

Vercelli. 17 feb. 1929, Ill. D. Ioann. Gamberoni, episc. Vercellensis.

Porto e S. Rufina. 25 feb. 1929, Em. D. Antonius Vico, episc. Portus et P. Rufinae, Praef. S. C. Rituum.

Roma. 26 mart. 1929, Em. Card. Aurelius Gallo.

Salerno. 30 mart. 1929, Ill. D. Carol. Greg. M. Grasso, archiep. Salernitanensis.

Roma 31 mart. 1929, Em. D. Card. Evaristus Lucidi.

Colombo. 1 april. 1929, Ill. D. Anton. Coudert, arc. Columbensis (India).

Bagdad. 4 apr. 1929, Ill. D. Dominicus Berré, episc. Babilon. Deleg. Ap. Mesopotmicae, etc.

Roma. 5 apr. 1929, Em. D. Card. Aidanus Gasquet, bibliothec. et archivista S. Rom. Ecclesiae.

Middlesborough. 11 apr. 1929, Ill. D. Ricardus Lacy, episc. Medioburgen. (Inghilterra).

Aquila. 2 maii 1929, Ill. P. Adolphus Turchi, arch. Aquilanus (Italia).

Pontremoli. 5 maii 1929, Ill. P. Antonius Fiormi, episc. Apuansis (Italia).

Antiochia. 7 maii 1929, Excel. D. Ignatius Ephrem II Rahmain, Patriarcha Antiochenus ritus Syri.

Antofagasta. 21 maii 1929, Ill. D. Aloysius Siloa Lezaeta, episc. Antofagostensis.

Mende. 29 maii 1929, Ill. D. Jacobus Gély, ep. Mimantensis (Francia).

Etsi proximus fasciculus mense tantum Octobri prodire debeat, copia tamen rerum Bibliographiam in eum fasciculum differre cogimur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

34. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 1 mart. 1929.

SPIRITUALIS ADMINISTRATIO GRAECO RUTH. IN AMER. SEPTEM.

(A. A. S., 5 apr. 1929, XXI, 152)

DE SPIRITUALI ADMINISTRATIONE ORDINARIATUUM GRAECO-RUTHENORUM IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTEMTRIONALIS.

Memoratis actis superioribus, cur nova aptatio fiat legum S. C. de Prop Fide.

Cum data fuerit Episcopo graeco-rutheno Statuum Foederatorum anno 1912 plena et ordinaria iurisdictio in clerum et populum universum graeco-rutheni ritus in Foederatis Civitatibus Americae septentrionalis, sive permanenter, sive ad tempus commorantes, et cum dein per decretum S. Congregationis pro Ecclesia Orientali sub die 8 Maii 1924 duo Ordinariatus graeco-rutheni ritus constituti sint, alter pro fidelibus oriundis e Galitia cum sede Philadelphiae Pa., alter vero pro fidelibus oriundis ex Podocarpatia Russa, necnon pro fidelibus graeco-rutheni ritus provenientibus ex Hungaria et Jugoslavia, cum sede Homestead Pa.; Eminentissimis ac Reverendissimis Patribus Cardinalibus S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositis in plenariis comitiis die 4 Ianuarii huius anni habitis, oppor, tunas leges a S. C. de Propaganda Fide pro Negotiis rituum orientalium latas die 17 Augusti 1914, eo modo qui sequitur visum est noviter aptare, easdemque praesenti decreto iterum ferre, circa spiritualem administrationem duorum Ordinariatuum graeco-rutheni ritus in praedicta regione.

Caput I

De Episcopis graeco-rutheni ritus.

De Episcopis graeco-rutheni ritus

Nominatio

Art. 1. — Nominatio Episcoporum graeco-rutheni ritus pro regione Statuum Foederatorum Americae septentrionalis Apostolicae Sedi reservata est.

Immediata subiectio S. Sedi

Art. 2. — Episcopi graeco-rutheni ritus eorumque legitimi successores in Statibus Foederatis Americae septentrionalis sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate manebunt, plenamque iurisdictionem ordinariam in omnes fideles graeco-rutheni ritus, permanenter vel ad tempus in Foederatis Civitatibus Americae septentrionalis commorantes, respective, iuxta diversitatem originis supra memoratam, exercebunt, sub dependentia tamen R. P. D. Delegati Apostolici Washingtonensis pro tempore.

Ius et munus

Art. 3. — Eisdem ius ac potestas competit regendi ac gubernandi gregem suum ac leges et statuta condendi in iis quae iuri communi non adversantur. Praecipuum vero eorum munus erit invigilare ut tum doctrina et boni mores, tum ritus et disciplina huic Ecclesiae propria sancte et integre custodiantur. Eorum igitur erit uniformitatem caeremoniarum in variis devotionibus necnon in tradendis Sacramentis usitatarum secundum rubricas librorum liturgicorum approbatorum, introducere et eiusdem unitatis strictam observantiam a sacerdotibus suis expostulare.

Visitatio gregis,

Art. 4. — Ordinarii paroecias et missiones suae curae concreditas saepe visitare tenentur, ita ut saltem singulis quinquenniis ipsi, vel per se, vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem, aut alium specialiter delegatum sacerdotem, lustrent, ut gregem suum apprîme cognoscant, eaque omnia quae ad spirituale eius bonum attinent, melius provideant.

parochiarum.

Art. 5. — In canonica visitatione paroeciarum inquirant Episcopi an parochi omnia paroecialia munera, praesertim visitationem infirmorum, puerorum instructionem, verbi Dei praedicationem, in dominicis et festis, diligenter absolvant; videant insuper omnes libros baptismatum, matrimoniorum ac mortuorum; inventariumque bonorum ecclesiasticorum ex ultimo biennio: ac rationes ab unoquoque rectore missionis expostulent, id est introspiciant ac probent libros proventuum et expensarum cuiuslibet Ecclesiae, statum materialem eiusdem, debita, etc. Hac praesertim occasione diligenter advigilent, ne abusus

in disciplinam ecclesiasticam irrepant, praecipue circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi divini, implementum piarum voluntatum; serioque curent ut puritas fidei et morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris et rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur. Si compererint irrepsisse abusus, eos prudenter, sed fortiter compescant, adhibitis etiam, si opus sit, poenis canonicis.

Cautelae de bonis temporalibus

Art. 6. — Ut autem securitati bonorum temporalium ecclesiarum, coemeteriorum, scholarum et omnium eorum quae ad Ecclesiam pertinent, summa cum diligentia prospiciatur, curent Ordinarii *a)* ne Rector Consiliumve administrationis nomine ac iure proprio retineant, pro quorum adquisitione fideles quovis modo subsidia contulerunt; *b)* satagant, audito in pertractandis negotiis virorum peritorum ac consultorum suorum consilio, eas tituli possessionis formas adhibere, omnesque prescriptiones servare, quae legibus singulorum Statuum respondeant, quaeque ecclesiasticorum bonorum administrationi, conservationi ac plenae in posterum transmissioni faveant; *c)* normas quas iudicaverint de bonis ecclesiasticis administrandis opportunas, statuant.

Annua sustentatio

Art. 7. — Annua sustentatio utriusque Episcopi consistet in praestationibus ad instar cathedratici, quae iuxta aequitatem ab Episcopo, audita voce suorum consultorum, determinabuntur, quasque singulae ecclesiae Ruthenorum Ordinariatuum solvere tenentur. Rectores ecclesiarum respondere tenentur de exacta solutione harum praestationum et aliarum ab Episcopo eiusque consultoribus determinandarum, pro Seminario, orphanotrophio, missionibus, etc.

Sedes

Art. 8. — Sicut in initio huius decreti declaratur, Ordinarius pro fidelibus oriundis ex Galicia sedem suam habeat Philadelphiae Pa., alter vero Homestead Pa.; pro commoditate tamen et utilitate tum cleri, tum curiarum duorum Ordinariatuum, sacerdos ruthenus domicilium habere poterit Neo-Eboraci, qui munere fungens Vicarii vel delegati Ordinariorum, assistentiam praebebit fidelibus ruthenis, peculiariter autem sacerdotibus illis qui vel Americam attingunt vel ex ea proficiscuntur, sed sub dependentia et voto Ordinariorum.

Relatio quinquennalis

Art. 9. — Episcopi singulis quinquenniis plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeant Delegato Apostolico, qui

eam transmittet ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali atque singulis saltem decenniis, ad sacra Apostolorum limina accedant, ut obsequium et oboedientiam suam Pontifici Summo praestent, eique rationem reddant de pastoralis muneris implemento, deque omnibus quae ad Ecclesiae suae statum et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem pertinent.

Controversiae cum Ep. latini ritus

Art. 10. — Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum graecorutheni ritus et Episcopos latini ritus Statuum Foederatorum, deferantur ad S. C. pro Ecclesia Orientali.

Caput II.

De clero graeco-rutheno

De Clero graeco-rutheno

Seminarium.

Art. 11. — Cum necesse sit ut habeantur sacerdotes integrae vitae, zelo ac prudentia praediti, in scientiis sacris eruditi et politicis factionibus alieni, curent Ordinarii, ut data opportunitate, saltem pro utroque Ordinariatu erigatur Seminarium minus et maius, pro clericis ritus graeci-rutheni educandis. Interim vero clerici isti frequentent Seminarium latinum ab Ordinario designatum, atque unum alterumve habeant sacerdotem sui ritus, qui eos ritus liturgiamque propriam bene ac diligenter edoceant. Ab subveniendum clericorum educationis expensis, tum rectores ecclesiarum, tum ipsae ecclesiae ritus graeco-rutheni in Statibus Foederatis Americae septentrionalis contribuant. Enixe Ordinarii commendent clero fidelibusque pium opus vocationum ecclesiasticarum, curentque ut sacerdotes, praesertim parochi, pueros, qui indicia praebent ecclesiasticae vocationis, a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant, divinaeque in eis vocationis germen foveant.

Sacerdotes exteri.

Art. 12. — Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum graecoruthenorum, qui in Statibus Foederatis educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarii postulent sacerdotes ab Episcopis ritus graeco-rutheni Galitiae vel Hungariae vel Jugoslaviae per tramitem S. Congregationis pro Ecclesia Orientali. Illi vero sacerdoti qui proprio marte, neque ab alterutro Episcopo graeco-rutheno vocatus, neque a S. Congregatione missus, illuc perrexerit, Episcopus graeco-ruthenus nullas concedere potest facultates, sive celebrandi Sacrum sive administrandi Sacramenta, sive munia ecclesiastica quomodo-

cumque obeundi. Interim, sicut iam pluries statutum est, sacerdotes ritus graeco-rutheni, qui in Status Foederatos Americae septentrionalis proficisci et commorari cupiunt, debent esse coelibes. *Coelibatus.*

Art. 13. — Sacerdotes pecuniam quaerentes, vel in fide ac moribus vacillantes, vel ebrietati faventes, nullo modo mittantur nec admittantur in Americam; et si tales inveniuntur, quantocius dimittantur: qui dimissi, nisi paruerint, poenis canonicis, non exclusa suspensione a divinis, coërceantur. *Quinam excludantur.*

Art. 14. — Quilibet sacerdos, ex Europa proveniens et in Statibus Foederatis Americae septentrionalis commorans pro fidelium ritus graeco-rutheni spirituali cura, manebit incardinatus dioecesi originis, nisi, servatis de iure servandis, incardinetur ab alterutro Ordinario graeco-rutheno Statuum Foederatorum. Interim tamen Episcopus originis iurisdictionem in eum nullo modo exercebit, sed praedictus sacerdos unice pendeat a iurisdictione Episcopi graeco-rutheni. In patriam redire aut revocari supradicti sacerdotes nequeant sine expressa licentia sui Ordinarii graeco-rutheni ritus Statuum Foederatorum in scriptis concedenda. Episcopi originis respondere debent coram S. Congregatione pro Ecclesia Orientali si tales sacerdotes sine scriptis ab alterutro Ordinario graeco-rutheni ritus Statuum Foederatorum admittant. *Iuridica condicio sacerdotis in Amer. pro fidelibus ritus gra co-rutheni commorantis.*

Art. 15. — Omnes rectores paroeciarum et missionum graeco-ruthenarum in Statibus Foederatis amovibiles sunt ad nutum Ordinariorum graeco-rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis. *Amovibilitas.*

Art. 16. — Datur tamen facultas presbytero amoto recursum interponendi, in devolutio, contra decretum remotionis, ad S. C. pro Ecclesia Orientali. *Recursus contra amotionem.*

Art. 17. — Sustentationi sacerdotis provideant Ordinarii, salarium eidem adsignando, assumendum iuxta proportionem ex omnium Ecclesiae proventuum massa seu cumulo. *Sustentatio.*

Art. 18. — Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinariis graeco-ruthenis iuxta probatas diversorum locorum consuetudines. *Iura utilia.*

Art. 19. — Ordinarii graeco-rutheni nonnisi in clerum et populum graeco-ruthenum iurisdictionem suam exerceant. Si tamen aliquo in loco exsistant fideles graeco-rutheni ritus, in eoque non sit missio constituta, aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, Ordinarii tunc debent iurisdictionem suam in fideles graeco-ruthenos presbytero latino loci communicare, certiorato Ordinario, quoad usque sacerdos graeco-ruthenus ibi habeatur. *Quid deficiente sacerdote ritus graeco-ruthe-ni?*

Officia spiritualia personalia.

Art. 20. — Meminerint sacerdotes se debere sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere, si velint in salutem animarum suum ministerium proficere. Ideo frequenter ad Poenitentiae Sacramentum accedant, quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem colant, conscientiamque suam discutiant.

Exerc. spir.

Art. 21. — Omnes sacerdotes debent tertio saltem quoque anno vel etiam frequentius, si opportunam habuerint occasionem, spiritualibus exercitiis per tempus a proprio Ordinario determinandum vacare; nec ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa Ordinarii licentia.

Reverentia, oboedientia Ordinariis.

Art. 22. — Omnes speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi eamque fidelibus saepius inculcent.

Studia sacra.

Art. 23. — Sacerdotes studia praesertim sacra ne intermittant, et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

Examen post expletum studiorum curriculum.

Art. 24. — Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, nisi ab Ordinario ob iustam causam fuerint dispensati, examen singulis annis, saltem per triennium integrum in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.

Collationes.

Art. 25. — Pariter saepius in anno, in singulis vicariatibus foraneis, diebus ab Ordinario praestitutis, conventus habeantur seu collationes de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam. Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario determinatas. Qui conventui interesse debent, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem aliusve quaestionis expositionem mittere debent, nisi ab Ordinario expresse antea exemptionem obtinuerint. In collatione officiorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in supradictis periculis vel collationibus magis praestiterunt.

Obligatio contionandi.

Art. 26. — Gravi obligatione tenentur parochi, quasi-parochi missionariique diebus dominicis ceteris queper annum festis de praecepto fidelibus, brevi Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatione, verbum Dei nuntiandi necnon catholicam fidelium institutionem curandi, praesertim puerorum, secundum instructiones ab Ordinario receptas. Qui si negligentes reperti fuerint, pro gravitate culpae puniantur.

Congregandi interdum sacerdotes apud Ordinarium.

Art. 27. — Iuxta opportunitatem, Ordinarii graeco-rutheni ritus sacerdotes saltem praecipuos tum saeculares, tum religiosos propriae iurisdictionis congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint perfectius ordinanda.

Caput III

De fidelibus graeco-ruthenis

Obligatio sustentandi proprium ritum. Optio data.

Art. 28. — Fideles graeco-rutheni tenentur frequentare ac libenter sustentare suas proprias ecclesias, ac observare praescripta sui ritus. Tamen in regionibus ubi desunt ecclesiae ac sacerdotes proprii ritus et ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possunt nisi cum gravi incommodo adire, debent, ut praeceptis Ecclesiae satisfaciant, Missam audire in ecclesia catholica alterius ritus, nec non Sacramenta accipere a presbytero alterius ritus.

Transitus ad alium ritum.

Art. 29. — Frequentatio ex parte graeco-ruthenorum, etiam continua, ecclesiarum ritus latini, non inducit mutationem ritus. Circa transitum ab uno ritu ad alium, normae rite observentur a S. C. pro Ecclesia Orientali datae per decretum « Nemini licere » die 6 Decembris 1928. Idcirco fideles graeco-rutheni propter transitum ad alium ritum, petitionem ad Delegatum Apostolicum mittant, et simul exponant veraciter causas canonicas, quae eumdem transitum suadere videntur. Satius vero erit si hanc petitionem ad eumdem Delegatum Apostolicum transmittant per tramitem proprii Ordinarii.

Ad mutandum ritum non sunt inducendi fideles.

Art. 30. — Non licet sacerdotibus ritus latini quempiam Graeco-ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere contra vel praeter canonica praescripta quae transitus ritus moderantur.

Sacramentum paenitentiae pro fidelibus utriusque ritus.

Art. 31. — Fideles latini, etiamsi adsit presbyter latini ritus, apud sacerdotem graecum-ruthenum ab Ordinario suo adprobatum, peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis, valide et licite obtinere possunt. Item, fideles graeco-rutheni peccata sua confiteri possunt apud sacerdotem latinum ab Episcopo suo adprobatum. Presbyteri vero latini absolvere non possunt fideles graeco-rutheni ritus a censuris et casibus reservatis ab Ordinario graeco-rutheno statutis, absque venia eiusdem. Vicissim idem dicatur de presbyteris graeco-ruthenis quoad censuras et reservationes statutas ab Ordinario latini

ritus. Ad devitandas vero difficultates, quae frequentiores in praxi occurrunt, Ordinariatus omnes a se reservatos casus, si qui sint, sibi invicem communicent.

Sacramentum Eucharistiae.

Art. 32. — Omnibus fidelibus cuiuscumque ritus datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant; ac insuper, ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti graeco-rutheno ministrare Eucharistiam consecratam in azymo; et vicissim sacerdoti latino ministrare in fermentato; at suum quisque ritus in ministrando servabit.

Communio paschalis.

Art. 33. – Quilibet Orientalis valide ac licite praecepto communionis paschalis satisfacit etiamsi alieno ritu communicet.

Suadendum tamen est ut suo quisque ritu et in propria paroecia fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant: qui vero in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

Viaticum.

Art. 34. — Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio a manibus proprii parochi accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamen ritu suo ministrabit.

Funera.

Art. 35. — Funerum celebratio ac emolumentorum perceptio in familiis mixti ritus, ad parochum illius ritus pertineant, ad quem defunctus pertinebat.

Festa et ieiunia.

Art. 36. — Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit festa et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt; quae observantia minime inducit mutationem ritus. Quoad Missam audiendam diebus festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, ipsi sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, interesse tenentur, ad adimplendum praeceptum ecclesiasticum.

Fidelium associationes.

Art. 37. – Adsociationes fidelium ritus graeco-rutheni sint sub vigilantia Ordinariorum, qui sacerdotem moderatorem nominent, ne forte abusus circa doctrinam, mores, disciplinamve in eis irrepant. Ideo laude digni sunt fideles qui sua dant nomina adsociationibus ab auctoritate ecclesiastica erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab adsociationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae student sese a legitimae auctoritatis ecclesiasticae vigilantia subducere.

De prelo

Pariter diaria, folia vel libelli periodica catholica sint sub vigilantia Ordinarii, nec in eis sine eius consensu sacerdotes scribant vel eadem moderentur.

Caput IV

De matrimoniis inter fideles mixti ritus

De matrimoniis mixti ritus.

Transitus ad alienum ritum pro Matrimonio.

Art. 38. — Matrimonia inter catholicos graeco-ruthenos et latinos non prohibentur; sed ad vitanda incommoda, quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, uxor in ineundo matrimonio aut eo durante, ad ritum viri transire potest. Matrimonio autem soluto, assumendi proprii ritus originis libera est ei potestas.

Forma matrimonii.

Art. 39. — Matrimonia tum inter fideles graeco-ruthenos, tum inter fideles mixti ritus, servata forma decreti « Ne temere » contrahi debent, ac proinde in ritu mulieris a parocho mulieris benedicenda sunt.

Dispensationes.

Art. 40. — Dispensationes matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint dandae vel petendae, dentur et petantur ab Episcopo sponsae.

Baptismus.

Art. 41. — Nati in regione Statuum Foederatorum Americae septemtrionalis ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi; proles enim utriusque sexus sequi omnino debet patris ritum.

Quid in necessitate.

Art. 42. — Baptismus in alieno ritu ob gravem necessitatem susceptus, cum nimirum infans morti proximus esset, vel natus esset in loco in quo, tempore nativitatis, parochus proprius patris non aderat, ritus mutationem non inducit: et sacerdos, qui baptizavit, proprio parocho testimonium baptismatis remittere debet.

Parochus infantium.

Art. 43. — Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinet, cuius ritus est eorum pater, exceptis natis ex illegitimo thoro, qui sequuntur ritum matris.

Confirmatio Pont. Decretum ad decennium valet.

Haec omnia Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. Papa XI, referente infrascripto huius S. Congregationis Cardinali Secretario in audientia 9 Februarii vertentis anni, rata habuit ac confirmavit, praesensque decretum ad decennium valiturum edi iussit.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (1 mart. 1929).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 1 Martii anno 1929.

L. ✠ S. Aloisius Card. Sincero, *Secretarius.*

H. I. Cicognani, *Adsessor.*

ANNOTATIONES.

Notae Historicae :

Rutheni magno numero in Status Foederatos Americae septentrionalis confluere coeperunt anno 1879, et praesertim in fodinis Pennsylvaniae operas suas locarunt. Primum sacerdotem qui stabilem eorum curam spiritualem susciperet, archiepiscopus Leopolitanus SEMBRATOWICZ in Americam misit anno 1885. Sed cum Rutheni tam laici quam sacerdotes in Status Foederatos transmigrare pergerent, numerus eorum brevi ita auctus est, ut S. Congregatio de Propaganda Fide varia decreta et instructiones emittere debuerit (1890, 1892, 1894, 1897) quibus sacerdotum in Americam transitum, negotium sacerdotum quaestuantium. Ruthenorum sub Ordinariis latinis subiectionem ordinaret.

Anno 1902 demum visitatio Apostolica indicta est, quae perduravit usque ad annum 1906. Fructus huius visitationis fuit constitutio Apostolica « Ea semper » (14 iun. 1907 (1)), in qua Ruthenorum in Statibus Foederatis degentium disciplina eorumque ad Ordinarios latinos relationes definiebantnr.

Sed cum in hoc decreto aliquae ritus orientalis restrictiones continerentur, dissidentes multis Ruthenis catholicis sine magno negotio persuaserunt id agi, ut orientales in Statibus Foederatis versantes paulatim ad ritum latinum traducerentur. Quo factum est, ut haud parvus fidelium numerus ad schismaticos defecerit.

Haec vero intentio quam longe a mente Summi Pontificis abesset, optime apparuit, cum, post aliquos annos (1913), Ordinarius proprius Ruthenorum nominaretur, cuius iurisdictioni omnes Statuum Foederatorum Rutheni subiecti essent; atque anno proxime sequenti status Ecclesiae Ruthenae per decretum S. Congregationis de Propaganda Fide, « Cum Episcopo » (17 aug.

(1) Cfr Acta Piis X, t. V, p. 57.

1914 (1)) de novo ordinatus est. Quod decretum primo ad decennium datum, sed die 21 iunii anni 1924 ad tempus indefinitum prolongatum, usque ad promulgationem decreti « Cum data fuerit » in vigore mansit atque pleraeque eius regulationes in novum decretum receptae sunt.

Sed vix difficultas composita erat, quae ex promulgatione constitutionis « Ea semper » exorta erat, cum Ecclesia Ruthena Americae Sept. novis perturbationibus per multos annos commota est. Sub nomine enim Ruthenorum duo populi comprehendi solent, qui licet sibi invicem affines sint, tamen origine, sermone, aspirationibus politicis ab invicem differunt. Quorum alteri ex Galicia exorti ad Ukrainorum familiam pertinent, alteri vero qui partes sub Carpathibus montibus incolunt, et Russini dicuntur, ad Russos proprius accedere contendunt. Quos inter cum discidia et oppositiones vigerent, factum est, ut post mortem primi episcopi (anno 1916) sedes episcopalis per plures annos vacaret. Anno demum 1924, a S. Sede lis ita composita est, ut alter episcopus pro oriundis ex Galicia, alter pro oriundis ex Podcarpatia Russa, ex Hungaria, ex Jugoslaviave nominaretur.

Interea quoque Codex Iuris Canonici promulgatus est, quo aliquae mutationes in ius introductae sunt. Idcirco S. Congregationi pro Ecclesia Orientali hoc anno visum est, decretum « Cum Episcopo » omnibus his immutationibus aptare illudque ita reformatum denuo promulgare et nova firmitate donare.

Condicio autem Ecclesiae Ruthenae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis haec est:

Ad Ordinariatum Episcopi Bohachevskij pro Ruthenis ex Galicia oriundis pertinent 237 495 fideles et 102 sacerdotes. Ad Ordinariatum Episcopi Takach pro Ruthenis ex Podcarpatia Russa, Hungaria et Jugoslavia

(1) Cfr Acta Ap. Sedis, VI, 1914, p. 458.

oriundis: 304 636 fideles et 142 sacerdotes (GRAMATICA, Atlante di Geografia Eccles. e Mission., Bergamo)

Nota. Brevis Ruthenorum in Statibus Foederatis degentium historia invenitur in *Cath. Encyclopaedia* vol. VI. p. 744 ss. (*Greek Catholics in America* by ANDREW J. SHIPMAN), recentioris vero status notitia in iis quae retulit Rev.mus Dom. M. D'HERBINY in V Conventu Velebradensi (*Acta V Conventus Velebradensis* a. 1927, Olomucii 1927 p. 159 ss.). Omnia quae ad ius Pontificium Ruthenorum pertinent, optime collegit, ample exposuit et erudite interpretatus est I. A. DUSKIE, « The Canonical Status of the Orientals in the United States ». Washington 1928, ad quem librum in sequentibus saepius recurremus.

Ad caput 1: *De Episcopis graeco-rutheni ritus.*

Rutheni Statuum Foederatorum *a proprii ritus episcopis reguntur.* Sane iam in constitutione « Ea semper » institutio episcopi rutheni determinata erat; verum iurisdictionem ordinariam nullam habebat, sed tantummodo sibi delegandam a singulis Ordinariis latinis, in quorum dioecesibus Rutheni commorabantur. Die autem 28 mai anni 1913, Summus Pontifex Rev.mum Dominum ORTYNSKI, qui episcopus titularis Ruthenorum fuerat, primum eorum Ordinarium fecit cum plena iurisdictione super fidelibus sui ritus (Cfr. DUSKIE p. 43) atque idem confirmatum est anno sequenti per Decretum « Cum Episcopo ».

Nominatio Episcoporum reservata est Apostolicae Sedi. Quod cum iam cautum esset constitutione « Ea semper, » quidam sacerdotes rutheni petitionem fecerunt, ut sibi partes concederentur in nominatione antistitis. Sed a S. Congregatione responsum est, id ne in regione Galiciae quidem obtinere; atque de facto in illis dioecesibus (episcopos) imperatores austriaci

nominabant secundum antiquum eorum privilegium. Ceteroquin ex experientia temporum quoque recentiorum constat, quantam mentium agitationem et cleri perturbationem electiones publicae efficere soleant, cum partium studium et respectus personales ab eiusmodi conventibus numquam non absint. Propterea S. Sedes inducta est ut his ultimis temporibus episcoporum nominationem magis magisque sibi reservaret. Sic nunc in ecclesiis orientalibus, quae a patriarchis non reguntur, episcopi plerumque ab Apostolica Sede nominantur, in ecclesiis vero patriarchalibus, eligi solent ab synodo patriarchali, idque, pro vario ecclesiae usu, sive audito cleri atque procerum testimonio sive non.

Episcopi vero rutheni fidelium suorum sunt *veri atque ordinarii pastores*, cum omnibus illis iuribus et officiis, quae ex iure comuni in Ordinariis inveniuntur. Non subiciuntur hierarchiae latinae Statuum Foederatorum, sed immediate Summo Pontifici respective S. Congregationi pro Ecclesia Orientali. Hoc autem non tollitur, quod subiecti sunt Delegato Apostolico Washingtoniensi quatenus id iure statuitur, id est sive vigilantiae quae ei iure ordinario competit, sive iurisdictioni quae ei speciali modo delegata esset. Controversiae autem, quae inter Ordinarios latinos et ruthenos Statuum Foederatorum exorirentur, abhinc non iam ad Delegatum Apostolicum, sed immediate ad *S. Congreg. pro Ecclesia Orientali* deferendae sunt.

Ut quis sit *subditus* Ordinarii rutheni, hae condictiones requiruntur: 1) ut sit ritus graeco-rutheni;

2) ut originem habeat vel ipse vel maiores eius (sc. in linea patris) in Galicia, respective in Podcarpatia Russa, in Hungaria, in Jugoslavia.

3) ut domicilium vel saltem quasi-domicilium habeat in territorio Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

Qui non ritus graeco-rutheni sunt, sed alius ritus, licet eiusdem ritus liturgici byzantini, non subsunt Ordinariis ruthenis, sed Episcopis latinis. Ita statuitur in constitutione Orientalium dignitas » (30 Nov. 1894) n. 9. et confirmatur litteris dati a *S. Congreg. pro Ecclesia Orientali* ad Deleg. Apost. Washingtoniensem 29 maii 1925 (cf. DUSKIE p. 35).

Praeter regiones supra nominatas, nullae aliae in decreto nominantur. Attamen secundum nostram sententiam, Rutheni oriundi v. g. ex regno Rumeniae vel aliis provinciis rei publicae Poloniae non Ordinariis latinis sed ruthenis subiecti essent, cum secundum decretum omnes Rutheni in Statibus Foederatis degentes illis subiecti sint; neque in genere difficulter determinatur utri ex Ordinariis ruthenis subordinentur.

Illi denique Rutheni, in quibus 1ª et 2ª condicio, non vera 3ª obtinet, subiciuntur Ordinariis Ruthenis tamquam peregrini.

Inter *officia* episcoporum specialis mentio fit in decreto curae quam habere debent *uniformitatis et puritatis cultus*. Traduntur normae visitationis singulis quinquenniis peragendae, statuuntur regulae providae et diligentis administrationis bonorum Ecclesiae.

Sustentationem Episcopi accipiunt ex praestationibus ad instar cathedratici ab omnibus ecclesiis Ordinariatuum singuli annis solvendis. Cum enim fundationes Ecclesiarum in Statibus Foederatis plerumque desint, alio modo providendum erat. Ceteroquin hic modus prospiciendae mensae episcopali ab iure orientali non est alienus. Similes praestationes iam a saeculo VI in Oriente per consuetudinem invaluerunt, quae postea, praesertim saeculo XI, sub nomine *zavoruzá* sanctionem cum imperatorum tum patriarcharum invenerunt.

Celebratio *synodi* dioecesanae stricte dictae Ordinariis ruthenis non praescribitur. Haec institutio iure

communi orientali quidem non recepta, sed apud multos catholicos orientales hodie usurpata, pro statu actuali ecclesiae Ruthenae Statuum Foederatorum nondum opportuna videbatur. Loco autem eius iniungitur Episcopis, ut juxta opportunitatem singulis annis saltem praecipuos sacerdotes suae iurisdictionis tum saeculares tum regulares congregent, deliberationis et consilii capiendi causa.

Per decretum « Cum Episcopo » *sedes* Ordinarii stabiliebatur in urbe New-York, sedes Vicarii Generalis vero in urbe Philadelphia; sed cum maior fidelium numerus in Statu Pennsylvaniae commoraretur, anno 1924 in nominatione episcoporum statutum est, ut Ordinarius Ruthenorum qui ex Galicia proveniunt, sedem Philadelphiae, Pa., alter Ordinarius sedem Home — stead Pa. haberet. Idem in recenti decreto conservatum est, sed permittitur Episcopis, ut vicarium vel delegatum in urbe New-York stabiliant, qui sub dependentia Ordinariorum curam habeat praesertim eorum, qui territorium Statum Foederatorum vel primo attingunt, vel relinquunt.

Ad Caput II: *De clero graeco-rutheno.*

Cum religiosae vitae conservatio et profectus maxime dependeat ab integretate et zelo cleri, praesertim copiae bonorum sacerdotum providendum est. Idque fit duplici ratione. Primo per formationem probi *cleri indigeni*, eo quod excitentur et foveantur vocationes puerorum idoneorum, quod in Seminariis rite institutis eorum mentes et mores excolantur; praecipitur autem, ut interim, cum Seminaria proprii ritus non exsistant, Seminaria latina frequentent; in liturgia vero et in riritibus propriis ab uno alterove sacerdote eiusdem ritus bene instituantur.

Alterum est quod sacerdotes qui ob deficientiam cleri indigeni ab extero arcessendi sunt, probe seligantur, ne sacro muneri suo sint dedecori, fidelibus vero scandalo evadant. Propterea, iam anno 1890 et sequentibus, *S. Congregatio de Propaganda Fide varias de admissione sacerdotum exterorum* ordinationes ediderat; praescripserat, ut vel ipsa vel Ordinarius ad quem, certiores fierent de eorum adventu, vel etiam permissionem antea dedissent. Ab institutione autem hierarchiae ruthenae, sacerdotum ruthenorum ad Status Foederatos advehentium admissio ita fit, ut vel Episcopi rutheni Americae eos ab Episcopis Europae postulent, idque per tramitem S. Congregationis, vel S. Congregatio ipsa eos ad Ordinarios ruthenos mittat. Sacerdotibus qui non alterutra ex his viis usi sunt, Ordinarius Ruthenus non solum iurisdictionem dare nequit sed ne celebrationem missae quidem vel alterius cuiuscunque muneris exercitium permittere potest.

Praeter hanc admissionis condicionem aliae praescribuntur, inter quas maximi momenti ea est, quod sacerdotes qui in Status Foederatos proficisci ibique commorari cupiunt, *caelibes* esse debent. Licet enim ex communi Orientalium iure permittatur sacerdotibus manere in matrimonio ante ordinationem subdiaconatus contracto, Ordinarii Statuum Foederatorum conquerebantur quod et catholici et acatholici ex matrimonio sacerdotum scandalum paterentur Idcirco saepius iam a S. Congregatione praescriptum est, ut in America tantummodo sacerdotes caelibem vitam agentes admitterentur. Verum cum in decreto « Cum Episcopo » huius praecepti mentio non inveniretur, nonnulli dubitarunt an valere continuaret. Iam vero decretum « Cum data fuerit » caelibatus praescriptum iterum repetit. Caelibes autem hic intellegi videntur sacerdotes, qui aut numquam matrimonium duxerunt, aut vidui sunt absque liberis; ita conicere licet ex constitutione « Ea

semper » Caput II art. 12. (cf. etiam decreta *S. C. de Propag. Fide* pro aliis partibus Americae datis). Quamvis autem directe de sacerdotibus ab extero venientibus sermo sit, manifestum est, idem praeceptum tenere sacerdotes quoque ex ipsis Statibus Foederatis oriundos. Ceteroquin haud parvus numerus exsistit sacerdotum qui matrimonio iuncti sunt; nam cum numerus sacerdotum ob fidelium necessitates spirituales necessitates requisitus multo excedat numerum sacerdotum caelibum, legis severitas dispensatione relaxari debet.

Sacerdotes vero qui modo supra indicato in Status Foederatos pergunt, *incardinati* manent dioecesi originis, nisi secundum normas iuris in alterutram dioecesim Americanam incardinentur. Nihilo minus tales sacerdotes plene et exclusive subsunt iurisdictioni Ordinarii Statuum Foederatorum, ita ut Ordinarius originis illos ne revocare quidem possit, nisi Ordinarius americanus in scriptis consensum dederit. Peculiaris haec dispositio explicatur ex necessitatibus in quibus Ecclesia ruthena Statuum Foederatorum versatur.

Omnes rectores paroeciarum et missionum *amovibiles* sunt ad nutum Ordinarii et amoveri possunt ex causis gravibus et iustis, cum facultate recurrendi in devolutivo ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali - et non iam ad Delegalum Apostolicum, ut antea.

Cum in Statibus Foederatis beneficia fundata existere non soleant, providetur *sustentationi* cleri eo quod Ordinarius aequa proportione, servata ex omnibus Ecclesiae proventibus certam partem sacerdotibus assignet.

In locis ubi fideles rutheni, non vero sacerdotes rutheni exsistunt, Ordinarius Ruthenus poterat secundum decretum « Cum Episcopo » *communicare facultates* suas cum *sacerdote latino*. Id nunc praecipitur,

certiore facto Ordinario latino. Suprema enim lex salus animarum.

In decreto nostro sermo non fit *potestatis sacerdotum sacramentum confirmationis* vel s. chrismatis administrandi. Notum enim est sacerdotibus orientalibus ex iure communi orientali facultatem fieri hoc sacramentum, saltem in actu baptismatis conferendi. Apostolica Sedes hanc sacerdotum orientalium potestatem generatim recognovit, interdum pro certis regionibus revocavit. Sic in constitutione « Ea semper » sacerdotibus ruthenis penitus interdixit, ne sacramentum consignationis administrarent, et statuit eos invalide agere qui non obstante hac prohibitione id facere, auderent. Sed cum in decreto « Cum Episcopo » haec interdictio non iam inveniretur, dubitari coeptum est an valere pergeret. Et re vera, quia in illo decreto quasi collectio habetur omnium ordinationum, quae ad Ruthenos Statuum Foederatorum spectant, exspectandum erat, quod illa interdictio memorata esset, si valere continuasset. Accedit quod restrictio potestatis sacerdotum orientalium a Sancta Sede pro illis tantum Orientalibus statui solebat qui sub Ordinariis latinis vivebant. Hierarchia autem propria stabilita, sacerdotes rutheni sub normas iuris communis orientalis redire censendi erant. Id plenam certitudinem accipit ex testimonio Rev.mi Domini BOHACHEVSKY, Ordinarii Ruthenorum ex Galicia oriundorum, qui testatur S. Sedem, petente clero rutheno Statuum Foederatorum, explicite legem constitutione « Ea semper » latam revocasse. (cf. DUSKIE p. 95). Propterea hodie sacerdotes rutheni Statuum Foederatorum secundum normas iuris canonici orientalis sacramentum s. chrismatis conferre valent.

In articulis 20 - 26 non nullae ordinationes continentur, quae *sanctitati vitae sacerdotalis et acquisitioni scientiae* ad altum sacerdotis munus necessariae providere student. Haec pro latinis iam Codice Iuris Can.

introducta erant, ut exercitia spiritualia certis temporibus facienda, collationes sacerdotales, examina triennalia etc., sed nunc ad Ruthenos Statuum Foederatorum extenduntur, cum ea quae in his articulis statuuntur, omnibus clericis sine ritus distinctione conveniant.

Ad Caput III: *De fidelibus graeco-ruthenis.*

Ex disciplina, quae ab aliquibus saltem saeculis in Ecclesia viget, *unusquisque catholicus certo ritui ita adscriptus est*, ut eum propria auctoritate mutare non valeat, sed debeat praecepta eius fideliter exsequi.

Sed haec inter diversos ritus separatio ob rituum puritatis conservationem introducta, non est absoluta ; admittitur sub certis condicionibus vel transitus ad alium ritum vel etiam ut quis proprio ritui adscriptus manens in aliquibus alienum ritum sequatur.

Permissio transitus ad alium ritum secundum ius hodiernum in genere et omissa condicione speciali mulieris et prolis, de quibus postea, reservatur Apostolicae Sedi (CIC can. 98 § 3). Ex decreto vero « Nemini licere » (6 decembris 1928), eum iustis exsistentibus causis Delegatus Apostolicus fidelibus, non vero sacerdotibus concedere potest. Repetuntur in decreto nostro prohibitiones monentes sacerdotes ne fideles ab uno ritu ad alium trahere conentur, non vero poenae contra transgressores huius prohibitionis antea stabilitae, quia per promulgationem CIC abrogatae sunt.

Quod autem fideles obligantur proprium ritum observare et praesertim sacramenta in proprio ritu suscipere, id nostris temporibus mitigatur vel ob necessitatem, ob quam quis v. g. deficiente sacerdote proprii ritus sacramenta in eo suscipere non valet; vel ob concessionem generalem Ecclesiae, quae con-

scientiae libertati et fidelium devotioni quam maxime consulere studet.

Hae concessiones vero pro diversitate sacramentorum et praescriptorum variant.

In sacramento *Poenitentiae* S. Sedes semper propugnavit libertatem confitendi peccata apud quemlibet sacerdotem ab Ordinario suo approbatum, cuiuscumque ritus ille fuerit, atque omnibus conatibus hanc libertatem restringendi fortiter restitit (cf. *Collectanea S. Congr. de Propaganda Fide* n. 839). Eadem libertas in decreto, utriusque ritus fidelibus vindicatur.

Non eadem ratio habetur in *peccatis reservatis*, quae propterea ab potestate confessariorum inferiorum extrahuntur, quod speratur fore ut maiore absolutionis difficultate maior peccati frequentia impediatur. Ne igitur fideles apud confessarium alterius ritus nimis facilem horum peccatorum remissionis viam habeant, statuitur, ut sacerdotes unius ritus ab censuris et peccatis reservatis Ordinario alterius ritus absolvere non possint.

Explicationi huius reservationis vero paululum immorari debemus. Cum enim reservatio sit avocatio casus ad tribunal Superioris seu limitatio iurisdictionis a Superiore facta, Ordinarii vero Superiores cleri alterius ritus non exsistant, sequitur hanc reservationem immediate fieri ab suprema auctoritate Ecclesiae, seu iurisdictionem sacerdotum unius ritus in certum casum, reservatione facta Ordinarii alterius ritus, ab auctore supremo iurisdictionis ligari. Ex hoc vero colligitur iurisdictionem confessariorum eatenus tantum ligari quatenus id hoc nostro decreto statuitur, neque esse in arbitrio et potestate Ordinariorum positum quod limites huius reservationis extendant. Quocirca: 1. non impediuntur ipsi Ordinarii quominus a peccatis et censuris alteri Ordinario reservatis absolvant.

2. extra territorium Ordinarii latini reservantis

sacerdotes rutheni subditos quoque illius Ordinarii absolvere possunt, v. g. subditos archiepiscopi Philadelphiae in archidioecesi Baltimoriensi a peccatis ab archiepiscopo Philadelphiae reservatis. E contra confessarii latini nullibi, in territorio Statuum Foederatorum, absolvere possunt (a casibus Ordinariis ruthenis reservatis), quia iurisdictio istorum ad totum Statum Foederatorum territorium se extendit.

3. Reservatio haec extenditur tantum ad sacerdotes unius ritus qui audiunt confessiones fidelium alterius, non vero ad sacerdotes qui audiunt fideles proprii ritus, licet alteri Ordinario subditos. Propterea sacerdotes rutheni fideles sive ruthenos sive latinos a casibus qui alteri Ordinario rutheno reservati sunt, absolvere possunt.

In receptione *SS.mae Eucharistiae* anterioribus temporibus non eadem libertas concedebatur quam in sacramento Poenitentiae. Per multum tempus, s. communio in ritu alieno in casu necessitatis tantum permittebatur. Sed praesertim per constitutionem Pii X « Tradita ab antiquis » haec severitas mitigata est, et permissum, ut fideles ex devotione quoque s. communionem in ritu a proprio diverso susciperent. Idem retinetur in CIC et in decreto nostro. In constitutione supra nominata excipiebatur a concessione generali communio paschalis, quae proprio ritu suscipienda erat. Sed ne haec quidem restrictio perduravit.

In can. 866 § 2 CIC suadetur tantum, ut in suo quisque ritu communionem paschalem recipiat; et quamvis in litteris a *S. Congregatione pro Ecclesia Orientali* ad Delegatum Apostolicum Aegypti datis (A. 1924) responsum sit, in partibus Orientis fideles ad receptionem communionis paschalis in proprio ritu obligari, paulo post, anno 1926, quaestione iterum considerata, hoc iudicium reformatum et in litteris ad eundem Delegatum pro libertate responsum est.

Hodie unum excipitur *s. Viaticum*, quod ritu proprio et a proprio parocho accipiendum est, excepto casu necessitatis, in quo sacerdos cuiuslibet ritus illud administrabit, tamen proprium ritum observabit in administratione. Idem praecipitur casu in quo SS.ma Eucharistia in materia alieni ritus administrari deberet, ut in regionibus mixti ritus haud difficulter evenire poterit.

Celebratio funerum ac *emolumentorum perceptio* in familiis mixti ritus pertinet non ad parochum istius ritus, ad quem caput familiae, sed illius ritus ad quem defunctus pertinet. Haec dispositio valde rationi consentanea est, in praxi vero difficultatibus non semper carebit. Quid v. g. de uxore quae per totam vitam coniugalem festa, ieiunia secundum ritum mariti observavit, s. communionem et absolutionem in hoc ritu accepit etc.? Omnia haec indicia esse possunt eam ad ritum mariti pertransisse; altera ex parte ex observatione quantumvis diuturna festorum, etc. mutatio ritus non habetur. Quia autem mutatio ritus est factum iuridicum, quod probari debet, dicendum est, per se certa argumenta asportari debere, ex quibus efficiatur mulierem his observationibus ad alium ritum transire voluisse. Quodsi non afferuntur, funus ad parochum ritus nativi pertinet, si afferuntur, ad parochum ritus mariti.

Post praescriptiones, quae omnibus regionibus mixti ritus conveniunt, sequuntur aliquae in quibus specialis Ecclesiae Ruthenae in Statibus Foederatis respectus habetur.

Quia enim Rutheni ibidem inter latinos dispersi vivunt, magnam difficultatem saepe habebunt *observandi festa et ieiunia* proprii ritus. Propterea in art. 36 iis facultas fit conformandi se in his Latinis, quin ideo ritus mutatio inducatur. Id quod praemittitur « Ad vitanda gravia incommoda », ex constructione gram-

maticali apparet esse motivum legislatoris, non vero condicionem sub qua hac facultate uti licet. Idcirco contra praeceptum ecclesiasticum non peccarent conformando se Latinis, quamvis in casu particulari gravia incommoda non haberentur (ex observatione festorum et ieiuniorum proprii ritus): lex enim respicit ea quae communiter contingunt.

Ad alia vero praecepta Ecclesiae quod attinet, ponitur primo principium quo obligantur missam audire et sacramenta recipere in alieno ritu in locis in quibus praeceptis ecclesiasticis in proprio ritu satisfacere non valent. Obligatio enim satisfaciendi praecepto obligationi observationis ritus praevalet. In locis autem ubi exsistit ecclesia proprii ritus, ad satisfaciendum praecepto ecclesiastico, in ea *s. liturgiae assistere* deberit.

Ad haec notanda sunt: 1) Ex iure communi orientali non plene constare de obligatione assistendi liturgiae diebus dominicis et festis. Licet enim in iure quoque orientali festorum sanctificatio postuletur, accuratior huius obligationis determinatio tota fere consuetudini relicta erat atque certa eiusdem delimitatio magnis difficultatibus circumdatur. (cf. quae scripsit de hac quaestione P. C. Korolevskii in *Stoudion* 1928 p. 110 ss.).

In textu decreti nostri ea fere repetuntur, quae iam statuta erant in decreto « Cum Episcopo » et in constitutione « Ea semper ». In omnibus his decretis exsistentia obligationis supponitur potius quam de novo statuitur. Pro Ruthenis Galiciae haec obligatio definita est in concilio Leopolitano anno 1891 *(Acta et Decreta synodi provincialis Ruthenorum habitae Leopoli* a. 1891 tit. IV caput VI n. 2 et 3); sed vis huius legis ad territorium Galiciae limitatur. Nihilo minus, quatenus scio, apud Ruthenos generatim ex

consuetudine obligatio assistendi liturgiae diebus dominicis et festis introducta est.

2) Stabilita igitur illa obligatione, iniungitur, ut Rutheni liturgiae assistant in ecclesiis proprii ritus, in locis ubi exsistant, idque hac ratione, ut alias praecepto ecclesiatico non satis faciant. Hoc praescriptum valde peculiare est et in iure communi non habetur. Inter quaestiones ab Delegato Apostolico Aleppi propositas et ab *S. C. de Propaganda Fide* die 12 decembris anni 1838 absolutas 14 haec erat: « Utrum necesse sit ad satisfaciendum Ecclesiae praecepto de audienda missa diebus Domini ac festis, ut unusquisque missam audiat in proprio ritu; an sufficiat audire missam?

« Responsum est: ad 14 negative ad primam partem; affirmative ad secundam ».

Atque haec nunc ubique observantur.

Pro Ruthenis vero Statuum Foederatorum iam in constitutione « Ea semper » edicebatur eos teneri interesse s. liturgiae in ecclesiis proprii ritus, si in loco exsistant. Haec autem ab Apostolica Sede ordinata sunt, ne ob nimiam facilitatem assistendi missae in ecclesiis latinis, Rutheni ad has defluant, relictis ecclesiis proprii ritus. Non autem requiritur ad satisfaciendum praecepto ecclesiastico, ut ecclesia, in qua assistant, sit subiecta proprio Ordinario, sed sufficit ut sit subiecta alterutri ex episcopis ruthenis. Pro Latinis vero non idem praeceptum exsistit, cum pro illis non eaedem rationes habeantur.

3) Praeceptum hoc habetur « quoad missam audiendam diebus festis in utroque ritu in eandem diem incidentibus ». Quid vero de diebus festis, qui apud solos Ruthenos celebrantur? Per se dicendum esset illos hisce diebus a fortiori in propriis ecclesiis praecepto ecclesiastico satisfacere debere; sed cum hanc obligationem effugere valeant conformando se in cele-

bratione festorum latinis, ut iis ex indulto supra commemorato licebit, propterea hoc praeceptum urgeri non videtur.

In fine huius capitis ponuntur sub vigilantia Ordinarii tum fidelium associationes tum diaria, folia et libelli catholica. Associationes autem intelliguntur illae, ut patet, cuius finis aliquo modo respectum religiosum vel moralem habeat, non habentes v. g. scopum merae innocuae recreationis.

Ad Caput IV: *De matrimoniis inter fideles mixti ritus.*

Matrimonio inter fideles mixti ritus inito reservatur caput distinctum propter multiplices quaestiones quae ex eo oriuntur.

Sed cum regulae quae in nostro decreto traduntur, in omnibus fere convenient cum normis a Codice Iuris Can. statutis, nos omnia haec missa facimus atque ea tantum breviter attingemus, quae specialem aliquam mentionem merentur.

Orientales in genere forma matrimonii a Codice Iuris Canonici statuti non attinguntur, praeterquam in ordinationibus particularibus in quibus explicite vel implicite nominantur. Sed ne *forma decreti* « *Ne temere* » quidem obligabantur, ut apparet ex responso *S. Congreg. Concilii* 28 martii 1908. Ad instantiam vero episcoporum ruthenorum, extensum est ad Galiciam anno 1911; ad Ruthenos Statuum Foederatorum extensum est anno 1914 per decretum « Cum Episcopo ». Propterea Rutheni Statuum Foederatorum ligantur forma decreti « Ne temere », ubicumque terrarum contrahant, sive inter se, sive cum Latinis sive cum Orientalibus alius ritus.

Inter alia autem in hoc decreto simpliciter decernebatur, in quolibet casu pro regula habendum esse ut matrimonium coram *parocho sponsae* celebraretur;

quod repetitum est in decreto « Cum Episcopo ». Hanc dispositionem immutavit CIC, qui statuit matrimonia mixti ritus celebranda esse in ritu mariti et coram eius parocho, sed cum adderet « Nisi aliud particulari iure cautum sit », propterea dispositiones anteriores pro Ruthenis Statuum Foederatorum intactae manserunt atque hac ratione etiam in decreto « Cum data fuerit » repetuntur.

In illis, quae decretum nostrum *de ritu prolis* statuit repetuntur normae iuris communis. Propterea illa exceptio non recepta est, quae viget in Galicia, ubi per « Concordiam » anno 1863 inter episcopos ruthenos et episcopos latinos initam, stabiliebatur, ut proles sequeretur ritum respectivi parentis, filii ritum patris, filiae vero ritum matris. Licet autem CIC tamquam normam universalem determinaverit ut proles ritum patris sequeretur, ex litteris *S. Congreg. pro Ecclesia Orientali* constat pro partibus Galiciae Concordiam etiam hodie valere, ideoque eius praescriptiones pro his partibus non esse abolitas. Sed cum de re valde peculiari agatur, quae ob circumstantias peculiares statuta est, in nulla dioecesi Americana recepta sunt; sed ibi observantur normae iuris communis.

His igitur sapientibus dispositionibus S. Congregatio pro Ecclesia Orientali novam et certam iuris Ecclesiae Ruthenae Statuum Foederatorum collectionem confecit eamque ultimis decisionibus coaptatam. Nullum dubium quin ea valide adiutura sit ad Ecclesiae Ruthenae felix augmentum et prosperitatem.

P. AEMILIUS HERMAN S. I.

35. — Sup. S. Cong. S. Officii.

Decretum 27 iul. 1929.

LIBRI PRAEDAMNATI IMPERATA IN INDICEM INSERTIO
(A. A. S., 3 aug. 1929, XXI, 489)

Feria IV, die 3 Iunii 1929.

Dies declarationis (3 iun. 1929).

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, E.mi ac R.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, praedamnatum esse declararunt, iuxta can. 1399, 2, 3, 4, et in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt, tum in originali lingua dana, tum in versione germanica, opus, cui titulus:

Opus proscriptum.

DITLEF NIELSEN. *Den historiske Jesus.* Forlagt af H. Aschehoug et Co. Kobenhavn, 1924.

DITLEF NIELSEN. *Der geschichtliche Jesus.* Deutsche Bearbeitung von HILDEBRECHT HOMMEL nach dem erweiterten dänischen Original. Meyer und Jessen Verlag, München.

Approbatio SS. (4 iun. 1929).

Et insequenti Feria V, die 4 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in solita audientia R. P. Adsessori S. Officii concessa, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies decreti (27 iul. 1929)

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, 27 Iulii 1929.

A. SUBRIZI, *Supremae S. C. S. Officii, Notarius.*

---

36. — S. C S. Officii

Responsio 2 aug. 1929.

DE DIRECTE PROCURATA MASTURBATIONE
(A. A. S. 3, aug. 1929, XXI, 490)

Dubium.

Huic Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii proposito dubio: « Utrum licita sit masturbatio directe procurata ut obtineatur sperma, quo contagiosus morbus, *blenoraggia* scientifice detegatur et quantum fieri potest curetur »

Responsio. E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales Inquisitores generales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. PP. Consultorum voto, feria IV, die 24 Iulii 1929, respondendum esse censuerunt: *Negative.*

Approbatio SS. Et in sequenti feria VI, die 26 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit et publicandam iussit.

Dies (2 aug. 1929). Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 2 Augusti 1929.

A. Subrizi, *Supremae S. C. S. O. Subst. Notarius.*

Annotationes.

I. Dubii occasio haec fuisse videtur. Solent hodie medici, ob plures fines, potissimum vero ad explorandam potentiam generandi et ad detegenda microbia luis venereae, copiam sibi quaerere microscopicae analysis spermatis humani.

Modus quem in hunc finem optimum et commodissimum praedicant is est, ut ex immediate facta pollutione sperma colligatur. Tunc servatur calor sufficiens, et ceterae condiciones prudentis et completi examinis facile praesto sunt. Quocirca non semel interrogati sumus, utrum necne, exclusa omni fruitionis intentione, excluso omni consensu in subortam delectationem, catholicis medicis imitari liceret collegas qui sine scrupulo directum seminis profluvium excitant.

II. Ut per se liquet, solutio repetenda est ex minus recenti quaestione malitiae pollutionis intentae seu directe adductae. Estne masturbatio *intrinsece* ac proin in omni casu, an tantum *per se* ac proin salva gravi necessitate, mala?

III. De hac re consulamus auctores.

« Docent omnes nullo casu licitum esse intendere vel procurare directe mollitiem, ne causa quidem sanitatis ac vitandae alias certae mortis ». His verbis

celeber BUSEMBAUM exhibet sententias doctorum sui aevi. (De sexto et nono Praec. dub. IV.).

« Quaestio est an cum pro conservanda vita sit necessaria eiectio seminis seu pollutio, haec liceat. Negat SANCHEZ (*De matr.* L. 9, d. 17, n. 16) et ait: « Conclusio ab omnibus admittitur ». Ita PALMIERI, *Opus theol.*, II, n. 1035.

Non nulli antiqui permittebant ut *per medicamenta* expelleretur semen corruptum; id permittebat etiam S. ALPHONSUS, L. III, n. 478, dummodo semen certo corruptum sit, expulsio fieri possit sine sensu libidinis, non sit aliud remedium. Ipse tamen subiungit: « Numquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, etiamsi absit periculum consensus ».

SPORER autem, *Theol. sacr.* Parte 4, c. 3, n. 643, postquam cum aliis docuit: « Licere (semen corruptum et graviter nocivum) sic expellere medicamentis, non vero licere tactibus vel confricatione verendorum » addit hanc restrictionem: « Hoc non licet saltem in homine rationis compote; quod addo, ut excludam casum rarissimum quo semen corruptum actu causaret symptomata a mente alienantia hominem vel mulierem ».

TAMBURINI, *Dec.* L. 7, c. 7, § 2, aliquid simile habere videtur, cum neget umquam verum semen eici posse, posse tamen « corruptum, praesente alienatione sensuum ».

REIFFENSTUEL, *Theol. mor.* tr. 9, Dist. 4, q. 5, n. 47 concedit semen corruptum aliquando expelli posse, sed id minime permittit « eo actu et impetu quem natura fecit illi proprium, neque hoc fine a medicis pharmacum praescribi ».

Inde S. ALPHONSUS, L. 3, tr. 4, c. 2: « Nullo modo tamen permittenda est confricatio, quia haec tendit de se ad commovendos spiritus carnales et

semen verum expellendum, quod numquam est licitum ».

Attendenda etiam sunt verba quibus SANCHEZ, *In Dec.* L. 5, c. 6, priorem suam sententiam revocat: « Quamvis L. 9 *De matr.*, d. 17, n. 19 dixerim licere iuvare naturam confricationibus ad expellendam qualitatem morbidam in quam semen iam corruptum transiit... at tenendum est non licere ».

Loci SPORER ET TAMBURINI supra allegati fortasse causa sunt istius sententiae singularis ALBERTI (*De sexto et nono praecepto*, etc.) n. 57 fine. Existimans cum ESBACH rationem cur masturbatio semper iudicetur mala esse ipsam venereum delectationem, ut sic, ipse subiungit: « Ex quibus mihi arguere liceat, quod si ergo sensus libidinis et periculum in ipsum consentiendi removeantur, puta inducendo in patientem somnum artificialem, licita evadat manusturbatio in praefato casu (ad vitam servandam).

Verum cum LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, 1039 dicendum est: « Pollutione... directe seu in se voluntaria qualibet, contrahitur peccatum mortale ». Ita etiam PRUEMMER, O. P.: « pollutio voluntaria est peccatum mortale ex toto genere suo » (II, n. 705).

Excusatio masturbationis procuratae per somnum nullatenus admitti potest. Prima enim et proxima radix malitiae non est ponenda in delectatione (quae naturam sequitur actionis [1]), sed *in actu* facultatis venereae contra naturam. Quod nemo extra matrimonium neque in propria persona neque in alia directe adducere potest. Quid, quod ipse ALBERTI, initio, n. 56, pronuntiat eum qui manusturbet alium inconscium, peccare contra castitatem perinde ac si se ipse manustarbaret; peccare praeterea ratione pollutionis vel distillationis quae in alio e masturbatione sequatur.

(1) Ut ipse docet ESBACH, in *Disp. suis physiol.*

III. Cum autem Sup. S. C. S. Officii, responso suo gravissimam excusationem reiciat, ipsa sic sententiam quae intrinsecam malitiam masturbationis tuetur, sua auctoritate confirmat.

Alia igitur honestiore via, medicis non ignota, unde voluntaria pollutio absit, exploratio, si eam fieri oporteat, facienda est.

---

37. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

Instructio « In processibus », 27 mart. 1927

NORMAE AD PRAECAVENDAM DOLOSAM PERSONARUM SUBSTITUTIONEM.

(A. A. S., 3 aug. 1929, XXI, 490)

Periculum fraudis arcendum.

In processibus conficiendis super matrimonio rato et non consummato aliquando malo fato evenire potest, quod quis coram tribunali ad deponendum, aut ad se subiiciendum peritorum examini physicorum sistens, alteram personam in ius vocatam, aut quomodolibet in processu partem habentem, dolo substituat. Praesertim in magnis urbibus, ob tam facilem et frequentem de uno in alium locum transmigrationem, hoc facinus est praecavendum.

Haec Sacra Congregatio proinde, de sanctitate tanti Sacramenti sollicita, et ne iudicialis inquisitio ad fraudes potius texendas quam ad veritatem dignoscendam inserviat, in huiusmodi processibus has normas servandas esse decrevit.

Per authenticum documentum, si haberi potest,

1. § 1. Officiales huiusmodi causis instruendis praepositi in processus instructione de identitate personarum, quae in tribunali sistunt, et in primis oratoris partisque conventae, di-

ligenter inquirant; et ad hoc expostulent appositum documentum a potestate ecclesiastica aut civili rite confectum, in originali aut in authentico exemplari in actis asservandum.

§ 2. Authenticum exemplar, si singulas personarum notas in huiusmodi documentis signari solitas referre non valeat, ut puta imaginem arte photographica expressam, eas tamen sedulo referat, quae unam personam ab alia non aequivoce distinguant.

vel aequipollentes probationes identitas personarum in tuto ponatur.

§ 3. Quod si huiusmodi documentum haberi non possit, per alia aequipollentia documenta, vel per testes, in tuto ponatur personarum identitas: et huiusmodi documenta aut attestationes in actis pariter serventur.

Casus exceptus.

§ 4. Si vero iudex instructor aut vinculi defensor aut actuarius probe noscant oratorem seu oratricem aut partem conventam, praetermisso apposito documento identitatis, de certa qua pollent notitia ipsorum in actis fidem faciant.

Idem de testibus et peritis curandum.

2. In iudiciali continuanda inquisitione eaedem cautelae serventur quoad testium personas et peritorum quoque, seu obstetricum.

Maior sollicitudo, cum ex Commissione rogatoria agitur.

3. Huiusmodi cautelas studiosius, prouti qualitas personarum expostulat, observare oportet, quoties aut orator, aut pars conventa, aut testes aut periti ex commissione rogatoria apud aliam Curiam excutiendi sint.

Documenta per se tradenda peritis vel obstetricibus.

4. § 1. Quoties orator vel pars conventa physicum experimentum subire debeat, documenta de personae identitate iam in actis asservata, aut eorum exemplaria dentur peritis aut obstetricibus, ut ipsis bene explorata sit persona examini subiicienda.

§ 2. Quoties periti, obstetrices aut matrona, respective, quodam in examine partem habentes, personam explorandam personaliter cognoscant, adeo ut sit supervacaneum praefata documenta transmittere, de hac circumstantia in actis fides fiat.

Citetur persona quae examini subicitur.

§ 3. Peracto examine, dum peritis aut obstetricibus consueta interrogatoria fiunt, ad comparendum coram tribunali citetur etiam persona examini subiecta, ut de personae identitate interrogationes ei appositae fiant.

Quid si nolit aut nequeat comparere.

§ 4. Quod si persona comparere nolit aut non possit, de identitate ipsius experimento submissae aeque fiant interrogationes, habita ratione tum peritorum relationis, tum documentorum, quae ad hunc finem transmissa fuere, ut dictum est in § 1.

Severius servandae cautelae, sie mandato rogatorio procedatur.

5. Huiusmodi cautelae severius, prout casus feret, erunt observandae, si experimentum habeatur apud aliam Curiam ex mandato rogatorio.

Quid si dolo-

6. Fieri potest quod nonnullis omissis cautelis, vel iisdem

non rite observatis, aut non satis proficientibus, substitutio personae dolosa accidat et delegatur, idque contigat:

1° processu adhuc durante;

2° clauso processu sed nondum Romam transmisso;

3° processu iam Romam transmisso.

sa substitutio acciderit:

1° — § 1. Processu adhuc durante, iudex inquirat an orator seu oratrix aut pars conventa substitutionem procuraverit; et si hanc pars oratrix comparaverit, et conventa non se opponat, audito vinculi defensore, decernat partem oratricem iure decidisse instantiam ulterius producendi, et hoc apposito decreto declaret, in actis asservando.

1. Processu durante, pro varia culpanda persona.

§ 2. Si pars conventa se opponat, iudex, aeque audito vinculi defensore, statuat utrum et quibus adhibitis diligentiis sit ulterius procedendum.

§ 3. Quod si pars conventa sibi comparaverit dolosam substitutionem, iudex, audito oratore seu oratrice et vinculi defensore, edicat quid in casu praestandum sit ad fraudis effectus penitus removendos, et factorum veritatem stabiliendam attentis omnibus casus circumstantiis.

§ 4. Si pars oratrix et conventa in dolosam substitutionem conspiraverint, processualem inquisitionem haud ulterius procedere posse declaret et decernat iudex, eidemque finem imponat.

§ 5. Parti oratrici, quae facti poenitens se excuset, et novis adductis argumentis petat ad ulteriora procedi, iudex instructor, re collata cum defensore vinculi, habita ratione praecipue novarum deductionum, et alterius fraudis omni excluso periculo. poterit annuere, decernendo ulteriorem instructionis prosecutionem.

§ 6. Si substitutio dolo facta sit non a parte oratrice aut conventa, sed ab alia persona, iudex statuat, accedente defensoris vinculi consilio, quomodo fraudis effectibus consuli possit, ne veritas aliarum attestationum, aut totus processus labefactetur.

2° — § 1. Detecta dolosa substitutione, et clauso iam processu, at Romam nondum transmisso, Ordinarius, audito iudice instructore et defensore vinculi, statuat utrum ex dolosa substitutione sua vi destituatur integer processus, aut tantum ex quadam parte; et utrum expediat per actorum supplementum occurrere dolosae substitutionis vitio.

2. Processu clauso sed nondum transmisso.

§ 2. Casu quo dolosa substitutio acciderit ad impetendam oratoris aut oratricis intentionem, adeo ut eamdem magis confirmari praesumi liceat, Ordinarius in transmittendis actis Romam, rem distincte explicet et declaret.

§ 3. At non semel expediens erit, servatis servandis, ut acta processus ulterius compleantur, ad facta clarius explicanda.

3. Processu transmisso.

3° Quoties detegatur dolosa substitutio, processu iam Romam transmisso, Ordinarius satagat illico ad hanc Sacram Congregationem transmittere suas animadversiones, audito iudice instructore et vinculi defensore, referens singulas circumstantias facti, et praesumptam causam fraudis et occasionem.

Canones prae oculis habendi.

7. Ad compescendum huiusmodi facinus, iudices instructores et Ordinarii prae oculis habeant praescripta canonum 1743 § 3°, 1755 § 3° et 2362 eaque applicent, congrua congruis referentes.

Mens S. Congregationis.

In his edendis normis, mens est huic Sacrae Congregationi, ut hae censeantur quid unum efficere cum Regulis editis die 7 Maii 1923; quae iam uberes fructus attulerunt in processuum instructione super matrimonio rato et non consummato, atque maiores in posterum allaturas esse sperare fas est, si istae exactius in usum forensem traducantur et intimius perspiciatur earumdem intentio, quae plurimum in partium ac testium bona fide fundatur; haec autem asseritur et confirmatur per iusiurandum, quo in praestando, maxime partes exploratum et sibi firme persuasum habere debent, tantummodo veritati obsequendum esse, ne animabus suis, et forte filiis, malum paene irreparabile inferant. Hoc sedulo iudex explicare et inculcare numquam praetermittat.

Probatas in plenario coetu normas SS. approbat publici iuris faciendas.

Cum porro E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum praepositi, praefatas normas maturo examini subiecissent, in plenariis Comitiis diei 23 martii c. a. easdem probarunt et publici iuris fieri, si ita SS.mo placuerit. rescripserunt. SS.mus autem D. N. Pius Papa XI, in Audientia die 27 Martii 1929 habita ab infrascripto Secretario S. C., haec omnia adprobare et confirmare dignatus est.

Dies (27 mart. 1929).

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Martii 1929.

† M. Card. Lega, Episcopus Tusculanus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

D. Iorio, *Secretarius.*

Annotationes

I. Etsi partes quae a Summo Pontifice dispensationem in matrimonio rato et non consummato obtinuerunt, a S. Congregatione moneri consueverint gratiam

istam frustraneam fore si eandem dolose extorserint vel matrimonium re vera fuerit consummatum, sunt tamen oratores ita animo comparati ut, plus de hominum opinione quam de divino iudicio solliciti, nuptias in forno externo seu specie tenus legitimas sibi per fas et nefas procurare parati sint.

Neque haec est sola causa fraudis. Accidit etiam ut alterutra pars alteri malitiose obstare velit ne merito concupitam libertatem assequatur.

Aptum porro medium est substitutio personae, ut si virgo examinetur pro muliere deflorata, vel vir potens et normalis pro impotenti seu abnormali.

II. Casus autem huiusmodi re vera accidisse, satis constat ex ipsa praesenti Instructione, cum S. Congregatio non soleat aerem verberare vel chimaeris consulere.

Instructio porro in binas partes commode dividitur, quarum altera cautelas praescribit, altera quid, detecta substitutione agendum sit, decernat.

In fine autem Instructionis, accurata inculcatur observatio regularum quae 7 maii 1923 (1) editae sunt et quae praesentibus normis complentur ita ut quid unum efficiant; ac monetur iudex ut partes de gravitate causae quae agitur probe doceat.

III. *De cautelis adhibendis.* Huc ad summam redeunt cautelae, ut per optima media, in primis per documenta authentica, constet de identitate tum partium, tum testium et peritorum. Ut haec, inquam, constet Officialibus et praeterea ipsis peritis seu obstetrici; ac maiore etiam cura identitas exploretur, si ex commissione rogatoria apud aliam Curiam agendum sit.

Quia tamen inutilia facienda non sunt, documenta non sunt quaerenda, si in ipsis actis iudex Instructor, aut vinculi defensor aut auctuarius fidem faciant de personis sibi probe notis.

(1) Cfr. *Acta Ap. Sedis*, XV, 389 ss. vel *Periodica*, XII, 104 ss.

Praeterea, ubi experimentum physicum factum sit, praecipit S. Congregatio ut, praeter peritos et obstetrices, etiam examinata persona citetur, ut de eius identitate apposite interrogetur.

Quae interrogationes ne tunc quidem omittendae sunt, si pars examinata comparere nolit aut non possit.

IV. *De facta dolosa personae substitutione.* Quae agenda sint variant pro *momento* quo res detecta sit et pro *auctore* delicti.

I. *Re detecta ante clausum processum.*

a) Si reus fuerit orator vel oratrix, iudex, audito vinculi defensore, per se, decreto in actis referendo, decernat partem oratricem iure decidisse pergendi in instantia sua.

Si tamen pars conventa huic decreto se opponat, iudex, audito vinculi defensore, statuat quid fieri oporteat.

b) Si rea fuerit pars conventa, iudex, audita parte oratrice et vinculi defensore, fraudis effectus penitus removere et veritatem stabilire conetur.

c) Si ambae partes in dolosam substitutionem conspiraverint, iudex processuali inquisitioni finem imponat. Parti tamen oratrici paenitenti et nova argumenta adducenti annuere poterit.

d) Si rea fuerit alia persona, iudex, accedente defensoris vinculi consilio, incolumitati processus prospiciat.

2. *Re detecta clauso quidem processu sed nondum Romam misso.* Tunc *Ordinarius*, audito iudice instructore et defensore vinculi, de vi quam processus nihilo minus servet, statuat; et si, quod saepe contingit, id expediat, curabit ut acta compleantur. Ac si casus fuerit, ipse explicet et declaret in transmittendis actis, intentionem partis oratricis magis confirmari substitutione quae ad eam impetendam dolose peracta sit.

3. *Re detecta post transmissum processum*, Ordi-

narius, audito iudice Instructore et vinculi defensore, de re diligenter ad S. Congregationem referat, additis suis adnimadversionibus.

N. B. Observes, cum, clauso processu, iudex partes suas expleverit, iam Ordinario facienda committi quae expediunt.

V. Demum applicatio suadetur poenarum ferendae sententiae quae, ad compescenda huiusmodi delicta sanciuntur canonibus 1743, 3°; 1755, 3°; § 2362.

A. VERMEERSCH S. I.

---

38. — S. Congr. Concilii

Litterae 5 iun. 1929

AD EP. INSULENSEM (1) DE SUBORTO INTER HEROS ET OPIFICES CONFLICTU
(A. A. S., 3 aug 1929, XXI, 494).

A. *Litterarum occasio.*

Ill.me et Rev.me Seigneur. — Cette Sacrée Congrégation du Concile, saisie d'un recours de M. EUGÈNE MATHON, au nom du *Consortium* des Patrons de la région Roubaix-Tourcoing, et priée de donner son jugement sur le conflit qui s'est élevé entre le dit *Consortium* et les syndicats ouvries chrétienrs de la même région, après un attentif et mûr examen de la grave et délicate question, a pris les délibérations suivantes, qu'elle communique à Votre Grandeur, dans l'espoir que, notifiées aux parties intéressées, elles puissent faire cesser le différend et opérer la concentration de toutes les forces des catholiques contre les ennemis de la religion et de l'ordre social.

Ecclesiae competentia Leonis XIII et Pii X declaratione vindicata.

Avant tout, la Sacrée Congrégation juge opportun de rappeler qu'on ne saurait mettre en doute la compétence de l'Église en pareille matière, sous le prétexte qu'il s'agit d'intérêts purement économiques. LÉON XIII proclama cette compétence lorsque, envisageant, dans l'Encyclique *Rerum novarum,* les rapports entre patrons et ouvriers, il déclarait: « C'est avec assurance que Nous abordons ce sujet, et dans toute la plénitude de Notre droit ». De même PIE X, dans l'Encyclique *Singu-*

(1) Ad. R. P. D. LIÉNART.

lari quadam, du 24 Septembre 1912, disait: « La question sociale et les controverses qui s'y rattachent relativement à la nature et à la durée du travail, à la fixation du salaire, à la grève, ne sont pas purement économiques et susceptibles, dès lors, d'être résolues en dehors de l'autorité de l'Église ». Il sera par conséquent utile, et même nécessaire, de rappeler aux parties, dans leurs grandes lignes, les principes de la doctrine sociale catholique et les directives pratiques d'ordre moral, émanées de la suprême Autorité ecclésiastique en vue de régler les organisations et l'activité des syndicats chrétiens.

B. *Quaenam iam statuta fuerint.*

I. *Ius et utilitas syndacatruum herorum et opificum sive separatorum sive mixti generis.*

I. — *L'Église reconnaît et affirme le droit des patrons et des ouvriers de constituer des associations syndicales, soit séparées, soit mixtes, et y voit un moyen efficace pour la solution de la question sociale.*

« Les maîtres et les ouvriers eux-mêmes peuvent singu-
« lièrement aider à la solution, par toutes les œuvres propres
« à soulager efficacement l'indigence et à opérer un rappro-
« chement entre les deux classes.... Mais la première place
« appartient aux corporations ouvrières qui, en soi, embras-
« sent à peu près toutes les œuvres... Aujourd'hui, les géné-
« rations étant plus cultivées, les mœurs plus policées, les
« exigences de la vie quotidienne plus nombreuses, il n'est
« point douteux qu'il ne faille adapter les corporations à la
« condition nouvelle. Aussi est-ce *avec plaisir que Nous voyons*
« *se former partout des sociétés de ce genre, soit composées des*
« *seuls ouvriers, soit mixtes,* réunissant à la fois des ouvriers
« et des patrons ; *il est à désider qu'elles accroissent leur nombre*
« *et l'efficacité de leur action* » (Léon XIII, *Rerum novarum,* 15 Mai 1891).

« Quand il s'agit de se grouper en sociétés, il faut bien
« prendre garde de ne pas tomber dans l'erreur. Et ici Nous
« voulons parler nommément des ouvriers, *qui ont certes le*
« *droit de s'unir en associations afin de pourvoir à leurs inté-*
« *rêts*: *l'Église y consent et la nature ne s'y oppose pas* » (Léon XIII, *Longinqua Oceani,* 6 Janv. 1895).

II. *Immo huiusmodi consociationum moralis necessitas.*

II. — *L'Église, dans l'état actuel des choses, estime moralement nécessaire la constitution de telles associations syndicales.*

« Jamais assurément, à aucune autre époque, on ne vit
« une si grande multiplicité d'associations de tout genre, sur-
« tout d'associations ouvrières. D'où viennent beaucoup d'en-
« tre elles, où elles tendent, par quelle voie, ce n'est pas ici
« le lieu de le rechercher. Mais c'est une opinion confirmée

« par de nombreux indices, qu'elles sont ordinairement gou-
« vernées par des chefs occultes et qu'elles obéissent à un
« mot d'ordre également hostile au nom chrétien et à la sécu-
« rité des nations: qu'après avoir accaparé toutes les entrepri-
« ses, s'il se trouve des ouvriers qui se refusent à entrer dans
« leur sein, elles leur font expier ce refus par la misère. Dans
« cet état de choses, les ouvriers chrétiens n'ont plus qu'à
« choisir entre deux partis: ou s'inscrire dans ces associations
« périlleuses pour la religion, ou en former eux-mêmes d'autres
« et unir ainsi leurs forces afin de pouvoir se soustraire har-
« diment à un joug si injuste et si intolérable. *Qu'il faille op-*
« *ter pour ce dernier parti*, est-il personne, ayant vraiment à
« coeur d'arracher le plus grand bien de l'humanité à un pé-
« ril imminent, qui puisse avoir là-dessus le moindre doute? »
(*Rerum novarum*).

III. — *L'Église exhorte à constituer de telles associations syndicales.*

III. *Hortatio ut constituantur.*

« Nous exhortons en premier lieu à constituer parmi les
« catholiques de ces sociétés qui s'établissent un peu par-
« tout à l'effet de sauvegarder les intérêts sur le terrain social.
« Car ce genre de sociétés est très adapté à nos temps: elles
« permettent à leurs membres d'aviser à la défense de leurs
« intérêts en même temps qu'à la conservation de la foi et de
« la morale » (PIE X, aux Archevêques et Évêques du Brésil,
6 Janvier 1911).

Le même Pontife exhortait le Comte Medolago Albani, par une lettre du 19 Mars 1904, en ces termes: « Continuez donc,
« cher fils, comme vous l'avez fait jusqu'à présent, a promou-
« voir et à diriger, non seulement des institutions de caractère
« purement économique, mais encore d'autres qui leur sont
« apparentées, les Unions professionelles, ouvrières et patrona-
« les, établissant entre elles la bonne entente; les Secrétariats
« du peuple, qui donneront des conseils d'ordre légal et admi-
« nistratif....; les encouragements les plus réconfortants ne vous
« manqueront pas ».

Et aux Directeurs de l'*Union Économique Italienne*, il adressait ces paroles: « Quelles institutions devrez-vous de préfé-
« rence promouvoir dans le sein de votre Union? Votre indus-
« trieuse charité en décidera.

« Quant à Nous, celles qu'on appelle des Syndicats Nous
« semblent très opportunes ».

Benoît XV écrivait, le 7 Mai 1919, au chanoine Murry, d'Autun, par l'intermédiaire du Cardinal Secrétaire d'État, qu'il « désire voir faciliter l'accès des syndicats vraiment professionnels, et se répandre sur toute l'étendue du territoire français, « de puissants syndicats animés de l'esprit chrétien, rassemblant en de vastes organisation générales, fraternellement associés, travailleurs et travailleuses des diverses professions. « Il sait bien qu'en formulant ces encouragements, il sert tout « ensemble, avec les intérêts les plus sacrés de la classe ouvrière, ceux de la paix sociale, dont il est le suprême représentant, et aussi ceux de la noble nation française, qui lui « tient tant à cœur ».

Le Pape Pie XI, glorieusement régnant, faisait écrire, le 31 Décembre 1922, par le Cardinal Secrétaire d'État à M. Zirnheld, Président de la Confédération française des Travailleurs Chrétiens: « C'est avec le plus vif plaisir que le Saint-Père a « appris le progrès de ce groupement, qui tâche d'obtenir l'amélioration des classes laborieuses par la mise en pratique « des principes de l'Évangile tels que l'Église les a toujours « appliqués à la solution des questions sociales ».

« Le Saint-Père forme les meilleurs vœux, afin que les « membres catholiques de vos groupements aient toujours à « cœur de maintenir leur foi vive et leur piété fervente par « la fréquentation régulière des différentes pratiques religieuses « catholiques, dans lesquelles ils puisent, avec les moyens de « sanctification personnelle, les ardeurs du zèle et du dévouement qu'ils témoignent dans les associations syndicales....»

IV. *Constituendae autem sunt secundum normas Fidei et Morum christianorum.*

IV. — *L'Église veut que les associations syndicales soient établies et régies selon les principes de la Foi et de la Morale chrétienne.*

« On doit prendre pour règle universelle et constante d'organiser et de gouverner les corporations de façon qu'elles « fournissent à chacun de leurs membres les moyens propres « à lui faire atteindre, par la voie la plus aisée et la plus courte, « le but qu'il se propose, et qui consiste dans l'accroissement le plus grand possible des biens du corps, de l'esprit, de « la fortune. Mais il est évident qu'il faut viser avant tout l'objet « principal, qui est le perfectionnement moral et religieux; c'est « surtout cette fin qui doit régler toute l'économie de ces sociétés; sinon elles dégénéreraient bien vite et tomberaient, « ou peu s'en faut, au rang des sociétés où la religion ne tient « aucune place » (Léon XIII, *Rerum novarum*).

« Tel est précisément le motif pour lequel Nous n'avons « jamais engagé les catholiques à entrer dans des associations « destinées à améliorer le sort du peuple, ni à entreprendre « des œuvres analogues, sans les avertir en même temps que « ces institutions devaient avoir la religion pour inspiratrice, « pour compagne et pour appui » (LÉON XIII, *Graves de communi*, 18 Janvier 1901).

« Quoi qu'il fasse, même dans l'ordre des choses tempo- « relles, le chrétien n'a pas le droit de négliger les intérêts « surnaturels; bien plus, les prescriptions de la doctrine chré- « tienne l'obligent à tout diriger vers le Souverain Bien comme « vers la Fin dernière » (PIE X, *Singulari quadam*, 24 Septembre 1912).

V. — *L'Église veut que les associations syndicales soient « des instruments de concorde et de paix, et dans ce but elle « suggère l'institution de Commissions mixtes comme un moyen « d'union entre elles.*

V. *Ut sint, sicut oportet, instrumenta pacis, Ecclesia suadet commissionum mixtarum institutionem.*

« Ceux qui se glorifient du titre de chrétiens, qu'ils soient « pris isolément ou en tant que groupés en associations, ne « doivent pas, s'ils ont conscience de leurs obligations, entre- « tenir entre les classes sociales des inimitiés et des rivalités, « mais la paix et la carité mutuelle » (PIE X, *Singulari quadam*).

« Que les écrivains catholiques, en prenant la défense de « la cause des prolétaires et des pauvres, se gardent d'em- « ployer un langage qui puisse inspirer au peuple de l'aver- « sion pour les classes supérieures de la société... Qu'ils se « souviennent que Jésus-Christ a voulu unir tous les hommes « par le lien d'un amour réciproque, qui est la perfection de « la justice et qui entraîne l'obligation de travailler mutuel- « lement au bien les uns des autres » (Instruction de la Sacrée Congr. des Affaires Ecclésiastiques Extraordinaires, 27 Janvier 1902).

« Ceux qui président à ce genre d'institutions (ayant pour « but de promouvoir le bien des ouvriers) doivent se souvenir... « que rien n'est plus propre à assurer le bien général que la « concorde et la bonne harmonie entre toutes les classes, et « que la charité chrétienne en est le meilleur trait d'union. « Ceux-là travailleraient donc fort mal au bien de l'ouvrier qui, « prétendant améliorer ses conditions d'existence, ne l'aideraient « que pour la conquête des biens éphémères et fragiles d'ici- « bas, négligeraient de disposer les esprits à la modération « par le rappel des devoirs chrétiens, bien plus, iraient jusqu'à

« exciter encore davantage l'animosité contre les riches, en « se livrant à ces déclamations amères et violentes par lesquel- « les des hommes étrangers à nos croyances ont coutume de « pousser les masses au bouleversement de la société » (BÉ- NOÎT XV à l'Évêque de Bergame, 11 Mars 1920).

« ... Que les droits et les devoirs des patrons soient par- « faitement conciliés avec les droits et les devoirs des ouvriers. « Afin de parer aux réclamations éventuelles qui s'élèveraient « dans l'une ou l'autre classe au sujet de droits lésés, il se- « rait très désirable que les Statuts eux-mêmes chargeassent « des hommes prudents et intègres, pris dans son sein, de « régler le litige en qualité d'arbitres » (LÉON XIII, *Rerum no- « varum*).

« Les associations catholiques doivent, non seulement évi- « ter, mais encore combattre la lutte des classes comme es- « sentiellement contraire aux principes du christianisme... Il « est opportun, utile et très conforme aux principes chrétiens « de continuer, en principe, pour autant que cela est pratique- « ment possible, la fondation simultanée et distincte d'U- « nions patronales et d'Unions ouvrières, en créant, comme « point de contact entre elles, des Commissions mixtes char- « gées de discuter et de trancher pacifiquement, suivant la jus- « tice et la charité, les différends qui peuvent surgir entre « les membres de ces deux sortes d'Unions ouvrières » (Lettre « du Cardinal GASPARRI à l'*Union Economique Sociale*, 25 Fé- vrier 1915).

VI. *Per se, salva necessaria exceptione, inter catholicos constituendae sunt.*

VI. — *L'Église veut que les associations syndicales suscitées par des catholiques pour des catholiques se constituent entre catholiques, sans toutefois méconnaître que des nécessités particulières puissent obliger à agir différemment.*

« Les catholiques doivent s'associer de préférence à des « catholiques, à moins que la nécessité ne les contraigne à agir « différemment. C'est là un point très important pour la sauve- « garde de la foi » (LÉON XIII aux Évêques des États-Unis, 6 Janvier 1895).

« Quant aux associations ouvrières, bien que leur but soit « de procurer des avantages temporels à leurs membres, cel- « les-là cependant méritent une approbation sans réserve et « doivent être regardées comme les plus propres de toutes à « assurer les intérêts vrais et durables de leurs membres, qui « ont été fondées en prenant pour principale base la religion « catholique, et qui suivent ouvertement les directions de l'É-

« glise: Nous l'avons fréquemment déclaré Nous-même, lorsque « l'occasion s'en est offerte dans un pays ou dans l'autre. Il « s'ensuit qu'il est nécessaire d'établir et de favoriser de toute « manière ce genre d'associations confessionelles catholiques, « comme on les appelle, dans les contrées catholiques tout « d'abord, et aussi dans toutes les autres régions, partout où « il paraîtra possible de subvenir par leur moyen aux besoins « divers des associés » (PIE X, *Singulari quadam*).

VII. — *L'Église recommande l'union de tous les catholiques pour un travail commun dans les liens de la charité chrétienne.*

VII. *Commendatur unio omnium catholicorum ut coniuncte in vinculis caritatis collaborent.*

« Oui, la situation le réclame, et le réclame impérieuse- « ment: il nous faut des cœurs courageux et des forces com- « pactes. Certes, elle est assez étendue la vue des misères « qui sont devant nos yeux: elles sont assez redoutables les « menaces de perturbations funestes que tient suspendues sur « nos têtes la force toujours croissante des socialistes » (LÉON XIII, *Graves de Communi.*)

« Que les ministres sacrés déploient toutes les forces de « leur âme et toutes les industries de leur zèle, et que, sous « l'autorité de Vos paroles et de Vos exemples, Vénérables Frè- « res, ils ne cessent d'inculquer aux hommes de toutes les clas- « ses les règles évangéliques de la vie chrétienne; qu'ils tra- « vaillent de tout leur pouvoir au salut des peuples, et par dessus « tout, qu'ils s'appliquent à nourrir en eux-mêmes et à faire « naître chez les autres, depuis les plus élevés jusqu'aux plus « humbles, la charité, reine et maîtresse de toutes les vertus. « C'est en effet d'une abondante effusion de charité qu'il « faut principalement attendre le salut; Nous parlons de la « charité chrétienne, qui résume tout l'Évangile et qui, tou- « tours prête à se dévouer au soulagement du prochain, est un « antidote très assuré contre l'arrogance du siècle et l'amour « immodéré de soi-même: vertu dont l'Apôtre saint Paul a « décrit les offices et les traits divins dans ces paroles: La « charité est patiente; elle est bénigne; elle ne cherche pas « son propre intérêt; elle souffre tout; elle supporte tout » (LÉON XIII, *Rerum novarum.*)

C. *Hodierna pro praesenti discidio corollaria.*

1. *De syndacatibus opificum christianorum.*

Legitima sunt nec sociali paci contraria.

A la lumière de ces principes et de ces directions, on voit clairement le chemin qu'il faut suivre pour porter un jugement équitable sur la question.

Et pour commencer par les syndicats ouvriers, on ne peut refuser aux ouvriers chrétiens le droit de constituer des syndicats à eux, distincts des syndicats patronaux, sans toutefois

leur être opposés. Cela surtout quand, comme c'est ici le cas, ces syndicats sont voulus et encouragés pas l'Autorité ecclésiastique compétente selon les règles de la morale sociale catholique, dont l'observation s'impose aux adhérents, de par leurs statuts, dans leur activité syndicale, où ils doivent s'inspirer surtout de l'Encyclique *Rerum novarum.*

De plus, il est évident que la constitution de tels syndicats, distincts des syndicats patronaux, n'est pas incompatible avec la paix sociale, puisque, d'une part, ils répudient par principe la lutte des classes et le collectivisme sous toutes ses formes, et que, de l'autre, ils admettent la forme de contrats collectifs pour établir des rapports pacifiques entre le capital et le travail.

Nec heris suspecta esse debent.

Et les industriels ne doivent pas y voir un acte de défiance, spécialement dans les circostances présentes, quand apparaît clairement le besoin de promouvoir et de favoriser, à l'encontre du syndicalisme socialiste et communiste, des syndicats où les ouvriers chrétiens puissent traiter de leurs légitimes intérêts économiques et temporels, sans dommage pour leurs intérêts spirituels et éternels.

Minus de iure

Sur ce point, il ne semble pas y avoir divergence entre les deux syndicats en conflit. De fait, M. MATHON, dans son deuxième rapport, déclare que le *Consortium* des syndicats patronaux *souhaite ardemment la constitution de syndicats vraiment chrétiens, défendant les intérêts des ouvriers, confrontant ces intérêts avec les siens, discutant en toute liberté et en toute indépendance avec les organisations patronales ; celles-ci comme ceux-là devant étudier les causes de désaccord en toute équité, en toute justice, sans préjudice des sentiments de charité chrétienne qui doivent animer le cœur des uns et des autres.*

quam de facto certant.

La différence consiste en ce que le *Consortium* estime que, jusqu'à présent, les syndicats chrétiens ne sont pas *vraiment chrétiens ;* en d'autres termes, il estime que dans l'exercice de leur activité ils n'ont pas été effectivement fidèles aux principes de la morale sociale chrétienne; et à l'appui de cette affirmation il apporte un certain nombre d'allégations.

S. Cong. obiecta crimina maximam partem reicit.

Réserve faite des intentions et de la bonne foi des recourants, on voit aussitôt combien est grave l'accusation. Aussi la S. Congrégation, avant de prononcer aucun jugement, a-t-elle ordonné de multiples et attentives recherches: elle a recueilli, de sources très autorisées, des informations pleinement dignes de foi, pour apprécier le bien-fondé d'un si grave reproche.

Cela fait, la S. Congrégation croit devoir déclarer que, selon des documents irréfragables et d'après les preuves recueillies, certaines des allégations sont exagérées; d'autres, les plus graves, qui attribuent aux syndicats un esprit marxiste et un socialisme d'État, son entièrement dépourvues de fondement et injustes.

Hortatio, indicatis mediis, ad promovendam omnium socialem christianam institutionem.

La S. Congrégation, toutefois, ne nie pas que les syndicats chrétiens n'aient commis quelques erreurs de tactique et que certains de leurs membres n'aient employé publiquement des expressions qui ne sont pas de tout point conformes à la doctrine catholique.

C'est pourquoi elle veut que les dirigeants soients exhortés à pourvoir plus efficacement à l'éducation syndicale chrétienne de tous les membres, en utilisant les moyens que louablement ils mettent déjà en oeuvre: secrétariats, semaines syndicales, cercles d'études, réunions de propagandistes, semaines d'exercices spirituels; afin d'imprégner l'action syndicale d'esprit chrétien, fait de charité, de justice et modération.Et à ce sujet, en vue d'une formation sociale chrétienne plus complète et plus adaptée de la jeunesse, la S. Congrégation suggère que dans les patronages et dans les diverses œuvres d'éducation l'on donne un enseignement social proportionné à l'intelligence des jeunes (ce qui se fait dans quelques diocèses avec d'excellents résultats): cet enseignement aura pour effet, non seulement de les prémunir contre les erreurs auxquelles ils sont exposés, mais encore de leur faire connaître l'action bienfaisante de l'Église dans le domaine social.

De plus, on devra apporter un soin particulier à ce que tous, spécialement les dirigeants, aient aussi une connaissance pratique suffisante des questions techniques, professionnelles et économiques.

Quibusnam condicionibus pacta inter syndicatus diversi spiritus fieri queant.

Pour ce qui regarde la constitution, à titre exceptionnel, de ce que l'on appelle un *cartel intersyndical*, entre syndicats chrétiens et syndicats neutres on même socialistes, pour la défense d'intérêts légitimes: qu'on se rappelle toujours qu'un tel cartel n'est licite qu'à la condition qu'il se fasse seulement dans certains cas particuliers, que la cause qu'on veut défendre soit juste, qu'il s'agisse d'accord temporaire, et que l'on prenne toutes les précautions pour éviter les périls qui peuvent provenir d'un tel rapprochement.

S. C. optat ut hae consociationes numero et qualitate crescant.

Ces remarques faites, la S. Congrégation déclare qu'elle voit avec faveur se constituer de ces syndicats ouvriers vraiment catholiques d'esprit et d'action, et elle fait des voeux pour

qu'ils croissent en nombre et en qualité, afin que par leur moyen on puisse aussi obtenir le bon résultat qu'indiquait et se promettait la Pape LÉON XIII, à savoir de préparer un sûr refuge pour les ouvriers inscrits aux syndicats antichrétiens qui sentiraient le devoir et le besoin de se libérer d'un lien qui, pour des intérêts purement économiques, rend esclave la conscience. « A tous ces ouvriers, les sociétés catholiques peuvent être « d'une merveilleuse utilité: si hésitants, elles les invitent à « venir chercher dans leur sein un remède à tous leurs maux, « et si repentants, elles les accueillent avec empressement et « leur assurent sauvegarde et protection » (LÉON XIII, (*Rerum novarum*).

2. De magistrorum consortio.

Eius benefica opera,

Passant ensuite à ce qui concerne directement les industriels du *Consortium*, la S. Congrégation a pris connaissance avec un vif plaisir de tout ce que le *Consortium* a fait pour le soulagement de la misère des ouvriers, ainsi que des magnifiques oeuvres de bienfaisance patronale qu'il a déjà organisées, spécialement par le développement des « Allocations familiales », oeuvre de haute charité en même temps que de justice sociale. Cependant, s'adressant à des catholiques, la S. Congrégation ne peut pas ne pas les inviter à réfléchir que, dans la question entre industriels et ouvriers, pour maintenir la concorde et une paix durable, il ne suffit pas de faire appel à des « solidarités professionnelles » et de multiplier les œuvres de bienfaisance inspirées par une philanthropie purement humaine. La vraie concorde et la véritable paix ne peuvent s'obtenir que par l'adhésion *de tous* aux principes lumineux de la morale chrétienne.

immo constitutionem laudat S. Cong.,

De même, la S. Congrégation félicite ces industriels d'avoir senti et compris le besoin de constituer eux aussi une organisation patronale, afin de procurer plus efficacement la paix sociale.

dolendo tamen id esse neutrale.

Toutefois, elle n'a pas pu ne pas relever que, bien qu'individuellement les dirigeants du *Consortium* fassent ouvertement profession de catholicisme, ils ont constitué de fait leur association sur le terrain de la neutralité. A ce propos, il est bon de leur rappeler ce qu'écrivait LÉON XIII: « Les catholi- « ques doivent s'associer de préférence à des catholiques, à « moins que la nécessité ne les contraigne à agir différement. « C'est là un point très important pour la sauvegarde de la « foi » (LÉON XIII, *Longinqua Oceani*, 6 Janvier 1895).

Iuterea catholici magistri conscii sint de

S'il n'est pas possible, pour le moment, de former des syndicats patronaux confessionnels, la S. Congrégation estime ce-

pendant nécessaire d'attirer l'attention des industriels catholiques, spécialement de ceux qui font partie de l'Association chrétienne des Patrons du Nord, sur leur responsabilité personnelle dans les résolutions qui sont prises, afin qu'elles soient conformes aux règles de la morale catholique et que les intérêts religieux et moraux des ouvriers soient garantis, ou du moins ne soient pas lésés. Qu'ils aient particulièrement à coeur d'assurer, de la part de leur Commission intersyndicale, les égards dus selon l'équité aux syndicats chrétiens, en leur faisant un traitement sinon meilleur, du moins égal à celui qui est fait aux autres organisations nettement irréligieuses et révolutionnaires.

suis officiis in communi deliberatione.

Ces réflexions faites au sujet des deux sortes de syndicats, la S. Congrégation veut que les défiances disparaissent: que le différend cesse et que des relations justes et pacifiques, conformément aux principes chrétiens, s'établissent désormais entre les deux syndicats. Que les membres de l'un et de l'autre se souviennent des grandes responsabilités sociales qu'ils ont comme catholiques: car les deux syndicats doivent donner l'exemple de cette collaboration des classes que demande la morale qu'ils professent.

3. *S. Congr. mens:*
a) *Remota diffidentia, ambo syndacatus amice collaborent.*

Etant donné que le *Consortium* s'est déclaré disposé à discuter sur les causes éventuelles de dissentiments, en pleine liberté et indépendance réciproque, à la lumière des principes d'équité et de justice, cette S. Congrégation verrait avec plaisir qu'on établisse un mode régulier de rapports entre les deux syndicats par une Commission mixte permanente. Cette Commission aurait pour mission de traiter, dans des réunions périodiques, des intérêts communs, et d'obtenir que les organisations professionnelles soient, non des organismes de lutte et d'antagonisme, mais, comme elles doivent l'être selon la conception chrétienne, des moyens de mutuelle compréhension, de discussion bienveillante et de pacification.

b) *Permanens Commissio mixta instituatur.*

La S. Congrégation ne peut pas ne pas louer les Rev.mes Ordinaires de la région du Nord, d'avoir confié à des prêtres compétents et zélés le soin d'assister les dirigeants et les membres des syndicats au spirituel ainsi que pour les questions dans lesquelles se trouvent impliqués des principes de morale; elle fait des voeux pour que dans les autres régions industrielles, les Évêques nomment des prêtres « Missionnaires du travail », comme on les appelle, dont l'apostolat, outre qu'il protégera les populations contre le mal de l'indifférence

c) *Laudatis Ordinariis qui spiritualem et moralem assistentiam selectis sacerdotibus commiserunt, optat ut etiam alibi Missionarii laboris instituantur.*

et du péril socialiste et communiste, sera aussi un témoignage de la sollicitude maternelle dont l'Église entoure les travailleurs.

Auctoritate Benedicti XV id confirmatur.

Benoît XV montrait à quel point la chose est non seulement opportune mais nécessaire, quand il déclarait, dans sa lettre déjà citée à l'Évêque de Bergame : « Qu'aucun membre « du clergé ne s'imagine que pareille action « est étrangère « au ministère sacerdotal sous prétexte qu'elle s'exerce sur « le terrain économique : car c'est précisément sur ce terrain « que le salut éternel des âmes est en péril. Aussi voulons- « Nous que les prêtres considèrent comme une de leurs obli- « gations de se consacrer le plus possible à la science et à « l'action sociale, par l'étude, l'observation et le travail, et de « favoriser de tout leur pouvoir ceux qui, sur ce terrain, exer- « cent une saine influence pour le bien des catholiques ».

d) *Animi, graviore et sublimiore consideratione ad gravissima quae ex socialismo et communismo mala societati impendunt attendant,*

Enfin la S. Congrégation invite les uns et les autres, patrons et ouvriers, à s'élever à des considérations et à des sentiments d'ordre supérieur. Les progrès si impressionnants du socialisme et du communisme, l'apostasie religieuse provoquée dans les masses ouvrières, sont des faits incontestables qui donnent à réfléchir sérieusement. Profitant des misères réelles des ouvriers, le socialisme et le communisme ont réussi à leur faire croire qu'eux seuls sont capables de promouvoir efficacement les intérêts professionnels, politiques et sociaux, et les ont groupés dans des organisations syndicales. Il est donc urgent que tous les catholiques unissent leurs forces afin d'opposer une digue à un si grand mal, qui entraîne tant d'âmes sur la voie de la perdition éternelle, et sape les bases de l'ordre social, préparant la ruine des peuples et des nations.

ut concordia, fiducia mutua, maxime intensa caritate ea instituantur quibus opifices oeconomicae suae sorti simul et christianae professioni consulere queant.

Qu'on écarte donc tous les dissentiments ; et que, avec une concorde mutuelle, avec une confiance réciproque et surtout avec une grande charité, on suscite des institutions qui s'inspirent des principes de la morale catholique et assurent aux ouvriers, avec leurs intérêts économiques, la liberté de se déclarer chrétiens et la possibilité de remplir tous les devoirs qui en découlent.

Rogatur Episcopus ea agere quibus finis a S. C. intentus obtineatur, ipsique de peractis referre.

Je prie Votre Grandeur de vouloir bien, en exécutant les décisions contenues dans cette lettre, employer les moyens les plus efficaces que son tact et sa prudence lui suggèreront, afin d'atteindre plus facilement le but que s'est proposé cette S. Congrégation, pour le plus grand bien. Je serais reconnaissant à Votre Grandeur de nous informer de tout ce qui aura été fait.

Veuillez agréer, Monseigneur, l'expression de mes sentiments tres dévoués en Notre-Seigneur. *Conclusio.*

5 Juin 1929. *Dies (5 iun. 1929).*

L. ✠ S.

† D. Card. SBARRETTI, Év. de Sabine et P. Mirteto, *Préfet.*
JULES, Év. tit. de Lampsacus, *Secrétaire.*

ANNOTATIONES

A. Anno iam 1924, EUGENIUS MATHON, vir apprime catholicus, animo munifico et propterea de S. Sede et religione bene meritus, relationem ad S. Pontificem miserat in qua conquerebatur de modo agendi et loquendi syndacatuum christianorum Galliae septemtrionalis, quibus sacerdotes catholici, ab Antistite Insulensi selecti, saltem consiliis assistunt.

Oratoris promerita non sinebant ut litterae istae neglegerentur. Quia autem de disciplina populi christiani agebatur, et sacerdotes saeculares in partem sollicitudinis vocati erant, ideo, ni fallimur, documentum, pro examine et voto remissum est ad S. Congr. Concilii, cui « ea pars negotiorum est commissa quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur » (c. 250 § 1).

S. porro Congregatio in primis iussit ut vir peritissimus, diligenti facta inquisitione, de vero rerum statu et condicione ad S. Congregationem referret.

Accepta ista relatione, primo proposuit de sola mota querela sententiam suam pronuntiare, atque ea ordinare quae in praesenti expedirent.

Verum, post novam deliberationem, consilium inivit practice dandas normas doctrinali normarum generalium expositione sublimandi, illustrandi et confirmandi. Quae causa fuit cur, pro celeri responsione quae prius

in votis erat, morae sat diuturnae in solvenda quaestione adhibitae sint.

Procrastinatio ista minime dolenda est, cum hac ratione, supplex privati hominis libellus occasionem dederit monumento e quo universus catholicus orbis lumen mutuabitur ad componendas res sociales prout Christo acceptum est et bono communi postulatur.

Post brevem quasi-praefationem, litterae S. Congregationis in binas partes dividuntur: alteram generalem et doctrinalem, alteram practicam et specialem, qua libello memoriali D. MATHON directe respondetur.

B. I. *De introductione.*

1. Deliberationum occasio in primis memoratur. « Consortium, » cuius nomine D. MATHON ad S. Sedem recurrit, minime confundi potest cum catholica consociatione Magistrorum operarum qui vulgo vocantur « *Patrons du Nord.* »

Consortium nuper tantum fundatum est, auctore viro perito simul et callido, cui nomen LEY, nec soli catholici sed etiam homines a religione alieni in illud cooptantur. Socii eius finem potius oeconomicum intendunt consulendi propriis utilitatibus temporalibus seque protegendi ab operistiis et similibus opificum moliminibus.

2. Competentiam potestatis Ecclesiasticae vindicat, adducendo auctoritatem LEONIS XIII et PII X.

Agitur hic de indirecta in temporalibus rebus Ecclesiae potestate, vi cuius: *a*) haec quid iustum aut iniustum, quid licitum aut vetitum sit in omni re definire potest; *b*) sub respectu morali et religioso de omni facto iudicium proferre; *c*) demum statuere quid, in variis adiunctis, res moralis et religiosa exigat ut perficiatur vel omittatur.

Quam arte autem quaestiones sociales cum bono morali et religioso tum singulorum tum communitatis conectantur, id ex actis S. Sedis, id e ratione et ex-

perientia, id ex ipsa confessione hostium Ecclesiae luculente demonstratur. Nonne factiones populares sunt quae, v. g. in Russia, religionem ut inimicam socialis emancipationis operariorum praedicantes, bellum omni religioni aperte indicunt?

C. II. *De parte doctrinali.*

Propriam de re sociali doctrinam proferre, vel quidpiam ipsa theoretice docere S. Congregatio non cogitavit, sed mere ordinate referre statuit quae iam a Suprema Auctoritate de christianis consociationibus edicta erant, ut solutiones tertiae partis quasi prono alveo inde fluerent.

Eadem autem gradatim elegantissime disposuit, hoc ordine: Ecclesia. 1. Operarios et officinatores, dum foedera iungunt iure suo uti pronuntiat; - 2. Huiusmodi foedera hodie moraliter necessaria esse existimat; - 3. Ad ea iungenda hortatur - Simul vult: - 4. Ut principiis fidei et morum christianorum consociationes imbuantur; - 5. Ut ad pacem socialem firmandam cooperentur; - 6. Ut, quantum fieri potest, sint catholicorum. - Demum, 7. enixe communem omnium catholicorum conspirationem commendat qua, caritate permoti, pro sociali salute et civitatis christianae instauratione simul laborent.

Itaque, primo memorat tradita de constitutione consociationum (1. 2. 3); dein quae de earum spiritu seu informante anima edocta sunt (4); tum de proximo fine qui ipsis assignandus est (5); tum de sociis qui per se admittendi sunt (6); demum quanam altissima missione catholici fungi debeant.

2. Inter haec, pauca quaedam paulisper explicanda videntur.

a) Quando, anno 1891, Leo XIII, s. m. mirabiles litteras *Rerum novarum* scribebat, vox syndacatus minus usitata erat. Quare Leo XIII vocabulum istud non adhibet: loquitur de « sodaliciis opificum corpo-

ratorum », dum Pius X *Syndacatus* approbat. Sed de diversa ista designatione nulla sollicitudo habenda est. Sive sodalicia, sive syndacatus, sive Uniones appellentur, re vera approbantur foedera stabilia quibus homines eiusdem artis consociantur, ut ratione plus vel minus generali communes utilitates procurent.

b) Ecclesia, dum agnoscit *ius* herorum et opificum condendi sodalicia, quodnam ius intellegit ?

Profecto ius iustitiae commutativae, quod tamen non oritur ex peculiari relatione inter opifices et magistros operarum, sed aeque respicit ceteros homines, seu refertur ad honestum usum libertatis civilis. Huiusmodi iuri non respondet positivum officium iustitiae commutativae quo magistri adversus operarios, ipsi autem adversus magistros tenerentur ; sed mere prohibentur omnes usum istius iuris mediis iniustis laedere vel impedire.

Quare, qui magistri operarum nolint consociatos operarios conducere, vel cum ipsis qua congregatis agere, commutativam iustitiam minime offenderint. Attendant tamen ne eorum agendi ratio odia inter civium ordines excitet vel augeat ; neve, - si ipsi sint catholici - animos a religione avertat. Possint enim hoc modo officiis caritatis, religionis, pietatis derogare ; et, quatenus bono communi noceant, simul iustitiam socialem seu legalem violare.

Pluribus quidem ingratum esse videtur ut homines officinae et negotio extranei, velint cum officinae rectore de suis operariis deliberare. Estne tamen istud hodie quid insolitum ? Nonne ipsi officinatores, bibliopolae, mercatores ex variis pactionibus obligantur ad servandas in negotiis condiciones collective statutas ? Verum in causa operariorum idem displicet, quia officinatores consueti erant opifices ut sibi simpliciter subditos considerare et tractare ; et amore proprio prohibentur satis cito agnoscere propensionem ad ma-

iorem aequalitatem socialem quae ipso cultus progressu imperatur.

Quod per se optandum est fit moraliter necessarium, ubi sodalicia timenda sint vel forte iam exsistant quae spiritu communistico animata sunt. Nisi christiane convenire possint, operarii fere coguntur nomen dare sodaliciis quae perniciem societatis moliuntur. Nec satis dolere possumus esse officinatores qui socialistarum foedera subeunt, catholica autem respuunt, v. g. vano praetextu, quod capita socialistarum facilius pecunia corrumpi queant. Quam angusta mens, proxima utilitate decepta, se prodit in huiusmodi consiliis!

4. Sodalicia ista esse possunt separata, i. e. tota sive ex opificibus, sive ex magistris operarum conflata, vel ex utroque ordine mixta. Haec posterior forma prius praeferenda videbatur, quia magis in amico utriusque ordinis foedere erat constituta, et sic in pacem socialem stabiliendam magis propensa apparebat. Mox autem diversitas cultus et utilitatum nimia esse comprobata est, ut possint vere diu florere. Quare, sine ambagibus hodie separata probantur. Ut tamen concordiae serviant, suadetur, sicut in his litteris n. V, ut simul in commissiones mixtas pauci utriusque ordinis delegati conveniant.

5. Hodie etiam fit ut utilitates operariorum et herorum non solum ex parte contrariae sed etiam magnam partem coincidere demonstrentur. Prosperitas negotii vel officinae, utriusque ordinis interest; dum plures hodie copia pecuniarum vel rerum negotia autonoma opprimere possunt et interdum conantur. Hinc praeter et supra separatas consociationes praevidentur communia foedera operariorum et magistrorum.

Si iam in bonis inferioribus huiusmodi communitas attenditur, nonne nobis catholicis suprema utilitas religionis vel patriae multo magis cordi esse debet

et animos nostros viresque amice coniungere, ut n. VI litterarum commendatur?

D. III. *Iudicium de causa proposita.*

Fas hic est nobis breviore sermone uti, cum nostrum non sit causam ipsam diudicare.

Notemus tamen quam prudenter et simul quam perspicue S. Congregatio enuntiata principia ad facta aptare noverit.

Exordium istius partis fit a iustissimis rationibus propter quas christiani regionis septemtrionalis syndacatus potius ipsis magistris accepti esse debeant. Observat dein S. Congregatio utilitatem huiusmodi sodalicii minime iam a sociis « Consortii » negari, ita ut omnis controversia in facto vertatur. Hic autem « ex certis documentis et probationibus firmiter pronuntiat motas querelas fundamento carere: « alia quae insimulantur esse ultra iustum amplificata, graviora vero de mente " Marxista „ et ad socialismum Status inclinante esse prorsus falsa et iniusta ». Soli concedi possunt accidentales errores in dicendo.

Verum haec ipsa concessio occasio est S. Congregationi optimum consilium dandi, ut moderatores sodaliciorum christianorum institutionem syndacalem perficiant, cultumque generalem et socialem curent et promoveant.

Quod re vera maxime optandum est, tum ne in postulatis suis ignorantia rerum oeconomicarum laborare cernantur, tum ut maiore civili cultu et congruenti praeparatione artifices se dignos ostendant maiore aequalitate ad quam aspirant.

Assequendam istam aequalitatem praesens socialismus ut metam proximam attingendam suis asseclis proponit; sed catholici in fide sua et in mediis sanctificationis habent unde operarios altius erigant quam ii qui nihil credunt ac proin nihil sperare possunt nisi

speciem quandam humanitatis incredulae et materialisticae.

Foedera porro inter syndicatus christianos et neutrales vel etiam socialisticos, S. Congregatio non damnat vel respuit absolute, sed ea non vult nisi in casibus peculiaribus extraordinariis, et servatis debitis cautelis.

His praefatis, S. Congregatio sodaliciis christianis omnino favet, ac bene iisdem ominatur, exoptans ut numero et qualitate crescant.

2. Quod ad « Consortium », S. Congregatio laudat non paucas institutiones quibus se benificum erga operarios probavit.

Fas hoc loco sit nobis rationes indicare cur beneficia huiusmodi interdum minus grato animo sint excepta et cur, etiamsi operistitia amputentur, paci sociali parum prosint, ut ipsae electiones politicae manifestant suffragiis quae inimicis ordinis socialis ab artificibus dari consuevere. Liberalitas enim ista in triplicem suspicionem apud opifices incurrit: 1. quod dona computentur in rationem, dissimulatam, debiti salarii; 2. quod fiant intentione impugnandi syndacatus eosque enervandi; 3. quod speciem induant cuiuspiam eleemosynae, dum operarii magis digne agere existimant si ipsi sibi e congruente mercede providere queant. Conandum igitur est ut suspiciones istae removeantur.

Ipsa S. Congregatio monet humanam philantropiam parum ad socialem pacem prodesse, nisi procuretur omnium docilitas ad tenenda et exsequenda principia doctrinae moralis christianae.

S. Congregationi autem displicet quod catholici neutrale esse voluerunt « Consortium » quod ipsi condiderunt et moderantur. Subinde suaviter sed perspicue inculcat quomodo ipsis catholice in delibera-

tionibus agendum sit; et maxime ut aequa consideratione habeantur christiani syndacatus (1).

Ad peculiaria dein vota digrediens, S. Congregatio optat ut instituatur permanens Commissio mixta quae, in frequenti consessu simul sit symbolum et instrumentum perpetuae pacis; et ut in aliis quoque regionibus eligantur sacerdotes probati qui sodaliis christianis adsint et vere evadant *missionarii laboris*.

Demum denuo omnes ad id quod summum est invitat, i. e. ut sublimiora cogitantes et meditantes omnes, sua sociali et catholica actione populum ab apostasia et societatem a ruina praeservent.

IV Praeclarae istae litterae 5 iunii 1928 primum missae sunt ad Ill. D. JANSOONE, qui tunc Insulensem dioecesim ut administrator Apostolicus regebat, et dein 5 iunii huius anni 1929 ad Ill. D. LIENART, Insulensem Episcopum, a quo sunt 28 aug. 1929 publici iuris factae. Antistes iste mox, 8 sept. 1929, alias litteras pastorales dedit in quibus, imprudenter S. Congregationi obiectum crimen falsitatis retundit, et suaviter urget exsecutionem litterarum S. Congregationis (2).

A. VERMEERSCH, S. I.

---

39. — S. Congr. Rituum

Rescriptum 31 iul. 1929

DE COLORE PILEOLI ABBATUM REGULARIUM (3)

Orator — *Ordinis Praemonstratensium.* — Hodiernus Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum:

(1) Hoc scriptum putamus, quia, in media controversia, ordinatio « patronorum » ita confecta erat ut syndacatus socialistarum, non vero christiani audiri possent.

(2) Litterae prodiere in *Semaine religieuse de Lille*, et separatim prostant in opuscula *L' Église et la Question syndicale*. Lille, Desclée.

(3) Ex transumpto authentici rescripti.

Dubium.

« Quum Can. 625 C. I. C. dicatur Abbates regulares frui privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo coloris violacei, quaeritur: Cuiusnam coloris debeat esse pileolus Abbatum Regularium, nempe utrum coloris nigri, vel coloris habitus regularis proprii Ordinis. »

Rescriptum.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis commissionis suffragio, re sedulo perpensa, rescribendum censuit: « Affirmative ad primam partem, iuxta decretum generale 1311 ad VIII, diei 27 Septembris 1659; et quoad secundam partem provisum in prima. Atque ita rescripsit et declaravit die 31 iulii 1929.

Dies (31 iulii 1929).

L. S. C. Card. LAURENTI,
S. R. C. Praefectus

ANGELUS MARIANI,
S. R. C. Secretarius.

ANNOTATIO

Allegatum Decretum generale est circa usum Pontificalium Praelatis inferioribus concessorum. Iam vero, n. 8 statuit: « Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris adhibeant ».

---

40. S. Congr. Rituum

Responsa 6 iul. 1929

DE PRECIBUS PRO REGE ET ITALIAE POPULO

(A. A. S., 3 aug. 1929. XXI, 509)

Dubia.

Romana. — Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia proposita sunt dubia:

I. *In Missa Conventuali Pontificali.*

I. « An preces indictae iuxta art. 12 Concordati inter S. Sedem et Italiam, pro Rege et populo Italiae, etiam dicendae sint si Missa Conventualis ab ipso Episcopo pontificaliter celebretur? »

Et quatenus *affirmative:*

II. *Quo loco tunc.*

II. « In quo loco ab Episcopo recitandae sint preces? »

III. *Post Missam Conventualem ubi chorus.*

III. « An etiam in ecclesiis Religiosorum officium chorale habentium, post Missam conventualem praefatae preces sint recitandae? »

Responsa:

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, mature omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I.

Ad I. Affirmative.

Ad II.

Ad II. Preces recitandae sunt, statim post Missam, ab Episcopo stante ad thronum, vel ad faldistorium, si throno usus non fuerit.

Ad III.

Ad III. Non teneri, nisi adsit Capitulum religiosum Abbatiae vel Praelaturae nullius.

Dies (6 iul. 1929).

Atque ita rescripsit et declaravit, die 6 Iulii 1929.

C. Card. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

ANGELUS MARIANI, *Secretarius.*

---

41. — S. Rituum Congregatio

Rescriptum 15 iun. 1929

DE FORMA PARAMENTORUM (1)

Orator.

Un distinto diocesano di Barcellona ebbe in dono per un istituto di beneficenza, cui presiede, un assortimento di pianete gotiche e per mezzo di questo Ordinariato chiese a Sua Santità la licenza di usarle, per non essere costretto a distogliere dei fondi, necessari per il mantenimento e l'educazione dei poveri ricoverati, per l'acquisto di pianete della forma usuale, e promise formalmente al Sommo Pontefice che in avvenire non avrebbe acquistato paramenti della forma dalla S. C. non consentita.

Petitio.

Dies plenarii coetus (15 iun. 1929).

La S. C., con decreto in plenario del 15 giugno del corrente anno 1929 ha risposto:

Responsum.

Negative et ad mentem. Mens est: Planetae formae gothicae reducantur in formam latinam.

---

(1) Responsum istud prodiit in *Boletin de Barcelona,* 16 iul. 1929, unde assumptum est, conversum italice, in *Palestra del Clero* 1929, p. 465. Sic autem latine sonat: Honoratus fidelis dioecesis Barcinonensis, cum pro instituto beneficentiae cui praeficitur dono accepisset seriem casularum gothicarum, per Ordinarium suum supplici libello ad Sanctissimum Dominum facultatem petiit iisdem utendi ne, ad comparandas sibi casulas formae usitatae, pecunias distrahere deberet quae ad alimenta et institutionem pauperum hospitio receptorum necessariae erunt. Summo Pontifici autem promisit in futurum vestes formae a S. C. non approbatae a se non iam comparatum iri.

S. Congregatio, in plenario coetu 15 iun. currentis anni 1929 respondit:

ANNOTATIO

Observes nos latere rationem cur severe responsum sit; quae ratio esse potuit specialis istius loci. Verum id saltem inde colligitur, in formam gothicam cadere improbationem de qua in resp. 9 dec. 1925 S. R. C. Cfr *Per.*, XV, 58, vel *Acta Ap. Sed.*, XVIII, 58.

---

42. — S. Poen. Apost. *(Off. de indulgentiis)*

Declaratio 23 iun. 1929

DE INDULG. « TOTIES QUOTIES » CRUCIFIXIS ANNEXA

(A. A. S., 3 aug. 1929, XXI, 510)

Memorato decreto S. Officii, et permanente errore plurium sacerdotum,

Etsi iam alias, decreto Sancti Officii die 10 Iunii 1914 lato et in solita subsequenti audientia a Ss.mo Domino Nostro probato et confirmato, expresse declaratum fuerit quo sensu intelligenda sit facultas benedicendi Crucifixos ad adnectendam eisdem Indulgentiam, quam dicunt, *toties quoties;* constat tamen ex certis fontibus non deesse sacerdotes, hac facultate auctos, qui talem benedictionem impertiri praesumant cum effectu ut omnes et singuli fideles Indulgentiam plenariam, ceteris paribus, consequantur, *toties quoties* Crucifixos ita a se benedictos deosculati fuerint.

Nova declaratio SS. de re.

Timens ne forte, decursu temporis vel etiam ex peculiari aliqua, quam nonnulli iactitant, concessione, decreto Sancti Officii quidquam derogatum sit, infrascriptus Cardinalis Poenitentiarius Maior, in audientia die 21 currentis mensis sibi impertita, ipsum Sanctissimum Dominum Nostrum ad rem directe consuluit; qui respondere dignatus est mentem Suam esse supra memoratam Sancti Officii declarationem in pleno suo robore ac vigore permanere debere quod ad omnes et singulas huiusmodi concessiones post eam quomodolibet elargitas, sive per tramitem cuiusvis Officii Sanctae Sedis sive etiam ab ipsomet Summo Pontifice personaliter et vivae vocis oraculo; atque insimul praefatam declarationem in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* denuo evulgari mandavit.

Decretum S. Officii, iterum evulgatum.

Eadem ita se habet: « Facultas benedicendi Crucifixos cum Indulgentiae plenariae applicatione, *toties quoties* nuncupatae, sive personaliter a Summo Pontifice, sive quomodocumque ab

Apostolica Sede, per tramitem cuiuslibet Officii vel personae obtenta, ita et non aliter est intelligenda, ut quicumque christifidelis, in articulo mortis constitutus, aliquem ex huiusmodi Crucifixis benedictis, etiamsi illi non pertineat, osculatus fuerit vel quomodocumque tetigerit, dummodo confessus ac sacra Communione refectus, vel, si id facere nequiverit, saltem contritus, Ss.mum Iesu nomen ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, et mortem, tamquam peccati stipendium, de manu Domini patienter susceperit, plenariam Indulgentiam acquirere valeat, Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Dies (23 iun. 1929). Datum Romae, e Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 23 Iunii 1929.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *S. P. Secretarius.*

ANNOTATIO

Decretum S. Officii *reperitur in A. A. S.*, VI, 347, et in *Per.* VIII, 204, sub die confirmationis Pontificiae, 11 iun. 1914.

Haec porro observes:

1. Non agitur de Crucifixis quos ipse S. Pontifex benedixerit, sed de concessa facultate benedicendi;

2. Duplex apponitur limitatio:

Declaratio respicit concessiones *post S. Officii declarationem latas,* etiam a S. Pontifice, sed *vivae vocis oraculo.*

---

43. — S. Paenitentiaria Apostolica (1)

Responsum 2 mart. 1929

DE ABSOLVENTE LECTORES « ACTION FRANÇ. »

Quaestio La S. Pénit. (2) a été saisie de la question suivante:

Le péché du prêtre qui absoudrait de simples lecteurs (lec-

(1) *Ex Semaine religieuse,* Paris. 6 apr. 1929.

(2) I. e. gallice. S. Paenitentiariae sequens quaestio proposita est. Peccatum sacerdotis absolventis qui mere sunt lectores, non autem foederati aut fautores *Action Franç.*, sed submissionem recusantes, afficiturne reservatione de qua S. Paenitentiaria in suo decreto 26 nov. 1928? (Cfr. decretum in *Per.* XVII ,246).

Die 2 Martii S. Poenit. responsum dedit affirmativum quod, sequenti die. SS. Pater approbare et confirmare dignatus est.

tores), et non ligueurs ou fauteurs (fautores) de l'A. F., refusant de se soumettre, tombe-t-il sous la réserve dictée par la S. Pén. dans son dernier décret du 16 Nov. 1928?

Responsum

Le 2 Mars la S. P. a donné una résponse *affirmative*, que le S. Père a daigné approuver et confirmer le jour suivant.

44. — Pont. Commissio interpretando Codici

Responsa 20 iul. 1929.

AD VARIA DUBIA

(A. A. S., 2 sept. 1929, XXI, 573)

Litterae dimissoriae a Provicario Apost. dari permissae.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpetrandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — De litteris dimissoriis

D. — An vi canonis 310 § 2, conlati cum canone 958 § 1 n. 4, Provicarius apostolicus intra annum a sede vacante litteras dimissorias concedere possit.

R. — *Affirmative.*

II. De matrimonio acatholicorum

Quinam ab acatholicis nati, in c. 1099 § 2

D. — An *ab acatholicis nati,* de quibus in canone 1099 § 2, dicendi sint etiam nati ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis ad normam canonum 1061 et 1071.

R. — *Affirmative.*

III. — De ieiunio in consecratione ecclesiae

Ieiunium in consecratione Ecclesiae.

D. — An ieiunium in consecratione ecclesiae, de quo in canone 1166 § 2, moderandum sit secundum communem legem ieiunii ecclesiastici.

R. — *Affirmative.*

IV. — De sepultura ecclesiastica

Sepultura postulantium et alumnor schol. apost.

D. An praescriptum canonis 1221 extendatur etiam ad postulantes et ad alumnos scholarum apostolicarum in religionibus.

R. — *Negative.*

V. — De alienatione bonorum ecclesiasticorum

Alenatio plurium rerum per modum unius.

D. — An vi canonis 1532 § 1 n. 2 requiratur licentia S. Sedis ad alienandas per modum unius plures res ecclesias-

ticas eiusdem personae, quae simul sumptae valorem excedunt triginta milium libellarum seu francorum.

R. — *Affirmative.*

Dies (20 iul. 1929). Datum Romae, die 20 mensis Iulii anno 1929.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I.

Ad I. Ex praescripto can. 309, § 1, Vicarii et Praefecti Apostolici, ubi primum in territorium suum advenerint, deputare debent ex clero saeculari aut religioso Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum, nisi Coadiutor cum futura successione a S. Sede datus fuerit.

Vivente Vicario aut Praefecto, Pro-vicarius aut Pro-praefectus nullam habet potestatem, nisi quae fuerit ab illo sibi commissa; sed, deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita ad normam can. 429, § 1, totum regimen assumere debet et in hoc munere permanere, donec a S. Sede aliter provisum fuerit (can. 309, § 2).

Ii vero ad quos Vicariatus aut Praefecturae cura devenerit ad normam can. 309, « *uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can. 294, sive delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat*, nisi commissae fuerint ob industriam personae » (can. 310, § 2).

Porro Vicarius et Praefectus Apostolicus gaudet facultate concedendi litteras dimissorias pro saecularibus (can. 958, § 1, 4°). Ergo, si Pro-vicarius et Pro-praefectus, sede vacante, gaudent iisdem facultatibus, quibus Vicarii et Praefecti pollebant, sponte manifesteque consequitur illos frui quoque potestate litteras dimissorias dandi. Quae potestas iisdem tribuen-

da est iam a primo momento vacationis, ideoque etiam intra annum a sede vacante, quia lex non distinguit nullamque restrictionem continet. Igitur applicandum notissimum iuris axioma: « *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* ».

Ante Codicem alia erat disciplina, attentis Benedicti XIV litt. apost. « *Ex sublimi* », 26 ian. 1753, et « *Quam sublimi* », 8 aug. 1755, unde iuridicam ducit originem officium Pro-vicarii Apostolici. Quare Card. Gasparri, perspecto iure veteri, docet: « Haec quae diximus valent etiam de Vicario apostolico qui a R. P. vel a S. C. C., sede vacante, deputatus est. Immo in brevi seu litteris deputationis, potestas concedendi litteras dimissorias expresse reservari solet; quod si e contrario expresse conceditur, Vicarius Apostolicus eam habet intra appositos limites, sed nequit eam communicare Pro-vicario etiam in absentia e dioecesi, ut decrevit S. C. C. in *Aquilana*, 7 sept. 1720 et 28 mart. 1722 » (1).

Ex dictis liquet ius vetus, hac in re, cum canonibus Codicis non congruere; idcirco, ad normam can. 6, 3°, canones, « qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi ». Hinc responsio a Pontificia Commissione Codicis sapienter data.

II.

Ad II. Can. 1099, § 2 statuit: « Firmo praescripto § 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item *ab acatholicis nati*, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint ».

(1) Tractatus canonicus de sacra ordinatione, n. 873.

Quinam dicendi essent *ab acatholicis nati*, disputabatur inter commentatores Codicis. Nonnulli censebant comprehendi natos ab *utroque* parente acatholico, non autem ab alterutro tantum; plerique id negabant. Praeterea quidam tenebant non intelligi natos ab acatholico parente, qui praestitisset cautiones, de quibus in can. 1061 et 1071.

Pontificia Commissio utrumque dubium authentice resolvit *affirmativa* responsione. Et merito quidem; nam can. 1099, § 2 non distinguit inter alios et alios natos ab acatholicis, sed generale statuit principium, quo omnes *ab acatholicis nati*, absque ulla restrictione, declarantur immunes a canonica forma servanda in matrimonii celebratione. Responsum habet peculiare maximumque practice momentum. Hinc sequitur, infantes ex *mixtis* nuptiis natos qui, licet baptizati fuerint in Ecclesia catholica, tamen ob incuriam partis catholicae aliamve causam adoleverint in haeresi aut schismate vel sine ulla religione, habendos esse tamquam ab acatholicis natos ideoque immunes a forma iuridica celebrationis matrimonii, quoties cum parte acatholica contrahere velint.

Quibus attentis, facile intelligitur responsum a S. Officio die 24 iul. 1929 Episcopo Limburgensi datum. Hic Episcopus sequens dubium resolvendum proposuerat:

« Iacobus R., natus die 2 sept. 1899 in pago Münster prope Dieburg ex matrimonio mixto (matre catholica, patre acatholico), matre catholica anno 1903 mortua, ab anno 1905 (in infantili aetate) a patre acatholice educatus in religione sic dicta neoapostolica, in qua etiam confirmatus, anno 1921 die 8 iul. civiliter, die 9 iul. 1921 secundum ritum neoapostolicum Johannam G., protestanticam, in matrimonium duxit. Quod matrimonium propter discordias inter coniuges mense decembri 1927 a tribunali civili dissolutum est.

Nunc vero Jacobus R. novum matrimonium cum muliere catholica inire cupit. Quare oritur quaestio de validitate primi matrimonii cum Iohanna G. mense iulio 1921 initi ».

S. Officium, re diligenter perpensa et omnibus consideratis circumstantiis in casu concurrentibus, die 24 iul. 1929 respondendum mandavit: « Matrimonium contractum inter Iacobum R. et Iohannam G. esse validum ».

III.

Ad III. Ex can. 1166, § 2, « Episcopus consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent ». Agitur de praescripto *liturgico* simul et *disciplinari*. Hinc ad *formam* quod attinet, id est quod ad quantitatem et qualitatem ciborum, iure responsum fuit, ieiunium in consecratione ecclesiae esse moderandum secundum communem ieiunii ecclesiastici legem, de qua in can. 1251 ss. Inde tamen minime sequitur cessare obligationem ieiunii, si consecratio habenda sit feria secunda vel postridie alicuius festi de praecepto. Hoc in casu aut in ipso pervigilio consecrationis ieiunium servandum est aut anticipandum in sabbato seu die praecedenti. Praescriptum can. 1252, § 4 nequit applicari, quia ieiunium *semper* servandum est, licet secundum formam a Codice praefinitam. Nullam sane exceptionem ponit can. 1166, § 2 aut responsio a Pontificia Commissione data. Neque ulla profecto est ratio cur huiusmodi obligatio, aliter ac in ceteris casibus, relaxetur: agitur quippe de obligatione *semel* tantum implenda.

Quaeri potest utrum ieiunium sit de praecepto, an de consilio tantum. Dubitandum non est quin sit de praecepto, ut declaravit S. R. C. in *Mechlinien.*,

29 iul. 1700, ad I et in *Camberien.* 12 sept. 1840 (1) S. Officium, die 14 dec. 1898, iussit servari decretum S. D. C. in *Mechlinien.* diei 29 iul. 1780, ad I (2).

Verba can. 1166, § 2, superius relata, perspicue innuunt agi de praecepto, non autem de mero consilio, cum expresse dicatur « *ieiunent* ».

Ulterius quaeri solet, utrum sub gravi, an sub levi dumtaxat urgeat ieiunium. Plures auctores censent urgere sub gravi. Quae sententia verior est, quia materia est gravis ideoque gravem quoque secum ferre videtur obligationem. Nonnulli tamen censent esse levem, quam opinionem probabilem putamus.

Tenentur praefata obligatione, praeter Episcopum consecrantem, omnes « *qui petunt ecclesiam sibi consecrari* ». Huiusmodi sunt parochus seu rector ecclesiae, laicus fundator sive patronus qui ab Episcopo consecrationem petat; si Capitulum postulat, omnes capitulares tenentur ad ieiunium.

Idem dicas de domo religiosa aut confraternitate, si petat ecclesiam sibi consecrari : ieiunium servandum est ab omnibus sodalibus. Paroeciani, licet agatur de ecclesia paroeciali, non tenentur ieiunare, nisi forte revera postulent ecclesiam *sibi* consecrari. Ex responsione data a S. C. C. die 3 iul. 1909 tenetur ad ieiunandum non solum parochus in officio iam constitutus, sed etiam parochus legitime designatus, licet nondum in munere constitutus, qui consecrationem saltem implicite petat (3).

Facultas dispensandi a ieiunio, hodie aliter atque olim, pertinet ad S. C. Concilii ad normam can. 250.

IV.

Ad IV. Dubium duo respicit, nimirum *postulantes* et *alumnos scholarum apostolicarum.* Nomine *postulan-*

(1) *Decreta auth.* nn. 2519, 2821.
(2) *A. S. S.* XXXI, p. 533.
(3) *A. A. S.*, I. p. 623.

tium veniunt in iure illae personae, quae in domo religiosa, mutui experimenti causa, legitime commorantur intuitu novitiatum seu religionem ingrediendi. Postulatus iure communi hodie praescribitur pro omnibus candidatis in religionibus mulierum cum votis perpetuis; in religionibus virorum itidem cum votis perpetuis praecipitur tantum pro conversis; iure autem particulari vigere potest in ceteris sive virorum sive mulierum religionibus cum votis temporariis (can. 539, § 1).

Inter *postulantes* et *novitios* datur vera distinctio iuridica ad normam Codicis, qui expressis atque perspicuis verbis distinguit postulatum a novitiatu (cfr. can. 539, § 1, 540, § 1, 541, 553, 555, § 1, 3°), statuitque novitios, aliter ac postulantes, iuribus et privilegiis religionis frui (can. 567, § 1, 614).

Praeterea animadvertendum est, *postulantes* distingui a *famulis* domus religiosae; *tum* quia illi commorantur in domo religiosa non servitii causa, sed mutui experimenti gratia; *tum* quia iidem quandocumque velint, libere possunt discedere e domo religiosa, dum famuli ob contractum explicitum aut implicitum, ante praefinitum famulatus tempus, discedere nequeunt, insciis aut invitis Superioribus domus.

Can. 1221 quoad funus ius speciale statuit pro *novitiis* et *famulis* actu inservientibus et intra septa domus religiosae stabiliter commorantibus, eosque praeditos peculiari exemptione a parochi potestate edicit. At nullam facit mentionem de *postulantibus,* ideoque iisdem nequaquam applicari potest ea in re funeraria specialis dispositio, de qua in can 1221. Obstat quippe clarus et perspicuus huius canonis textus.

Alia dubii pars respicit *alumnos scholarum apostolicarum.* Isti nec novitiis, ut palam est, assimilantur nec famulis, cum educationis causa commorentur in

praefatis scholis, non vero servitii sive famulatus gratia. Igitur praescriptum can. 1221, quod expresse loquitur de religiosis, de novitiis et famulis, nequit iisdem applicari, cum ipsi nec religiosi nec novitii nec famuli sint. Res apertissima est. Iure igitur meritoque Pontificia Commissio Codicis declaravit praescriptum can. 1221 non extendi ad *postulantes* et ad *alumnos scholarum apostolicarum* in religionibus.

V.

Ad V. Requiritur licentia S. Sedis ad alienanda duo aut plura obiecta, quorum valor *coniunctim* excedit pretium 30.000 libell., licet separatim unumquodque obiectum huiusmodi pretium non attingat. Non valor singularum rerum, sed valor *omnium* rerum, quae per modum unius alienantur, *coniunctim* quidem sumptarum, spectandus est.

Id liquet: 1^0 ex verbis ipsis can. 1532, § 1, 2^0; 2^0 ex fine legis; 3^0 ex doctrina et iurisprudentia veteri ad quam nos remittit can. 6, 2^0, 3^0 et 4^0. Sane:

1^0 Can. 1532, § 1 statuit licentiam S. Sedis requiri ubi agitur de alienandis rebus « quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum ». Obvius et manifestus est huius praescripti sensus: si res ecclesiasticae alienandae, sive plures sint numero sive paucae sive forte una tantum, *quoties* earum valor superat 30.000 libell seu franc., *toties* venia Sedis Apostolicae opus est. Nisi sapientissimus legislator hunc sensum obvium relatis verbis tribuere voluisset, profecto aliis vocibus debuisset uti. Aliud sane foret dicendum, si can. 1532, § 1, 2^0 diceret requiri S. Sedis licentiam ad alienandas res, quae *singulae* valorem excedunt 30.000 libell., aut formula aequivalenti uteretur. Quare nihil interest, utrum de una aut de duabus pluribusve rebus agatur, dummodo sermo sit de

unico actu sive negotio alienationis et res pertineant ad *unam* et *eandem* personam moralem ecclesiasticam.

Id confirmatur ex ipso can. 1532, § 1 qui remittit ad can. 1530, § 1, ubi memorantur res ecclesiasticae tum immobiles tum mobiles usu fungibiles, seu quae servando servari possunt. Porro res immobiles possunt esse tales sive natura sua seu naturaliter, sive ratione destinationis seu civiliter, ut aiunt. Ex. gr. agri vel domus sunt res immobiles natura sua, fenestrae et portae sunt immobiles ratione destinationis, quatenus ad perpetuam utilitatem rei immobilis, nempe domus, destinatae censentur. Etiam istae res civiliter immobiles subsunt praescripto can. 1532, § 1, 2^0; at si res *singulae* attendendae forent, vix aut ne vix quidem applicanda occurreret dispositio praedicti canonis, quia *singulae* fenestrae aut portae aliaeque res huiusmodi valorem triginta millium libell. seu franc. ordinarie non excedunt.

Idem dicendum de rebus mobilibus. Singillatim sumptae praefatum valorem paucae, immo paucissimae - nisi sint pretiosae, quae huc non spectant - excedunt; ideoque, contraria hypothesi admissa, dispositio can. 1532, § 1, 2^0 fere inutilis dicenda foret. Quod a priori denegandum, reverentiae causa erga supremum maximumque Legislatorem. Igitur non singulae res separatim spectandae, sed omnes res, quae alienari debent, ad unam eamdemque personam moralem pertinentes, considerandae sunt *coniunctim* earumque valor copulative attendendus, quoties per modum unius alienantur.

Accedit alia confirmatio ex eodem can. 1532, § 4 : « Si agitur de alienanda re divisibili, in petenda licentia « aut consensu pro alienatione exprimi debent partes « *antea alienatae;* secus licentia irrita est ». Attendi debet *unitas* tum physica tum moralis rei cuius partes sint alienatae aut alienandae. Physica unitas erit

cuiuspiam agri; moralis unitas erit bibliothecae vel collectionis aut gregis. Porro si lex ecclesiastica adeo rigorose urget, sub poena quidem nullitatis licentiae, tutelam rei divisibilis alienandae, a fortiori debet urgere et urget reipsa, per interventum Sedis Apostolicae, tutelam rerum ecclesiasticarum, quae sive separatim sive coniunctim valorem 30.000 libell. excedunt.

2⁰ Quae huc usque dicta sunt plane confirmantur ex fine ipsius legis. Sacri canones bonorum ecclesiasticorum alienationem merito improbant, et, nonnisi iuris solemnitatibus religiose servatis, alienandi faciunt potestatem (1).

Ecclesia vult ut serventur praedictae sollemnitates iure praescriptae, ne damnum patiantur ecclesiasticae personae morales. Hae quippe, sive collegiales sive non collegiales, minoribus aequiparantur (can. 100, § 3); idcirco peculiari iuris tutela, perinde ac minores, protegi ac defendi debent.

Porro ex alienatione rerum alicuius personae moralis *per se* eadem efficitur eius conditio oeconomica idemque constituitur status, sive agatur de uno obiecto quod valorem 30.000 libell. excedat, sive agatur de pluribus obiectis quae *simul sumpta* huiusmodi pretium attingant. Finis legis igitur, unus atque idem est in utroque casu, tuitio nempe personae moralis ecclesiasticae, ne ex alienatione damnum patiatur. Unde si licentia S. Sedis requiritur in priore casu, etiam in altero procul dubio postulatur.

3⁰ Tradita doctrina vim et confirmationem obtinet ex disciplina ante Codicem vigente, quae ad normam can. 6, 2⁰, 3⁰, et 4⁰ necessario attendenda est. Sane S. Congr. Concilii iurisprudentia res, pro quibus alie-

(1) Cfr can. 1580; cap. 1, 5, 6, 8, 10, 12, X. *de rebus ecclesiae alienandis vel non*, III, 13; c. 1, *de rebus ecclesiae non alienandis*, III, 9, in VI⁰; c. 1, *de rebus ecclesiae non alienandis*, III, 4, in *Clem.*; c. un., *de rebus ecclesiae non alienandis*, III, 4, in Extravag. com.

nandis apostolicum beneplacitum requirebatur — ad normam can. *Terrulas*, 53, c. XII, q. 2; tit. *de rebus ecclesiae alienandis vel non*, X, III, 13; *de rebus eccl. non alien.*, III, 9, in VI; idem tit. III, 4, in Clem.; Const. *Ambitiosae*, c. un. eiusd. tit. III, 4, in Extravag. comm. — considerabat non modo singillatim sumptas, verum etiam *coniunctim* acceptas, adeo ut opus esset licentia S. Sedis pro alienandis quoque reditibus et censibus, pro caedendis arboribus, etc. (1).

Concordant omnes auctores (2).

Quibus perpensis, manifesta cuique apparet responsio a Pontificia Codicis Commissione authentice hac de re data.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

---

45. — Pont. Commissio pro Russia

Instructio ad Ord. locorum 26 aug. 1929

DE RUSSIS AD CATHOLICAM ECCLESIAM REDEUNTIBUS

Postulata Ordinariorum locorum.

Edito in *Actis Apostolicae Sedis* (6 Februarii 1929, pag. 94) Pont. Commissionis Pro Russia decreto « De Russis ad Catholicam Ecclesiam redeuntibus » (3), nonnulli locorum Ordinarii mature huic Commissioni significandum curaverunt se recte vim et mentem intellexisse decreti, utpote debitam in re tanti momenti cautelam praescribentis, praesertim cum de personis vel parum notis vel prorsus ignotis agatur. Obiecerunt tamen aliqui aditum sive ad Pontificiam Commissionem sive ad Legatos Apostolicos plerumque, maxime in casibus urgentioribus, impossibilem evadere vel saltem *in mora*, uti aiunt, non deesse periculum.

Quapropter rogaverunt ut sibi necessariae et opportunae traderentur agendi normae quibus in bonum animarum, nulla

(1) S. C. C. *Ariminen.*, 18 nov. 1747; *Fanen.*, 29 ian. 1791; *Romana*, 16 aug. 1806; *Mathelicen.*, 1 mart. 1817; *Beneventana*, 24 ian. 1829; *Capuana*, 15 iul. 1848, etc.

(2) Cfr. SCHMALZGR., lib. III, tit. 13, n. 3 ss.; Card. PETRA, *Comm. ad Const apost., Const. Pauli II*, sect. 2, n. 12 ss.; PIRHING, lib. III, tit. 13, n. 1 ss.; LUCIDI, *De visitatione SS. Liminum*, cap. 7, n. 273 ss.; WERNZ, III, n. 161 ss.

(3) Cfr. *Per.*, hic supra, p. 123.

interposita mora quae ipsi dissidentium conversioni obesset, ministerium suum explere valerent.

Eorum zelus laudatur, mentem suam fuisse commendandi prudentiam S. Commissio confirmat.

Laetatur quidem haec Pontificia Commissio tanta Ordinariorum in fratres nostros separatos, carissimos sane, cura et sollicitudine; finem autem et mentem eiusdem Decreti confirmat fuisse debitam commendare prudentiam, ut quaevis causa praecidatur Ecclesiam Catholicam calumniis afficiendi, quasi ipsa fratrum nostrorum adversa fortuna abutens, eos ad se attrahere studeat. Quapropter admirabilem Ordinariorum zelum in Russos, quos idem Summus Pontifex tanta prosequitur caritate, magnopere laudat atque commendat, iisque normas quae sequuntur, non pro clericis tantum sed etiam pro laicis attendendas tradit.

I. — De Laicis

Potestas Episcopi ad recipiendos prudenter laicos.

Edicit Pontificia Commissio, cum de laicis agatur, Episcopi esse potestatem non in casibus urgentioribus tantum sed et ordinariis eos admittendi et recipiendi in Ecclesiae Catholicae unitatem, dummodo eos qui admitti postulant ita noverit ut prudens iudicium de recta animi dispositione deque sufficienti circa Fidem et Ecclesiam Catholicam cognitione efformare possit.

Attentio habenda de baptismo et confirmatione

In memoriam revocanda sunt de validitate Baptismi et Confirmationis dissidentium responsa et decreta S. Officii.

Inquisitio de matrimonio;

Praestat vero exquirere utrum in schismate matrimonium contraxerint, quo modo, coram quo, utrum habita dispensatione super aliquo impedimento, qui eam indulserint. Cuius fuerit alter coniux religionis; utrum celebratum matrimonium solutum fuerit, quibus causis et a quo; utrum novum contraxerint matrimonium. Denique omnia ita investigare oportet ut comperiatur quodnam matrimonium validum sit.

de causis quibus ad unitatem Ecclesiae inducti sunt.

Item prudenti atque circumspecta investigatione explorandum est utrum causae et argumenta, quibus ad unitatem Ecclesiae inducti sunt, spiritualia et supranaturalia, an mere humana sint, prouti praesens eorum egestas et inopia: hoc enim in casu potius essent pro posse adiuvandi atque fratrum caritati valde commendandi. Interdum autem ne reiiciantur neve derelinquantur, sed prudenti committantur sacerdoti qui ipsos catholicam doceat doctrinam, praesertim de unitate Ecclesiae, de Romani Pontificis primatu, de Immaculata Virginis Conceptione, de Purgatorio, etc.

Monitio de ritus electione.

Cum sufficienter instructi atque dispositi inveniantur, de ritus electione sunt monendi, quin contra eorum propensionem ad latinum ritum assumendum eos inducere praesumatur. Satius erit dignitatem et pulcritudinem Orientalium rituum explicare,

quid Ecclesia catholica de ritibus iisdem sentiat et doceat, et quantum iis favere studeat. Si quis tamen e Russis, omnibus recte perpensis, ritui latino adhaerere maluerit, eidem adscribi poterit.

Formula abiurationis mittetur.

Formulam abiurationis et Fidei professionis ad Episcopos in quorum dioecesibus frequentes habitant Russi, et etiam ad alios Ordinarios qui petierint, remittendam curabit haec Pont. Commissio.

His itaque normis obtemperantes non tenentur Rev.mi Ordinarii in singulis casibus huic Commissioni recurrere.

Officium Episcopi admittendi probatos.

Qui cum satis noverint personas de quibus agitur, necnon si casus ferat, statum earum domesticum, atque prudens efformaverint iudicium de earum recto bonoque animo et consilio, deque sufficienti dispositione et doctrina, uti supra dictum est, possunt et debent ad unitatem Catholicae Ecclesiae eas admittere tum in casibus consuetis tum, immo ratione fortiori, in urgentioribus, exempli gratia cum sit celebrandum matrimonium, servatis iis quae in abiuratione et mixtis nuptiis Apostolica Sedes servanda constituit.

Respondebitur dubiis

Sciant tamen Rev.mi Ordinarii hanc Pontificiam Commissionem semper esse paratam ad qualiacumque, circa Russos in Ecclesiam Catholicam recipiendos, dubia vel quaesita examinanda atque solvenda. Dum zelum prudentem Ordinariorum iterum atque iterum laudat, eos vehementer hortatur haec Pont. Commissio, ut singulari studio christianae puerorum et adolescentium russorum institutioni incumbant, cum ipsi animos ad verum et bonum procliviores habeant. Ordinarii autem quotannis de iuniorum reditu ad Ecclesiam Catholicam doceant Pont. Commissionem, nec non de alicuius pueri vel adolescentis ad statum ecclesiasticum amplectendum propensione.

Singulare sit studium de adolescentibus. Annua de his relatio mittenda

II. — DE CLERICIS, SCILICET SACERDOTIBUS ET DIACONIS

Cur maior cautela de clericis in ordine sacro praecipiatur.

Maiore procedendum est cautela si de sacerdotibus vel diaconis agatur; non diffidendi causa, quod absit omnino, sed quia in clericis diuturnior requiritur institutio; resque est graviore cura attendenda, praesertim quod ad futurum tempus attinet. Experientia enim numquam his in rebus nimiam adhiberi prudentiam docuit.

Quaenam exploranda sint.

Itaque praeter diligentiorem amplioremque inquisitionem quam, congrua congruis referendo, pro laicis requiritur, certiores fiant Ordinarii de eorum ordinatione, studiis; quae idiomata loqui legere scribere valeant, et quali perfectione: utrum

latinam ita calleant linguam ut possint praelectionibus S. Theologiae dogmaticae et moralis aliquo cum profectu interesse.

Requiratur etiam cuius hierarchiae vel fractionis hierarchicae quisque subditus fuerit, utrum decursu temporis de una ad aliam transierit. An protestanticae sectae adhaeserit eidemve adscribi conatus sit. Utrum post ordinationem sacram absque ministerio ecclesiastico, tamquam laicus vixerit.

Relatio ad Commissionem vel ad Legatum Apostolicum.

Inquisitio insuper fiat circa uniuscuiusque mores et vitae probitatem. Qua expleta inquisitione, Ordinarius casum huic referat Commissioni vel si res urgeat, Apostolico in regione Legato, qui iuxta peculiares normas sibi ad rem traditas sese geret.

De clericis admissis monenda Commissio.

De clericis in Ecclesiam Catholicam admissis Ordinarii hanc Pontificiam Commissionem mature monebunt.

Dies (26 aug. 1929).

Datum Romae, ex Secretaria Pontificiae Commissionis pro Russia, die 26 Augusti anno 1929.

L. ✠ S.

A. Card. SINCERO, *Praeses.*

C. MARGOTTI, *Secretarius.*

ACTA SUMMATIM RELATA

46. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

A. *De Motu Proprio coordinante Pontificia opera missionalia.*

Ad incrementum Missionum catholicarum apud exteras gentes exsistunt tria opera litteris enc. BENEDICTI XV *Maximum illud* (1), 30 nov. 1919, et litteris pariter enc. gloriose regnantis Pontificis *Rerum Ecclesiae* 28 feb. 1926 (2), summopere commendata. Sunt autem: *Opus a Propagatione Fidei*, quod princeps est ad sustentandas Missiones; *Opus a Sancta Infantia*, ad baptizandos decedentes infidelium parvulos, quod etiam puerorum catholicorum pecuniis alitur; *Opus a Sancto Petro Apostolo*, quo educationi et institutioni cleri indigenae Missionum prospicitur. *Opera quae coordinantur.*

Tria ista opera distincta manere et propriis uti legibus vult S. Pontifex.

Motu autem Proprio *Decessor Noster*, 24 iun. 1929, ut inter se coordinentur et caritatis spiritu fraternaque necessitudine succrescant, has normas sequendas praecipit.

I. Secretarius generalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quemadmodum est Praeses generalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei, ita Praeses Generalis esto *Pontificii Operis a Sancto Petro Apostolo* pro institutione cleri indigenae, sicut iam ab initio a Sacra Congregatione de Propaganda Fide statutum fuerat. *Motu Proprio* *Normae coordinationis*

II. Secretarius generalis *Pontificii Operis a Propagatione Fidei* Consiliarius semper sit in Consilio generali Pontificii Operis a Sancto Petro Apostolo; itemque Secretarius generalis *Pontificii Operis a Sancto Petro Apostolo* iure Consiliarius esto in Consilio generali *Pontificii Operis a Propagatione Fidei.*

III. *Summum Consilium* (seu *Comitatus supremus*) constituatur Pontificiis Missionum Operibus regundis; quod quidem constabit Praeside Operum Pontificalium pro Missionibus, Secretariis generalibus ipsorum Operum unoque Consiliario singulorum Operum a Consilio eorundem electo.

(1) A. A. S., XI, 440; *Per.*, X, 20.
(2) A. A. S., XVIII, 65; *Per.*, XV, 1.

IV. Comitatui huiusmodi Praeses Pontificalium Operum pro Missionibus praesideat; qui, prout res postulaverint, ipsum convocabit.

V. Comitatus huius erit omnia providere ut unumquodque Opus ordinatim fructuoseque propriam actionem explicare valeat, atque difficultates, si quae inter diversa Opera obortae fuerint, componere.

VI. In diversis nationibus Director Nationalis Operis *a Propagatione Fidei* esto pariter Director Nationalis Operis *a Sancto Petro Apostolo* (ubicumque idem exsistit).

VII. Item in diversis nationibus Secretarius Nationalis Operis *a Propagatione Fidei* iure Consiliarius esto in Consilio Operis *a Sancto Petro Apostolo;* et Secretarius Operis *a Sancto Petro Apostolo* iure Consiliarius esto Operis *a Propagatione Fidei.*

VIII. In diversis nationibus *Comitatus* sit *nationalis* pro Pontificiis Missionum Operibus, qui quidem constabit Directore Nationali Pontificalium Operum pro Missionibus, quae sint in natione, Secretariis nationalibus eorundem Operum, unoque Consiliario singulorum Operum a Consilio nationali ipsorum Operum electo.

IX. Comitatus huius, cui praeerit Director Nationalis Pontificalium Operum, munus erit in unaquaque natione ea curare quae ad commune bonum pertinent ipsorum Operum, intra Nationis limites exsistentium; itemque difficultates, quae inter diversa Opera in natione exsistentia fortasse occurrerint, dirimere.

X. Diversorum Pontificalium Operum pro Missionibus unum sit *Commentarium generale,* atque unum in Nationibus singulis *Commentarium nationale.* Ut autem a lectoribus nihil desideretur de operibus quae utcumque ad Missiones pertinent, opportuna ac certa spatia reservabuntur pro Operibus *a Propagatione Fidei, a Sancto Petro Apostolo* et *a Sancta Infantia.* Aliae publicationes (praeter Commentaria quae diximus) fiant ob peculiares atque non communes rationes, a Comitatu seu Generali seu Nationali probandas. *Commentarium generale* praeviae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide censurae submittatur.

Subduntur S. Cong. de Prop. Fide

Volumus ut in posterum — quod ceteroqui vel olim fuit — Pontificia Opera Missionalia Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subsint, cuius quidem tam magna ea sunt adiumenta. Munus igitur sit Sacrae huius Congregationis praecipuam quandam curam de Pontificiis his Operibus habere

diligenterque eorundem progressui invigilare; de quo Nobis statis temporibus, vel quoties peculiaris aliqua ratio id postulaverit, referatur.

Hortatio

In tanto hoc studio atque sollicitudine, quibus Nos Pontificia Missionum Opera provehere contendimus, agnoscat optimus quisque quantopere Nobis intersit ut ea cotidie magis, ad tot animarum salutem, vigeant ac floreant, quamque grato animo eos omnes prosequamur qui quoquo modo eadem iuvant; imprimisque sollertes Episcopos eosque ex utroque clero homines, qui vel in Operum Consiliis vel concionando alacriterque allaborando, Nobis dant operam in regno Christi per terrarum orbem universum feliciter amplificando. (A. A. S., XXI, 1929, 342 ss.).

Motu Proprio

B. *De Motu Proprio quo Pont. Opus « a S. Petro Apostolo, » propriis et definitis statutis donatur.*

Postquam historica operis fata retexuit, S. Pontifex, Motu Proprio *Vix ad Summi Pontificatus*, 24 iun. 1929, haec statuta sanxit.

Statuta operis a S. Petro Apostolo.

I. Pontificium Opus a S. Petro Apostolo, ex ipsa natura sua eo spectare oportet, ut Sacrae Congregationi Fidei propagandae adiumento sit, in clero indigena rite sancteque instituendo ac praesertim in Seminariis maioribus vel minoribus excitandis, ubicumque rerum adiuncta id postulare videntur.

II. A christifidelibus preces piaque opera eo consilio postulet, ut caelestis pastorum Princeps quam plurimos velit ex ethnicis nationibus iuvenes bene animatos superno quodam instinctu ad sacerdotium vocare, itemque velit quos sua aspirante gratia ad huiusmodi inceptum sanctissimum allexerit, iidem scientia ac virtute praestantes omnino evadant.

III. Postulet praeterea a fidelibus ut suam quisque opem pro viribus conferant, sive certam quotannis donando pecuniae vim, sive stipem in populo corrogando, sive aliquem e Seminarii alumnis, ut aiunt, adoptando, sive denique annuum reditum, vulgo *borsa di studio*, constituendo, quo unus saltem e sacris hisce levitis sustentari atque educari perpetuo possit.

IV. Sedem principem Romae habeat in aedibus Sacrae Congregationis Fidei propagandae, a cuius quidem auctoritate ut diximus, omnino pendeat.

V. Operi praesideat universo Secretarius generalis Sacrae Congregationis Fidei propagandae, qui, sicuti ad munus moderandi Operis a propagatione fidei, ita ad hoc pariter munus expresse a Summo Pontifice eligitur, quique Opus de consensu E.mi Praefecti eiusdem Sacrae Congregationis regat, sessioni-

bus Consilii generalis praesit, eiusque deliberationes ad opportunum exitum dirigat.

VI. Opus praeterea moderetur Consilium generale Romae constitutum, quod, praeterquam ex Praeside generali, constet ex viris Consiliariis, qui a Sacra Congregatione Fidei propagandae ad quinquennium eligantur inter sacerdotes e variis nationibus Romae degentes, in quibus pium hoc opus iam vigeat.

VII. Si quis ex Consiliariis ad episcopalem ordinem vel ad Romanae purpurae dignitatem evehatur, hoc ipso a Consiliarii munere cesset.

VIII. In hoc praecipue, uti peculiare munus suum, Consilium generale studiose incumbat: scilicet ut opes ac subsidia, quaecumque ad Pontificium Opus pertinent, — exempli gratia stips corrogata, alumnorum missionalium adoptiones ac reditus (vulgo *borse di studio*), ad ecclesiasticam eorum institutionem perficiendam — aequabiliter distribuantur. Curet praeterea ut Opus in singulis nationibus maiora quotidie incrementa capiat.

IX. Consilii generalis pariter esto peculiaria instituta ac leges Consiliorum Nationalium, ut aiunt, excutere ac probare, rationes ab iisdem quotannis redditas perpendere et regesta recognoscere.

X. Consilium generale singulis mensibus in unum conveniat, ut pecunia resque aliae a fidelibus oblatae aequabiliter distribuantur, eaque — probante quidem Sacra Congregatione Fidei propagandae — ad quos spectant accurate mittantur. Penes Praesidem ius esto Consilium generale convocandi.

XI. Consilium generale id decernat ac statuat, quod maiori parti Consiliariorum placuerit. Decreta vero, quae de rebus maioris momenti ferri contingat, Sacrae Congregationi Fidei propagandae et per eandem Summo Pontifici probanda subiiciantur.

XII. Quotannis, cum moderatores nationales Pont. Operum Missionalium Romae simul adsunt, in communem coetum conveniant, ut una cum Praeside ac Consiliariis Operis a Sancto Petro Apostolo in hac alma Urbe degentibus, ea, quae ad idem Opus pertinent, opportune pertractent.

XIII. Omnes Missiones Sacrae Congregationi Fidei propagandae subiectae, prout eorum necessitates postulant, a Pontificio Opere a Sancto Petro Apostolo pro viribus iuvandae sunt.

XIV. Pontificium Opus a S. Petro Apostolo Secretarium habeat generalem, qui, proponente quidem Consilio generali, a Sacra Congregatione Fidei propagandae eligatur, eiusque ad

nutum suo munere fungatur. Secretario generali certum quoddam statuatur ac tribuatur honorarium.

XV. Secretarii generalis officium esto, Praeside generali probante, ea omnia curare, quae ad ordinariam Operis administrationem pertinent.

XVI. Idem, Consilii mandata diligenter exsequendo, res ordinet atque disponat in generalibus coetibus agendas; in coetibus tamen Consilii Generalis suffragii tantum *consultivi* ius habeat.

XVII. Omnibus officialibus inferioribus a Consilio generali, prout res postulat, delectis, Secretarius generalis praesit, curetque ut iidem proprium cuiusque munus fideliter naviterque obeant, atque attente invigilet ut Arcarius rem sibi concreditam accurate regat.

XVIII. Thesauri custos arcam pii Operis diligentissime custodiat, curetque ut, probante Consilio generali, pecunia tuto frugiferoque modo collocetur.

XIX. Quotannis Arcarius accepti et expensi accuratam rationem reddat quae ratio a duobus censoribus in hanc rem a Consilio generali deputatis excussa atque probata, Consilio generali iterum probanda subiiciatur.

XX. De collata a fidelibus cuiusvis generis stipe et de aequabili eiusdem partitione facta, quotannis accurata et publica descriptio fiat.

XXI. Pontificium Opus a S. Petro Apostolo in singulis nationibus ubi viget, proprium constituat Consilium nationale, quod quidem suum habeat secretarium suosque officiales, circa quos, congrua congruis referendo, ea quae de Consilio generali statuta sunt diligenter serventur; de Directoribus vero nationalibus in Litteris *Decessor Noster* a Nobis hoc eodem die *Motu proprio* datis, iam provisum est.

XXII. Consilia nationalia opes a fidelibus oblatas, quantaecumque sunt, - sive pecuniam, sive missionalium alumnorum adoptiones, sive denique reditus (*borse di studio*) ad eorum ecclesiasticam institutionem conficiendam - secundum normas a Consilio generali statutas administrent, vel ad idem Consilium Generale transmittant.

XXIII. Consiliis nationalibus vetitum est proprio arbitrio distributiones facere, vel subsidia concedere, atque etiam sacricolarum adoptiones reditusque (*borse di studio*) ad eorum ecclesiasticam institutionem conficiendam, alicui adiudicare. Quae omnia, pro recta totius Operis administratione, Consilio generali reservantur.

Nominatio Secretarii Generalis.

Cum autem Consilium generale operis a Sancto Petro iuxta normas supra datas nondum constitutum sit, pro hac vice nominationem Secretarii generalis eiusdem Operis Nobis reservamus, idque munus dilecto filio Petro Coffano, Antisti Urbano, hactenus Directori pro Italia Pontificii Operis a Propagatione Fidei committimus. (A. A. S., XXI, 1929, 345 ss.)

C. *De Sacro Consistorio.*

Acta Consistorii 15 iul. 1929.

Die 15 iulii 1929 fuit Consistorium Secretum, in quo SS. D.us, recepta e manibus RR. Card. RAGONESI Perula Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium, eam tradidit Rev.mo Card. LOCATELLI, pro hoc anno Sacri Collegii Camerario; dein, brevi facta allocutione, Cardinalem creavit ILDEPHONSUM SCHUSTER, Abbatem et Ordinarium abbatiae S. Pauli extra Urbis moenia, electum archiepiscopum Mediolanensem; tum, commemorato defuncto Patriarcha Syrorum, ratam habuit electionem seu postulationem factam ab Episcopis Syris de persona Vener. Archiepiscopi Aleppensis TAPPUNI, ut Patriarchae Ecclesiae Antiochenae Syrorum, postremo viduatis Ecclesiis providit. (A. A. S., XXI, 1929, 457).

Successit die 18 iulii 1929 Consistorium publicum et Consistorium secretum in quo etiam postulationes palliorum admissae sunt.

D. *De Collegio Russico.*

Collegii Russici constitutio.

Bulla *Quam curam*, 15 aug. 1929, S. Pontifex, Apostolica Auctoritate, Seminarium seu Collegium Russicum constituit. Ei nomen indit S. Theresiae ab Infante Iesu, cuius nomine sufficiens aedibus exstruendis et instruendis pecuniae vis oblata est. Vult autem « ut in illud adolescentes in primis e Russica dicione ac ritu slavico-byzantino recipiantur qui suis civibus fide catholica excolendis, Deo inspirante, operam navare cupiant; aliique praeterea iuvenes qui, ex qualibet gente oriundi, ritu slavico-byzantino plerumque suscepto, se totos populis reipublicae Russicae ad unicum Christi ovile reducendis dedicare firmiter statuerint ». Pro cuiusque praeteritorum studiorum genere, hi omnes apto annorum numero alentur et applicabuntur iis philosophicis ac theologicis atque etiam peculiaribus aliis disciplinis quas legitimi Superiores necessarias iudicabunt. Societatis Iesu alumnis regendum et moderandum tradetur. Fiducialibus votis Bulla concluditur (A. A. S., XXI, 1929, 577).

E. *De Privilegiis Americae latinae.*

Americae latinae Privilegia ad decennium concedentur, reformato schemate 18 apr. 1898.

Brevi *Litteris apostolicis*, 30 apr. 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI, reformato schemate privilegiorum quae a Leone XIII, die 18 apr. 1898 ad triginta annos concessa erant, novum promulgavit schema privilegiorum, quae spectant: 1. usum, ex facultate Ordinarii, formulae Pauli III ad benedicendam aquam baptismalem, — 2. ritum Pauli III *Altitudo* 1 iun. 1537, in baptizandis adultis, — 3. deputationem sacerdotum — non tamen simplicium, — ad ministrandum sacramentum Confirmationis; — 4. delegationem sacerdotum missionariorum ad assistendum nuptiis; — 5. dispensationem quorundam impedimentorum matrimonii; — 6. receptionem omni anni tempore benedictionis nuptialis; — 7. usum oleorum sacrorum antiquorum, deficientibus recentioribus; — 8. usum ex licentia Ordinarii altaris portatilis, non tamen in mari; — 9. celebrationem Missae in navi, durante itinere, ex licentia Ordinarii; — 10. tempus paschale a septuagesima ad festum SS. Apost. Petri et Pauli; — 11. indulgentias et iubilaea lucranda sine Confessione et Communione. — 12. appellationem in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem Provinciae viciniorem ei a quo primum lata fuit sententia.

Conciuditur amplissima abolitione omnium privilegiorum antea concessorum (A. A. S., XXI, 1929, 554).

Observationes

Observes a) facultatem delegandi missionarios pro assistentia matrimoniis intellegi debere de delegatione generali, cum delegatio particularis de se ab Ordinario dari possit; —

b) ritum Pauli III in baptizandis adultis permissum, describi in *Fontes*, I, 141 sic: « Primum, aqua sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Catechismus et Exorcismus fiat singulis. Tertium, sal, saliva, capella et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, chrisma ponatur singulis in vertice capitis. et oleum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellorum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte quam ratio puedicitiae demonstrabit ».

c) celebrationem in navi complecti, ut explicite dicitur, celebrationem in mari et in flumine.

d) revocationem aliorum privilegiorum: omnium et singulorum, cuiuscumque nominis vel formae, etiam speciali et individua mentione dignorum, tam universalem esse ut nihil re vera subsistere videatur gratiarum anteriorum. Quae res cum gravitate non careat, authentica declaratio verae mentis S. Pontificis fortasse subsequetur.

F. *Beatificationes.*

Theresia Margarita Redi Beata renuntiatur.

1. Brevi *Decor Carmeli,* 9 iunii 1929, venerabilis Serva Dei THERESIA MARGARITA REDI a Sacro Corde Iesu, ex Ordine Carmelitarum Discalecatorum monialis professa, Beata renuntiatur (A. A. S., XXI, 1929, 473).

Claudius de la Colombière Beatus renuntiatur.

2. Brevi *Ardenti amore,* 16 iunii 1929, venerabilis Dei Famulus CLAUDIUS DE LA COLOMBIÈRE, presbyter, professus e Societate Iesu, Beatus renuntiatur (A. A. S., XXI, 1929, 477).

Cosma de Carboniano Beatus renuntiatur.

3. Brevi *Martyrum corona,* 22 iunii 1920, Dei Famulus DER GOMITAS KEUMURGIAN seu COSMA DE CARBONIANO, presbyter et parochus armenus, Beatus renuntiatur (A. A. S., XXI, 1929, 482).

Franciscus Maria a Camporubeo beatus renuntiatur.

4. Brevi *Mites corde,* 30 iunii 1929, Dei servus FRANCISCUS MARIA a CAMPORUBEO, laicus professus Ordinis Minorum S. Francisci Cappucinorum, Beatus renuntiatur (A. A. S., XXI, 1929, 485).

Litterae de Dioecesibus. Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.

Madraspolitana, Pondicheriensis Nellorensis.

1. Bulla *Ad maius Religionis,* 3 Iulii 1928, fit nova archidioecesium *Madraspolitanae* et *Pondicheriensis* circumscriptio ac dioecesis *Nellorensis* erectio (A. A. S., XXI 1929, 465).

Erectio dioecesis Toowoombaënsis.

2. Bulla *Christano nomini,* 28 Maii 1929, archidioecesis Brisbanensis in Australia dismembratur ac nova erigitur dioecesis *Toowoombaënsis* (A. A. S., XXI, 1929, 468).

Sedes archiepiscopalis Tridentina.

3. Bulla *Inter ceteras curas,* 14 Iunii 1929, sedes episcopalis *Tridentina* evehitur ad archipiscopatum (A. A. S., XXI, 1929, 471).

Residentia Patriarchae Ciliciae Armenorum.

4. Brevi *Commissum Nobis,* 15 octobris 1928, sedes seu residentia Patriarchae Ciliciae Armenorum restituitur *in Bzommar* prope Berythum in Libano. (A. A. S., XXI, 1929, 548).

Ecclesia Constantinopolitana.

5. Brevi *Praedecessor Noster,* 15 actobris 1928, rertituitur archiepiscopalis Ecclesia *Constantinopolitana* Armenorum (A. A. S., XXI, 1929, 549).

Praefectura apostolica de Tsining in Sinis

6. Brevi *Ex apostolico Munere,* 8 Februarii 1929, dismembrato territorio ex vicariatu apostolico de Siwantze erigitur praefectura apostolica de *Tsining* in Sinis, cleri indigeni curis tradenda (A. A. S., XXI, 552).

Fines immutantur in Africa, in gallica colonia Congoensi.

7. Brevi *Pastorale officium,* 8 februarii 1929, fines immutantur inter vicariatum apostolicum de *Brazzaville* et praefecturam tapostolicam de *Ubanghi-Chari* in Africa (A. A. S., XXI, 1929, 553).

8. Brevi *Litteris apostolicis,* 25 ianuarii 1929, erigitur in Syria diocesis *Berytensis Armenorum* (A. A. S., XXI, 1929, 581). *Dioecesis Berytensis Armenorum.*

9. Brevi *In longinquis latisque,* 15 feb. 1929, distracto territorio ex vicariatu apostolico de Tatsienlu atque ex dioecesi Calcuttensi erigitur missio independens *de Sikkim* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 584). *Missio de Sikkim in Sinis*

10. Brevi *Ut Evangelium,* 20 feb. 1929, ex vicaricatu districtus Orientalis Promontorii Bonae Spei separato territorio, erigitur missio independens *Queenstown* (A. A. S., XXI, 1919, 585). *Missio de Queenstown, in Africa.*

11. Brevi *Pastorale officium,* 20 feb. 1929, a vicariatu apostolico de Swatow separato territorio, erigitur praefectura apostolica de *Kayng* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 586). *Praefectura apostolica de Kuying erigitur in Sinis.*

12. Brevi *Ut aucto Pastorum,* 21 feb. 1929, dismembrato territorio ex vicariatu apostolico de Wuhu, erigitur vicariatus apostolicus de *Anking* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 589). *Erigitur vicariatus apostolicus de Anking in Sinis.*

13. Brevi *Ea, quae catholicae,* 21 feb. 1929, ex vicariatu apostolico de Wuhu seiuncto territorio, erigitur vicariatus apostolicus de *Pengpu* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 590). *Erigitur vicariatus de Pengpu in Sinis.*

14. Brevi *Litteris apostolicis nostris,* 17 martii 1929, immutatur titulus praefecturae apostolicae olim de Hpyeng-an nunc de *Peng-Yang* (A. A. S, XXI., 1929, 593). *Praefectura apostolica de Peng. Yang in Sinis.*

15. Brevi *Cum Vicarius apostolicus,* 18 martii 1929, distracto territorio ex vicariatu apostolico de Chengtingfu in Sinis, erigitur praefectura apostolica de *Chaoshien,* et clero indigenae commititur (A. A. S., XXI, 1929, 594). *Erigitur praefectura apostolica de Chaoshien in Sinis.*

16. Brevi *Ad animorum bonum,* 30 martii 1929, praefectura apostolica de *Sapporo* in laponia ad vicariatus apostolici gradum evehitur (A. A. S., XXI, 1929, 595). *Praefectura apostolica de Sapporo in Iapone.*

H. *Litterae de monasteriis.*

Brevi *Monasterii S. Mariae,* 18 septembris 1928, in abbatiam sui iuris erigitur monasterium S. Mariae Bonae Spei, monialium O. S. B. apud Colwich in archidioecesi Birmingamiensi. (A. A. S. XXI., 547). *Monasterium S. Mariae Bonae Spei*

I. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Peruvianis in finibus,* 11 feb. 1929, Limanum templum B. M. V. a Rosario, Ordinis Praedicatorum, (A. A. S., XXI., 1929, 582). *Limanum templum B. M. V. in Peruviana dicione.*

Sanctuarium B. M. V. Gratiarum.

2. Brevi *Faesulanae dioecesis*, 20 februarii 1929, sanctuarium B. M. V. Gratiarum in oppido « S. Giovanni Valdarno » dioecesis Faesulanae (A. A. S., XXI, 1929, 587).

Sacra aedes S. Godefridi.

3. Brevi *Monasterii S. Benedicti*, 23 februarii 1929, sacra aedes S. Godefridi confessoris, in oppido Ilbenstad intra dioecesis Moguntinae fines, O. S. B., (A. A. S., XXI, 1929, 591).

Templum S. Iosaphat.

4. Brevi *Archiepiscopali in urbe,* 10 mart. 1929, templum S. Iosaphat Episcopi et martyris, in civitate Milwaokiensi, (A. A. S., XXI, 1929, 592).

Templum B. M. V. Sagiensis dioecesis.

5. Brevi *Sagiensis dioecesis*, 29 augusti 1928, templum B. M. V. liberatricis fidelium defunctorum, in oppido Monteligeon Sagiensis dioecesis (A A. S., XXI, 1929, 545).

Templum Immaculati Cordis B. M. V. in civitate S. Iacobi de Chile.

6. Brevi *Missionariorum filiorum,* 6 februarii 1929, templum Immaculati Cordis B. M. V., in civitate S. Iacobi de Chile, Congregationis Missionariorum Filiorum eiusdem Immaculati Cordis (A. A. S., XXI, 1929, 551).

47. — S. Congregatio Consistorialis

Bolivarensis dismembratio

A. *Dismembrationes et uniones.*

Decreto 23 aprilis 1929, territorium paroeciae *Mocas* seiungitur e dioecesi Bolivarensi (A. A. S., XXI, 1929, 558).

Dismembratio et unio Portus Principis-Capitis Haitiani et Gonaivensis.

2. Decreto 25 iunii 1929, territorium dioecesis *Gonaivensis* comprehendit provinciam Artibonite; paroeciae *Hinche, Maissade, Marmelade, S. Michel* separantur a dioecesi Capitis Haitiani et ecclesiae Gonaivensi coniunguntur, similiter paroecia de *Thomonde* (A. A. S., XXI, 1929, 558).

B. *Inmutatio finium.*

Mutationes: Rinya, Orzechowo, Pieczkowo, Blier.

1. Decretis: 7 iunii 1929, pagus « *Rynia* » a paroecia « Zegrze » divisus atque paroeciae « Nieporet » coniunctus est; Pagi « *Orzechowe* » et « *Pieczkowo* » a paroecia Debno separati, decanatui Miloslaw uniti sunt;

2. 28 iunii 1929, pagus « *Blier* » una cum territorio adiacente separatus a paroecia S. Eleutherii, paroeciae S. David de Sully est incorporatus (A. A. S., XXI, 1929, 559).

48. — S. Congregatio de Religiosis

Approbationes Institutorum vel Constitutionum

Petites Soeurs Dominicaines.

1. Decreto 12 mart. 1929, approbatur Institutum Sororum,

vulgo *Petites Soeurs Dominicaines Garde-Malades des Pauvres,* una cum constitutionibus. *Garde-Malades des Pauvres.*

2. Decreto 12 mart. 1929, approbantur constitutiones Instituti Sororum, vulgo *Ausiliatrici delle anime del Purgatorio.* *Ausiliatrici delle anime del Purgatorio.*

3. Decreto 12 mart. 1929, definitive approbantur constitutiones Instituti Sororum, vulgo *Suore della Dottrina Cristiana.* *Suore della Dottrina Cristiana.*

4. Decreto 12 mart. 1929, constitutiones Instituti Sororum, vulgo *de la Retraite Chrétienne,* ad septennium approbantur. *Soeurs de la Retraite Chrétienne.*

5. Decreto 12 mart. 1929, *laudatur* Institutum Sororum, vulgo *Francescane della S. Famiglia,* eiusque constitutiones ad septennium approbantur. *Francescane della S. Famiglia.*

6. Decreto 30 aprilis 1929, *laudatur* Institutum *Sororum a S. Ioseph,* eiusque constitutiones ad septennium approbantur. *Sorores a S. Ioseph.*

7. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum Sororum, vulgo *Petites Soeurs de la Sainte Famille,* cuius domus princeps in dioecesi Sherbrooken sita est, *laudatur,* eiusque constitutiones ad septennium approbantur. *Petites Soeurs de la Sainte Famille.*

8. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum Sororum vulgo *Missionarie dell' Immacolata Concezione della Madre di Dio,* cuius domus princeps in praelatura nullius Santaremensi sita est, *laudatur,* eiusque constitutiones ad septennium approbantur. *Missionarie dell' Immacolata Concezione della Madre di Dio.*

9. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum Sororum *Mariae Ss.mae Consolatricis,* cuius domus princeps in archidioecesi Mediolanensi sita est, approbatur eiusque Constitutiones, ad septennium approbantur. *Sorores Mariae Ss.mae*

10. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum *Sororum a Sacra Familia,* cuius domus princeps in dioecesi Mechliniensi sita est, et eius constitutiones ad septennium approbantur. *Sorores a Sacra Familia.*

11. Decreto 30 aprilis 1929, constitutiones sororum *a Doctrina Christiana* definitive approbantur. *Sorores a Doctrina Christiana.*

12. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum Sororum, vulgo *Francescane Missionarie di Maria Ausiliatrice,* cuius domus princeps in dioecesi Carthaginensi sita est, *laudatur,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Francescane Missionarie di Maria Ausiliatrice.*

13. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum Sororum, vulgo *Povere Scolastiche del Terzo Ordine di S. Francesco Serafico,* cuius domus princeps in diocesi Linciensi sita est, *laudatur,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur. *Suore Povere scolastiche del Terzo Ordine di S. Francesco Serafico.*

Suore Terziarie Domenicane di Nostra Signora del Sacro Cuore.

14. Decreto 30 aprilis 1929, Institutum sororum, vulgo *Terziarie Domenicane di Nostra Signora del S. Cuore*, cuius domus princeps in dioecesi Capifontensi sita est, *laudatur*, eiusque constitutiones ad septennium approbantur.

Suore di S. Francesco della B. V. M. degli Angeli.

15. Decreto 30 aprilis 1929, constitutiones Instituti Sororum, vulgo di *S. Francesco della B. V. M. degli Angeli*, cuius domus princeps in dioecesi Trevirensi sita est, definitive approbantur.

49. S. Congregatio Rituum

S. Marg. Mariae festum sub rite duplici ad totam Ecclesiam extenditur

A. Die 26 iunii 1929, precibus Ill. Episcopi Augustodunensis, votis plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, fere innumerabilium Sacrorum Antistitum, necnon Superiorum Ordinum et Congregationum religiosarum, praeeunte universa familia Monialium Ordinis Visitationis B. M. V., SS. D. N. Pius Pp. XI libenter obsecundans, festum S. Margaritae Mariae Alacoque suprema et apostolica sua auctoritate, pro utroque clero ad universam Ecclesiam extendit. Praeterea Officium cum Missa proprium et Elogium Martyrologio addendum ratum habuit et in festo die 17 octobris quotannis sub ritu duplici recolendo ab universo Clero saeculari et regulari adhiberi decrevit.

Festum S. Edwigis in 16 oct. reponitur.

Festum autem S. Edwigis viduae, in diem 16 octobris fixe transfertur et reponitur. (A. A. S., XXI, 1929, p. 606. A p. 601 exhibetur Officium, Missa, Elogium S. Marg. Mariae.)

B. *Causae Beatificationis et canonizationis.*

Ven. Claudius de la Colombière.

1. Die 7 iunii 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI:

a) in causa Ven. Servi dei Claudii de la Colombière, solemniter edixit procedi posse ad eius sollemnem Beatificationem (A. A. S., XXI, 1929, 505).

Ven. Fr. Franciscus Maria a Camporubeo

b) In causa Ven. Servi Dei Fr. Francisci Mariae a Camporubeo, sollemniter decrevit procedi posse ad eius sollemnem Beatificationem (A. A. S., XXI, 1929, 507).

Ven. Ioanna Delanone

c) In causa Ven. Servae Dei Ioannae Delanone, sollemniter edixit constare de eius heroicis virtutibus (A. A. S. XXI 562).

Petrus Renatus Rogue.

2. Die 12 iunii 1929 SS. D. N. Pius Pp. XI:

a) propria manu signare dignatus est Commissionem Introductionis causae martyrii Servi Dei Petri Renati Rogne, presbyteri Congregationis Missionis, in odium fidei, uti fertur, interempti (A. A.S., XXI, 1929, 564).

Serva Dei Catharina Iarrige.

b) propria manu signare dignatus est Commissionem introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Catharinae Iarrige (A. A. S., XXI, 1929, 567).

50. — S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Viterbiensis et Tuscanensis Seminaria.

Decreto 15 iunii 1928, uniuntur Seminaria Viterbiensis et Tuscanensis in Seminarium interdioecesanum Viterbii constituendum (A. A. S., XXI, 1929, 571)

51. — S. Paenitentiaria Apostolica.

Ieiunium iubilaei nec die ieiunii praecepti nec die abstinentiae utiliter servari potest.

De ieiunio utili ad lucrandum iubilaeum extensiva interpretatio, quae imminens nuntiabatur, re vera data non est. Manent igitur quae supra p. 90* scripta sunt probabilitate carere opinionem quae ieiunium iubilaei existimabat feria VI vel alia die simplicis abstinentiae aut die ieiunii sine abstinentiae utiliter servari posse.

52. — Instructiones de pacto inter Apostolicam Sedem et regnum Italiae concordato.

Datae Instructiones.

Die 20 iun. 1929, S. C. *Concilii* litteras circulares misit ad omnes Ordinarios Italiae de administratione bonorum beneficialium et ecclesiasticorum ad normam iuris canonici et Concordati. Reperiuntur in *A. A. S.*, XXI, 1929, p. 384.

Die 1 iulii 1929, S. C. *de Sacramentis* instructionem dedit ad Ordinarios, et per eos ad parochos Italiae de exsecutione art. 34 Concordati circa matrimonium. Instructio refertur *A. A. S.*, XXI, 1929, p. 351.

Die 3 aug. 1929, *Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae* litteras circulares misit ad Ordinarios Italiae, quod ad sententias de nullitate matrimonii, ad normam art. 34 Concordati. Exscribuntur *A. A. S.*, XXI, 1929, p. 511.

De matrimonio haec pauca notare iuvabit quae, etiam extra Italiam, novisse gratum esse videtur.

Observatio liminaris.

Status Italiae sic dicto matrimonio civili non renuntiavit, ita ut omnibus, attenta civili lege, occasio sit civiliter contrahendi, sed matrimonio religioso civiles effectus tribuit, et propria impedimenta magis ad legem canonicam aptavit, quod ad aetatem et dissensum parentum seu tutoris.

Obligatio catholicorum.

Catholici gravi obligatione tenentur celebrandi solum matrimonium religiosum, ita ut qui civiliter nubant, etiamsi postea

in facie Exlesiae contrahere statuerint, tractandi sint ut peccatores publici ad normam C. 1066: « Si publicus peccator... prius ad sacramentalem confessionem accedere... recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua si fieri possit, consulat Ordinarium. »

De bannis. Parochus ad quem, secundum can. 1023 § 1, celebratio matrimonii spectat, debet scripto petere ut banna in municipio nuntientur.

Quae viva voce nuntiantur, per se postulant intervallum 15 dierum; si, annuente Episcopo, mere affigantur, tunc sufficiunt octo dies, in quibus duo sint festa de praecepto, qualia sunt etiam Dominicae.

In bannis expressa mentio fieri debet, prout casus fuerit, dispensationis ab impedimento, vel a matrimonio non consumato, sententiae nullitatis, licentiae datae ab Ordinario celebrandi matrimonium, non obstante legis oppositione vel contrarietate.

Dispensationem a bannis ecclesiastice datam debet etiam officialis civilis a competente auctoritate civili impetrare; i. e. a procuratore regio vel a procuratore regio generali, prout una vel utraque proclamatio omittenda videatur.

Parochus certior factus de oppositione vel de impedimento civili ad celebrandum matrimonium, sine expressa Ordinarii facultate non procedet, nisi oppositio manifesto vana fuerit, vel opponatur matrimonium civile inter ipsos sponsos celebratum.

De celebratione matrimonii. Recepto partium consensu, celebrans civiles effectus explicat, et coram testibus matrimonii legere debet tres articulos Codicis civilis de iuribus et officiis coniugum.

Effectus civiles Ab ipso celebrato matrimonio civiles effectus gignuntur, si intra quinque dies iu tabulas municipales referatur. Quare intra quinque dies municipio notificari debet.

Non notificatur tamen matrimonium conscientiae.

Convalidatio et legitimatio prolis. Nullitates, convalidationes et sanationes in radice etiam officiali civili communicantur.

Subsequens matrimonium canonicum, si in civiles tabulas refertur, effectus gignit legitimationis filiorum.

Privilegium Paulinum. Normae canonicae de privilegio Paulino observantur, sed cura relationis ad potestatem civilem committitur Secretariae Status.

Perinde agendum est ubi mors prioris coniugis praesumatur, nisi tribunal civile mortem praesumptam declaraverit.

Separatio coniugum. Sententia civiles de separatione canonicos effectus gignit,

nisi legi divinae vel canonicae contraria fuerit; idque etiam si matrimonium fuerit ante Concordatum celebratum.

Apostasia alterius coniugis et periculum perversionis sunt per se, tamquam iniuriae graves, causae separationis.

Effectus pronuntiatae nullitatis,

Nullitas matrimonii pronuntiata ab auctoritate ecclesiastica sive ante sive post 8 aug. 1929, dissolutionem matrimonii civilis inducere potest, si nullitas profecta sit ab impedimento quod lege civili agnitum sit.

Dispensationis in non consummato vel solutionis ob sollemnem professionem.

Dispensatio in non consumato matrimonio, eius solutio ob professionem sollemnem civiliter agnosci possunt, si communicatae fuerint Supremo Tribunali Signaturae et per eam civili Curiae appellationis.

53. — Provisio Ecclesiarum

In Consistorio nominati sunt :

15 iulii 1929: R. D. Alexander Guidato ep. Naxiensis, Tinensis, Myconensis, ex ep. tit. Adadensi. *Naxos, Tine, Micone (Grecia).*

Emmanuel Ribeiro Vieiro de Castro, ex ep. S. Thomae de Meliapor, archiepiscopus Goanus et Damanenis. *Goa - Damao (Indiae Orient).*

Ioannes M. Aemilius Castellani, archiepiscopus Rhodiensis. *Rodi (Rhod. insula).*

Petrus Gyura, archiepiscopus Dyrrachiensis. *Durazzo (Albania).*

Caelestinus Endrici, archiepiscopus Tridentinus. *Trento (Italia).*

Thomas Williams, archiepiscopus Birminghamiensis. *Birmingham (Anglia).*

Paschalis Diaz, ex ep. Tabasquensi, archiepiscopus Mexicanus. *Messico (Mexic.).*

Ildephonsus Schuster, archiepiscopus Mediolanensis. *Milano (Italia).*

Aloisius Silva Lezaeta, ex ep. Olenensi, ep. Antofagastensis. *Antofagasta (Chilens.).*

Albertus Costa, ex ep. Melphiensi, Rapollensi Venusino, episcopus Lyciensis. *Lecce (Italia).*

Ioannes Franciscus O' Heru, episcopus Roffensis in America. *Rochester (S. U. A.).*

Robertus Armstrong, episcopus Sacramentensis. *Sacramento (S. U. A.).*

Nicolaus Bares, episcopus Hildeshiensis. *Hildesheim (Prussia).*

Bernardus Sullivan, episcopus Patnensis. *Patna (India).*

Franciscus Petronelli, episcopus Abellinensis. *Avellino (Italia)*

Pius Freitas, episcopus Joinvillensis. *Joinville (Bras.).*

Emmanuel Arce y Ochotorena, episcopus Zamorensis. *Zamora (Hispania)*

Lucianus Perez Platero, episcopus Segobiensis. *Secovia (Aus.)*

Ioannes Bapt. Anselmo, episcopus De Dinaspur. *Dinaspur (India).*

Ioannes Costantini, episcopus Lunensis. *Luni (Italia).*

Caesar Guerrero, episcopus de Lingayen. *Ling. (S. Salvatoris).*

Marcolinus de Souza Dantas, episcopus Natalensis. *Natal (Brasil).*

Porto Rico (Antille).

Edwinus Byrne, ex ep. Ponunsi, episcopus Sancti Ioannis Portoricensis.

Ponce (Insula Portoric.).

Alosius Wellinger, episcopus Poncensis.

Wladislavia (Polonia).

Carolus Radouski, ex ep. Berisseno, episcopus Vladislaviensis seu Calissiensis.

Meath (Hiber.).

Thomas Mulvany, episcopus Midensis.

Ragusa (Regnum Serb Croat-Slovach.)

Iosephus Carević, episcopus Ragusinus.

Vannes (Gallia).

Hippolytus Trébion, episcopus Venetensis in Gallia.

Montauban (Gallia).

Aemilius Roques, episcopus Montis Albani.

Melo (Uruguay.).

Michael Paternain, episcopus Melensis.

Eliopoli (Syria).

Geraldus Patricium O'Hara, episcopus Heliopolitanus.

Tarbes - Lourdes (Gallia).

Petrus Gerlier, episcopus Tarbiensis et Lourdensis.

Down - Connor (Hibernia).

Daniel Mageean, episcopus Dumnensis et Connorensis.

Plymouth (Anglia).

Ioannes Barrett, episcopus Plymuthensis.

Langres (Gallia)

Ludovicus Tillon, episcopus Lingonensis.

Holar. (Islandia).

Martinus Meulenberg, episcopus Holarensis.

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt :

Saint Andrew - Edinburgh (Scotia).

19 iul. 1929, R. D. Iosephus Mac Donald, metropolitanae ecclesiae Sancti Andreae et Edimburgi.

Roma (Italia).

26 iul. 1929, R. D. Hildebrandus Vannucci O. S. B., abbatiae nullius Sancti Pauli extra moenia Urbis.

Garanhuns (Brasil).

2 aug. 1929, R. D. Antonius de Paiva, ex ep. Ilheosensi, cathedrali ecclesiae Garanhunensi.

Lages (Brasil.).

2 aug. 1929, R. D. Daniel Hostin, cathedrali ecclesiae de Lages.

Uberaba (Brasil.).

2 aug. 1929, R. D. Antonius Colturato, cathedrali ecclesiae Uberabensi.

54. — Nominationes.

A. *Brevibus Apostolicis :*

Canal. Suess.

R. P. Angelus Maria Hiral, ex ord. Fratrum Minorum, Vicarius apostolicus Canalis Suesii.

Islandiae.

R. D. Martinus Meuslenberg, e Missionariis Societatis Mariae, Vicarius Apostolicus Islandiae

Ankuo (in Sinis).

Rev.mus D. Melchior Sonen, Episcopus titularis Esbonensis, Vicarius Apostolicus de Ankuo in Sinis.

B. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt :*

Praesides Pont. operis a Propagatione Fidei in Cecoslovachia :

13 iun. 1929, Mauritius Picha, pro Bohemis; *Pro Bohemis.*
13 iun. 1929, Venceslaus Feierfeil, pro Germanis; *Pro Germanis.*
13 iun. 1929, Alexander Illnitzky, pro Ruthenis; *Pro Ruthenis.*
13 iun. 1929, Andreas Skrabik, pro Slovachis ; *Pro Slovachis.*

55. — Necrologium.

21 iun. 1929, Ill. D. Antoniuis Leão, episcopus Portugallensis. *Oporto.*
25 iul. 1929, Ill. D. Franciscus Rossi, episcopus Ferrariensis. *Ferrara.*
30 iul. 1929, Ill. D. Adolpus Manier, episcopus Bellicensis. *Belley.*
5 aug. Em. Card. Antonius Mendes Bello, Patr. Lisbonensis. *Lisboa.*
23 sept. 1929, Em. Card. Ludovicus Ernestus Dubois, Archiepiscopus Parisiensis. *Paris.*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

J. E. Van Roey (Card.). *De Virtute charitatis quaestiones selectae.* Vol. (15 × 23), pag. II-368, Mechliniae, Dessain, 1929.

Praefatio. - Charitas virtutum praestantissima. - Charitas forma virtutum. - Charitas radiix meriti. - Relatio operum meritoriorum in Deum. - Bona intentio. - Obiectum formale charitatis fraternae. - Consectaria moralia. - Ordo charitatis: inter diligendos; inter bona et necessitates.

Charue André. *L'incrédulité des Juifs dans le Nouveau Testament. Étude historique, exégétique et théologique.* Vol. (16 × 25), pag. 368, Gembloux, Duculot, 1929.

Introduction. - Le milieu Juif. - L'incrédulité des Juifs dans les Évangiles synoptiques. - L'incrédulité des Juifs dans le quatrième Évangile. - L'incrédulité des Juifs dans les Actes des Apôtres. - L'incrédulité des Juifs dans les Épitres pauliniennes.

Aicher Georg. *Der Prozess Iesu.* Vol. (17 × 25), pag. 102; Bonn, Schroeder, 1929, M. 4,50.

Vorwort. - I. Wer hat Iesus zum Tode verurteilt? II. Warum wurde Iesus zum Tode verurteilt?: A. Der Standpunkt des Synedriums; - B. Der Standpunkt des Pilatus.

Fr. Gerardus M. Paris (O. P.). *Ad mentem S. Thomae Aquinatis tractatus de Ecclesia Christi ad usum studentium theologiae fundamentalis.* Vol. (15 × 22) pag. VII. - 254, Torino, Marietti, 1929. Prezzo L. 12.

Ad lectorem. - Introductio. - Tractatus de ecclesia Christi. - Ipsa ecclesia in se considerata: nomen et eius significatio, institutio; constitutio, perfectio. - De qualitatibus Ecclesiae Christi: notae generales, particulares; indefectibilitas; infallibilitas. De obiecto infallibilitatis; Magisterium; Potestas; Relationes inter Ecclesiam et Statum. - Tractatus de Romano Pontifice: De primatu S. Petri, Romani Pontificis: - De vi et ratione Romani Pontificis. - Appendices: concilia, traditio, Sancti Patres, auctoritas theologorum, auctoritas S. Thomae.

P. Gommarus Michiels (O. M. C.). *Normae generales iuris canonici.* 2 Vol. (18 × 26), pag. 521-541, Lublin, Universitas Catholica, 1929. Generalia: Ius canonicum. - Codex. - Eius efficacia, subiectum

Ad haec igitur praecavenda postulat necessitas, ut hostiae apte etiam conficiantur, et quidem ab iis, qui non solum honestate praestent, sed etiam ipsis conficiendis sint experti, idoneisque instrumentis instructi. Hinc est quod quibusdam in locis cum munus hostias parandi, vinumque, pro Sacramento conficiendi, laudabili consilio, religiosis utriusque sexus sodalibus commissum fuerit, res prospere cessit.

Quod autem in Missalis rubrica sacerdoti altare petituro praecipitur, videlicet ut in apparando calice, fragmenta, si quae hostiam circumstent, caute amoveat, id ipsum peragere expediens erit, antequam particulae, quae communicandis Christi fidelibus inserviunt, in pyxidem ab eo, ad quem spectat, collocentur; atque hunc in finem prudens erit easdem particulas non acervatim in pyxidem iniicere, sed singulas in eadem apte disponere.

Quo facilius sacerdos ex corporali fragmenta colligat, oportebit ut hoc frustulis careat, quae ex accensis super altare cereis excidere saepe solent, cum, istis permixta, aliquando haud facile discriminari queant. Studendum itaque, ut idem corporale, sanctissimum Christi corpus excepturum, candidum iugiter servetur, et quaevis ab eo macula absit; itemque munda sint oportet sacrae mensae mantilia, palla, atque linteolum, quod ad detergendum calicem adhibetur.

Ne autem fragmenta in humum decidant quoties sacerdos Christi Corpus fidelibus praebet, sive ipsa directe, sive ex distenta mappa prolabantur, prudentissime dimidio fere praeterito saeculo mos fuit inductus, parva utendi patina, ex metallo confecta, subter eorum mentum apponenda. Facilius siquidem ac tutius, quam super protensa mappa, eadem fragmenta in illa sistunt, faciliusque pariter a sacerdote cerni colligique possunt. Et ipsa sacra Congregatio, tuendis praeposita Ritibus Ecclesiae, cum super hoc, die 16 Martii an. 1876 percontata fuisset, nullum contrarium emittens iudicium, respondit: « non esse interloquendum », unde idem mos pluribus in regionibus vigere coepit, et late se diffudit.

Alia causa dispergendis Eucharistici Sacramenti fragmentis, facile haberi potest, cum, peculiari aliqua circumstantia, sive ex Apost. Sedis indulto, sive facta locorum Ordinariis facultate ex iure id permittendi, sub dio Missa celebratur, flantibus interdum ventis. Ad praecavendam fragmentorum dispersionem, curandum erit quod altare, ubi Missa erit litanda, tribus e lateribus, tabulis tegatur; vel tentorium adsit super altare obductum, et ad tria eius latera descendens in formam aediculae, quo ipsum altare a ventis protegatur, vel alia ratione id fiat, consentanea cum reverentia tanto mysterio debita.

Cura de servanda SS. Eucharistia in triduo ultimo maioris hebdomadae.

III. Quoad asservationem Sacramenti Eucharistici ultimo triduo maioris hebdomadae, hoc adservatur ad Missam Praesanctificatorum celebrandam, et ad Communionem infirmis dandam.

a) S. Hostia pro Missa Praesanctificatorum, adservanda est in sacello intra Ecclesiam, quo pulchrius fieri poterit, ornato luminibus, velis, non nigris tamen aut lugubribus, et floribus, sine reliquiis aut imaginibus sanctorum vel Beatissimae Virginis et S. Ioannis Evangelistae, remotisque statuis, scenas Passionis repraesentatibus.

Capsula autem seu arca, ubi calix cum S. Hostia est reponendus, adorantibus nullimode pateat, et obseretur clave; super ostiolo capsulae, sigilla apponi non licet. Id statuitur Rubricis Missalis Romani et decretis S. C. Rituum.

Ex S. Rituum Congregationis decreto N. 3939, « Romana » haec habentur: « Utrum liceat ad exornandum praedictum altare (sepulcri) adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, aliasque huiusmodi ? » Resp. « Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tolerare: caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur » (15 Decembris 1896).

Et n. 2873, « Narnien. »: « Cuinam tradenda sit clavis ostioli supradicti » (Arcae in qua asservatur SS. Sacramentum Feria V in Coena Domini) ? Resp. « luxta alia decreta, Canonico vel Sacerdoti in crastinum celebraturo » (7 Decembris 1844). Cui decreto consonant decreta sub numero 635, 813, 912, 2335, 2830, 2833, 2904 et 579.

b) Pro Communione infirmis danda, in Ecclesiis parochialibus, aliisque, a quibus accipi solet Sanctissima Eucharistia, servandae sunt aliquae particulae consecratae in pyxide, circa cuius repositionem haec serventur. luxta mentem Rubricarum ista extra Ecclesiam esset reponenda, sc. prope Sacris-

tiam, in loco opportuno et apto, ubi congrua cum reverentia adservandum erit Sacramentum, non tamen fidelium adorationi expositum, sed tantum, communionem infirmis ministrandi causa custoditum. Huiusmodi locus opportunus et aptus est capella, seu sacellum prope Ecclesiam, vel ipsum sacrarium, aut aliquod parvum conclave sacrarii tutum et decens; aut etiam locus decens in parochiali domo, a domesticis et profanis usibus seiunctus, et a quocumque irreverentiae periculo remotus. Ibi parandum est tabernaculum clave obserandum, lampade coram eodem iugiter ardente, et repositio ipsa Feria V facienda est.

Ubi vero huiusmodi aptus locus non habeatur, sacra pyxis adservanda erit a Missa Feriae V ad Missam Praesanctificatorum ipso in « Sepulcro », uti communiter appellatur, post calicem; a celebrata autem Missa Praesanctificatorum ad Missam Sabbati Sancti, in aliqua remotiore et secretiore capella ecclesiae, ibique lampas accensa maneat. Si autem nullus, praeter « sepulcri » sacellum, locus aptus habeatur, pyxis in ipso sepulcro, usque ad Sabbatum Sanctum remaneat. Lampas ante Sepulcrum accendatur, extinctis ceteris luminibus, iis etiam sublatis, quae ad ipsius ornatum fuerunt apposita. Quod si in aliqua ecclesia Coenae Domini solemnia non habeantur, sacra pyxis suo in altari servari poterit usque ad solis occasum eiusdem Feriae V; posthac usque ad Sabbatum Sanctum, in aliquem ex supra indicatis locis erit collocanda.

Prudentiae ceteroquin Episcoporum erit, quoties enascatur difficultas in harum praescriptionum observantia, quaenam sint aptiora loca ex enunciatis ad eumdem finem, diiudicare, et si non parvi super eadem re irrepserint abusus, ut sedulo isti removeantur, curare.

II. Praescripta facta Ordinariis ex Comitiis 23 mart. 1929.

Quapropter Sacra Congregatio in plenariis Comitis die 23 Martii 1929 habitis, omnibus mature perpensis et discussis, R.mis Ordinariis haec praescribenda esse censuit:

1. Ordinarii, attentis animadversionibus, praeceptis, et decisionibus supra expositis, ea quamprimum statuant, sedulissime servanda a Rectoribus ecclesiarum, et sub horum ductu ab aliis altari inservientibus, ut omne nullitatis periculum a Sacrificio altaris amoveatur, et omnis irreverentiae occasio arceatur.

2. Curent proinde ne in singulis dioecesibus vel civitatibus aut oppidis, pro natura locorum, idoneae desint personae, omnique suspicione maiores, praesertim religiosi utriusque sexus sodales, a quibus ecclesiarum rectores utramque Sacrificii et

Eucharistici Sacramenti materiam, nisi apud se habeant, comparare possint, tuta conscientia adhibendam.

3. Item circa ea quae hostiarum confectionem spectant, iidem rectores advigilare debent, ne in istis fragmenta facile haerentia maneant, efficiantque ut, antequam Missa litetur, caute ac sedulo ea amoveantur, et saltem cribro leviter excutiantur, si ingens hostiarum numerus parandus erit.

4. Pervigilem adhibeant ipsi curam ut hostiae nonnisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae, in pyxide adservatae, frequenter renoventur (Can. I. C. 1272, et *Rit. Rom.*, Tit. IV, cap. I, n. 7); ad quem finem studeant ut tabernacula, ubi sacra collocatur Eucharistia, quantum fieri poterit, ab humido vel a nimio rigido aere sint defensa: humore siquidem exstante, facile hostiae marcescunt, algore autem friabiles fiunt.

5. In diribenda fidelibus sacra Communione, praeter, ante communicantes extensum, linteum albi coloris, iuxta rubricas Missalis, Ritualis, et Caeremonialis Episcoporum, patina erit adhibenda, argento aut metallo inaurato confecta, nullimode tamen artificiosa arte intus exsculpta, quae ab ipsis fidelibus subter eorum mentum erit apponenda, excepto casu, quo sacra Eucharistia ab Episcopo ministratur, vel a Praelato Pontificalibus utente, vel in Missa solemni, adstante sacerdote vel diacono, qui patenam subter communicantium mentum teneat.

6. Monendi sedulo erunt fideles ne, dum suo apponunt mento patinam, et Sacerdoti dein tradunt, aut alteri fideli eam porrigunt, ita eamdem flectant aut invertant, ut, si quae adsunt, fragmenta decidant et disperdantur.

7. Fragmenta autem quae in patina post sacram fidelium Communionem exstabunt, quoties haec intra Missam fuerit diribita, in calicem sedulissime, digiti ope, iniiciantur; in pyxidem vero, si extra Missam sacra Synaxis a fidelibus recipiatur.

Mens autem Sacrae Congregationis non est eas reprobare patinas, cuiusmodi demum sint formae, quae modo adhibentur quibusdam in Ecclesiis, dummodo ex metallo sint confectae, et intus non sculptae, quaeque sint aptae sacris fragmentis colligendis.

8. Ordinarii denique satagant ut ecclesiarum rectores diligentissime munda servent altaria, una cum sacris supellectilibus, illa praesertim quae sacris Speciebus excipiendis inserviunt, et sciant super observantia praefatarum praescriptionum graviter onerari eorum conscientiam.

9. Quoad asservandas sacras particulas, infirmis ministrandas postremo hebdomadae sanctae triduo, Ordinarii locorum

perspectam habeant Rubricarum et Decretorum Sacrae Congregationis Rituum intentionem; scientes easdem asservari non ad publicam venerationem, imo hanc prohiberi; tamen magnopere satagendum esse, ut Eucharistiae Sacramento, habita in primis ratione loci, non desit obsequium congruentis honoris et decoris.

E.mi Patres praeterea mandarunt ut locorum Ordinarii, intra annum a recepta hac Instructione, S. H. Congregationem certiorem reddant de his quae decernere censuerunt, in executionem praescriptionum heic contentarum, et ad abusus forte inolitos convellendos.

Approbatio SS.i.

In Audientia diei 25 Martii 1929, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, audita relatione infrascripti Secretarii H. S. Congregationis, eamdem Instructionem approbavit atque edi iussit, mandans ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos regulares, ad hoc, ut sacerdotibus et religiosis sodalibus respective eam ipsi communicent.

Dies decreti (26 mart. 1929).

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Sacramentorum disciplina, die XXVI eiusdem mensis, anni MDCCCCXXIX.

† M. Card. LEGA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

D. JORIO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Ut ex ipso proemio huius Instructionis patet, S. Congregatio, ne abusus in confectione, susceptione, et asservatione Ss.mi Eucaristiae Sacramenti irreperent, non tam novas praescriptiones imponendas putavit quam ad usum revocandas leges et praescriptiones latas.

In I parte Instructionis, agitur de cautelis servandis in paranda materia huius Sacramenti; reverentia enim tanto Sacramento debita omnino exigit ut haec semper sit indubie certa et sic avertatur periculum omnis idololatriae, etiam materialis, ac praeterea, ut sit omnimodo licita, ne honor ipsi Christo debitus deficiat. Porro, ut notum est, panis in Eucharistia adhibendus debet esse mere triticeus, vinum naturale de genimine

vitis et non corruptum (ita ipse can. 815 § 1 et 3). Panem autem debere esse ad valorem triticeum est prorsus communis doctrina theologorum. Cfr. v. g. BILLOT, *Euch.* in Q. 74, p. 393 ed. 1924; OTTEN, *De Sacr.* s. 3, art. 2, et praecipue VAN NOORT, *De Sacramentis,* n. 387 et 388, qui addit rationes. Unde omnino reiciendus est tamquam materia certo invalida panis ex quacumque alia substantia conflatus, v. g. ex hordeo, ariza, avena, vel alio simili gramine, idemque dicendum de pane confecto ex secali, quippe quod ab omnibus ut specifice a tritico differens habetur; contra diversae varietates tritici valide et licite adhibentur v. g. saligo et spelta. Similiter reiciendum vinum seu liquor ex pomis aliisve fructibus eductus vel ope chemicae artis elaboratus, quamvis sua chemica compositione a genuino vino vix differat.

Reiicienda pariter est, tamquam certo invalida, materia cui maior vel aequalis pars substantiae diversae sit admixta, v. g. panis cui tanta sit addita quantitas alius cerealis ut iuxta communem aestimationem iam dici nequeat simpliciter *panis triticeus,* vel vinum cui aqua maiori vel pari quantitate sit permixta.

Tandem, omnino etiam reicienda est, saltem ut dubia, materia cui, licet non maiori aut pari, *notabili* tamen quantitate alia substantia est permixta. Et notare hic iuvat ut materia illa aestimetur *notabili* quantitate adiuncta, non solum attendendum esse ad massam eius, sed etiam ad influxum quem habet in proprietates organolepticas (seu quae sensus afficiunt) aliasque panis et vini. Sic omnino reiciendus esset panis cui admixta esset, etiam in parva quantitate, materia colorata unde aspectus talis panis omnino ab aspectu panis triticei differret, pariter nullo modo adhiberi posset vinum cui etiam in parva quantitate admiscerentur quaedam aromata quae vino tribuerent gustum prorsus novum vel novas virtutes medicinales.

Haec tamen facile dignoscuntur. Magis cavendae sunt frequentes hodie adulterationes quae proprietates organolepticas intactas relinquunt et immo nonnumquam etiam ope analysis difficillime deteguntur. Ideo Ordinariis praescribitur ut curent ne in singulis dioecesibus, vel civitatibus aut oppidis idoneae desint personae, praesertim religiosi utriusque sexus sodales, a quibus ecclesiarum rectores utramque materiam comparare possint. Peculiaris enim haberi potest difficultas in praeparando vino Sacrificio missae destinato. Etenim in certis regionibus, praesertim in missionibus, vix obtineri potest vinum quod sat diu servari possit. Ratio est quod in illis regionibus uvae non satis maturescunt nec proin sufficientem quantitatem continent sacchari quod, ope fermentationis, convertatur in alcool; ex alia parte nec facile aut sine valde magnis expensis illuc introduci potest vinum genuinum ex aliis regionibus oriundum, tum ob necessitatem addendi huic vino sat magnam quantitatem alcool propter iter maritimum, tum ob periculum fraudis. Instructio igitur vult ut qui in talibus condicionibus vinum parare debent in sacrificio missae adhibendum prae oculis habeant quae hac de re decreverit S. Officium, ne scilicet vino addantur substantiae quae ex vite originem non habeant (1).

Materia insuper debet esse incorrupta. Substantiae enim ex corruptis aut substantialiter immutatis speciebus haud amplius materiam aptam ad conficiendam divinam Eucharistiam constituere possunt. Utrum vero talis materia corrupta aut immutata evadat invalida an tantum illicita, pendet e gradu corruptionis, uti ex principiis superius traditis liquet, et hic etiam applicanda sunt quae diximus de quantitate *notabili* substantiae alienae.

---

(1) De praeparatione vini pro missa conferri potest quae scripsimus in his Periodicis, t. VI, Suppl. XVIII, pp. (57)-(71); et t. XVII, p. 79*.

Ad vitandam illam corruptionem, iterum inculcatur quod in canone 815 et in rubricis Ritualis iam praescribitur, ut scilicet panis sit *recenter confectus,* et sacrae particulae in pyxide asservatae *frequenter renoventur.* Non tamen determinatur quando panis censeatur desinere esse *recens confectus*, aut quotiens hostiae consecratae sint renovandae. Et fatendum sat difficile regulam generalem de hac re statui posse, cum periculum corruptionis pro diversitate regionum et aeris valde differat. Cum autem nunc Ordinariis haec praescriptio iterum inculcetur, ipsorum erit, si nondum hoc fecerint, magis hoc tempus determinare, et eorum decreto omnino erit standum uti iam in Can. 1272 habetur. Profecto, experientia nobis compertum est, ut hostiae ita corrumpantur ut materia invalida evadant, longum requiri tempus, cum etiam post plures annos nullum corruptionis signum prae se ferant; sed vetustate magis fiunt friabiles ac proin facilius ex iis distrahuntur fragmenta.

Pro vino etiam periculum corruptionis habetur, si sit valde debile aut servetur in lagenis aut amphoris apertis vel semiplenis, et ideo praescribitur cavendum ne diutius in talibus lagenis maneat. Ceterum aliud periculum non spernendum occurrere potest, si vinum in amphoris apertis servetur, ut nempe parte vini furtim ablata, pro eo aqua addatur ne fraus pateat. Quaenam autem artificia adhiberi possint ut vinum genuinum obtineatur minus debile, supra dictum est.

In II Instructionis parte agitur de cautelis servandis in susceptione et administratione Sacramenti Eucharistiae et praecipue de cautelis adhibendis ne fragmenta in humum decidant et pereant.

Et primo quidem omnino curandum est ut paucissima sint illa fragmenta. Conficiantur ergo hostiae ab iis qui non solum honestate praestant, sed etiam in conficiendis hostiis sint experti idoneisque instru-

mentis instructi. Plura enim aut pauciora erunt illa fragmenta pro modo quo hostiae fuerint decoctae, et praesertim pro modo quo fuerint postea disectae; experientia enim constat illa fragmenta praecipue margini hostiarum inhaerere et post fractionem in ipsa fractura. Ad vitanda illa fragmenta etiam proderit, ut superius diximus, adhibere panem recens confectum et non minis exsiccatum.

Verum, omnia fragmenta vitare non est possibile; iterum igitur commendatur sacerdoti rubrica Missalis quae iniungit ut in apparando calice fragmenta, si quae hostiae adhaereant, caute amoveantur. Caute, inquam, quia secus potius periculum enascetur haec fragmenta inhaerentia multiplicandi. Sed haec praescriptio nunc extenditur ad particulas quae communicandis fidelibus inserviunt, antequam in pyxidem collocentur: quae igitur non acervatim, sed singulae in eadem apte disponantur. Hoc tamen vix, ac ne vix quidem possibile erit si ingens aut sat magnus numerus hostiarum erit parandus; quo casu praescribitur ut, quod ceteroquin iam plerumque fiebat, hostiae saltem leviter cribro excutiantur antequam in pyxidem immitantur, ut sic adhaerentia fragmenta evelli et separari valeant. Sed in hoc magna prudentia est procedendum et curandum ne nimiae hostiae simul in cribro excutiantur, secus intentum minime obtinebitur, e contra.

Infra missae sacrificium fragmenta, si quae sint, invenientur vel in patena, vel in corporali. In patena facile discernuntur et colliguntur; ut autem sine difficultate etiam in corporali colligi valeant, necesse est ut hoc omni alia re vacuum sit et imprimis frustulis quae ex ardentibus cereis excidere saepe solent; et hac occasione iterum inculcat Instructio strictam obligationem quam habent rectores ecclesiarum curandi ut corporale semper sit candidum et sine ulla macula,

itemque ut munda sint sacrae mensae mantilia, palla, atque linteolum quod ad detergendum calicem adhibetur, quae proin saepe erunt renovanda; vultque ut omnes ad quos pertinet sciant super observantia praefatarum praescriptionum graviter onerari eorum conscientiam. De amylando vel non amylando corporali nihil dicitur. Nihil proin impedit quominus, ubi talis exstat mos, corporalia *leviter* amylo imbuantur, sed iterum vitetur excessus, ne colligendo fragmenta ipsis misceantur particulae amyli, quae vix ab hostiarum fragmentis discerni poterunt.

Aliud periculum admittendi fragmenta occurrit quando sacra Communio fidelibus praebetur. Recte igitur iterum urgetur praeceptum adhibendi mappulam seu linteum album ante communicantes extendendum, et quod iuxta rubricas Missalis, Ritualis et Caeremonialis Episcoporum semper in administranda sacra Communione est adhibendum, etiam cum sacerdos vel minister ad altare communicat. Ex natura rei patet pro hac mappula minime adhiberi posse velum calicis aut extremitatem solae. Nam, praeterquam quod illa non necessario sunt coloris albi, ut praescribitur, in eis certe colligi non poterunt fragmenta : qui tamen finis est legis. Honor Christo Domino debitus pariter prohibet quominus pro hac mappula inserviat manutergium.

Attamen in hac mappa fragmenta non facile discernuntur, ac proin vix colligi possunt, immo ex distenta hac mappa non raro prolabuntur. Ad vitanda haec incommoda, nonnullis in regionibus ab aliquot annis mos invaluit utendi, praeter praedictam mappulam, parva aliqua patina ex metallo confecta subter mentum communicantium apponenda, qui mos a *S. R. C.* non fuit improbatus (1).

---

(1) Decr. 16 martii 1776, de quo in Instructione, non invenitur in *collectione Decretorum authenticorum.*

Usus talis patinae nunc ubique praescribitur. Haec debet esse ex argento aut ex alio metallo deaurato, et intus nullo modo artificiose exsculpta, ita ut in ea facile fragmenta colligi possint. Nihil praeterea de forma huius patinae praescribitur. Ab ipsis fidelibus subter eorum mentum est tenenda dum sacram recipiunt Communionem, et ideo distincta sit oportet a patena missae quae a fidelibus ne tangi quidem potest. Possit quidem ipse sacerdos eam ab altari afferre ad scamnum communionis eamque tradere primo communicanti qui illam sequenti porrigat et ita porro usque ad ultimum qui patinam reddat sacerdoti; congruentius tamen videtur si minister ante communionem patinam primo communicanti afferat et post communionem, eam ab ultimo recipiat et ad altare referat. Post traditam communionem, sacerdos diligentur patinam purificet ut fieri solet in missa pro patena, vel saltem digiti ope diligentissime fragmenta colligat eaque iniiciat in calicem quidem si communio intra missam fuerit distributa, secus in pyxidem.

Usus huius patinae non praescribitur si sacra Communio administratur ab Episcopo vel alio Praelato Pontificalibus utente, cui assistit sacerdos vel diaconus patenam subter communicantium mentum tenens, nec in missa sollemni in qua idem fit a diacono (1). Ac pari ratione patina inutilis fit nec proin adhibenda est cum sacerdos paucas hostias ex sua patena distribuit.

Fatendum est introductionem huius patinae difficultate non vacare, et ut obtineatur intentum, fideles accurate docendi erunt de modo eam tenendi et alteri

(1) Iuxta Rubricas Missalis (Ritus servandus in celebratione Missae X, 9), *In missa solemni si fiat Communio,... Diaconus purificationem* (communicantibus) ***ministret.*** Postquam autem usus ministrandi purificationem obsolevit, iuxta plerosque auctores diaconus patenam tenet subtus mentum communicantium, qui mos nunc non obscure commendatur, vel immo praescribitur.

porrigendi ne fragmenta, si quae in ea sint, decidant et disperdantur. Porro, Ordinariorum erit omnia haec accurate definire et determinare, et ideo rectores ecclesiarum abstinere posse videntur ab introducenda hac patina usque dum Ordinarius practice rem ordinaverit.

Alia causa disperdendi fragmenta habetur, cum missa sub dio celebratur, praesertim flantibus ventis. Ad hoc vitandum praescribitur ut altare sub dio erectum tribus partibus per tabulas vel tentoria a ventis protegatur.

In III parte Instructionis agitur de cautelis adhibendis in asservatione sanctissimae Eucharistiae, praesertim ultimo maioris hebdomadae triduo. Aliis enim temporibus res magnam difficultatem non parit. Commendatur tamen ut tabernaculum, in quo SS. Sacramentum continuo servatur, sit, in quantum fieri potest, ab humido et nimis rigido aere defensum, ut hostiae securius ab omni alteratione immunes serventur; dein, ut altare in quo collocatum est tabernaculum Ss.mi signo aliquo indubio et conspicuo facile ab aliis dignosci possit, praesertim in ecclesiis magnarum urbium, et hoc, ut omnis irreverentia arceatur et ut fideles ecclesiam ingressuri facilius Christo Domino in tabernaculo praesenti potiorem, uti par est, cultum praebeant. Quale debeat esse hoc signum, non determinatur. Iuxta can. 1271 « coram tabernaculo in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum ». Hoc tamen non necessario indicat altare Sanctissimi, cum iuxta *Caeremoniale Episcoparum* (Lib. I, cap. XII, n. 17) etiam ante alia altaria, praesertim ante altare maius, etsi in eo ss. Eucharistia non asservetur, congruenter lampades ardeant. *Rituale romanum* vult ut tabernaculum Ss.mi sit « conopaeo decenter opertum » (Tit. IV, cap. I, n. 6). Mi-

rabitur fortasse quispiam istud silentio praeteriri. Sed multis in regionibus haec praescriptio vix servatur, vel si adhibetur conopaeum, hoc tam parvum est ut difficile inde tabernaculum SS.mi dignosci valeat. Restat igitur ut Ordinarii signum illud indubium et conspicuum determinent quo facile altare in quo collocatur tabernaculum Ss.mi ab omnibus fidelibus dignosci possit.

Quod ad asservationem sanctissimi Sacramenti ultimo triduo maioris hebdomadae, imprimis Instructio in memoriam revocat quomodo servanda sit sacra Hostia pro missa praesanctificatorum et quomodo, iuxta decreta, calix cum Hostia reponendus sit in capsula clavi obserata ita ut calix adorantibus nullo modo pateat. Ubi vero contraria consuetudo a longo iam tempore exsistit, videant Ordinarii utrum talis consuetudo servari possit et debeat, an potius ad commune ius sit accedendum.

Sed praeter hostiam pro missa praesanctificatorum, servandae quoque sunt in pyxide particulae pro communione infirmis danda. Hae autem nullo modo asservari possunt ad publicam venerationem, cum haec, contra, prohibeatur, et ideo etiam in ecclesiis in quibus sollemne officium non habetur, ad solis occasum feriae V pyxis amovenda est e tabernaculo in quo ordinarie asservatur et, sicut in aliis ecclesiis, reponenda in aliquo sacello remoto, decenti tamen, ut Eucharistiae Sacramento pro ratione loci non desit obsequium congruentis honoris et decoris; et imprimis coram eo iugiter ardeat lampas. Idem valet de Oratoriis publicis, quae, iuxta can. 1191, iure ecclesiarum reguntur. Sed non patet idem praescriptum servandum esse etiam in oratoriis semipublicis in quibus SS.mum asservari solet, cum in iis non habeatur *publica* veneratio quae prohibetur.

Instructio vim habet verae legis quam Summus Pontifex suprema sua auctoritate sanxit, et locorum

Ordinarii iubentur intra annum Congregationem certiorem facere de his quae in exsecutionem harum praescriptionum decernenda censuerunt.

IOS. PAUWELS, S. I.

---

57. — Suprema S. Cong. S. Officii.

Decretum 11 nov. 1929

PROSCRIPTIO LIBRI.

(A. A. S., 2 dec. 1929, XXI,670)

Feria IV, die 30 Octobris 1929

Dies resolutionis: 30 oct. 1929.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac R.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum cui titulus:

Opus damnatum.

ERNST MICHEL, *Politik aus dem Glauben.* Eugen Diederichs Verlag in Jena, 1926.

Approbatio et mandatum publicandi, 31 oct.

Et in sequenti Feria V, die 31 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti (11 nov. 1929).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, 11 Novembris 1929.

A. SUBRIZI, *Supremae S. C. S. Officii Subst. Notarius.*

---

58. — Pontificia Commissio pro Russia

Decretum 27 maii 1929

INDULGENTIAE A RUSSIS LUCRANDA

(A. A. S., 4 nov. 1929, XXI, 644)

Orator.

Precibus piorum aliquot Russorum benigne annuens, Ss.mus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XI, habito voto E.mi Cardinalis Maioris Poenitentiarii, referente R. P. D. Michaële d'Herbigny, Episcopo titulari Iliensi, huius Pontificiae

Audientia SS.i

Commissionis Relatore, in Audientia diei 17 Maii currentis anni, indulgentias quae infra adnotantur, suetis conditionibus, a Russis lucrandas concedere dignatus est, scilicet:

Indulgentiae.

Indulgentiam tercentorum dierum quoties piam recitaverint ad Dominum Iesum orationem (russice: Molitva Iisusova) his verbis constantem « Domine Iesu Christe, Fili Dei, miserere nobis (amen) »; russice: Gospodi Iisuse Christe sine Bojii pomilui nas (Amen).

Item indulgentiam tercentorum dierum quoties duodecies, uti inter Byzantinos mos est, Kyrie eleison, russice: Gospodi pomilui, devote dixerint.

Item indulgentiam tercentorum dierum quoties in publica ecclesia vel oratorio sacras Icones D. N. I. C., B. V. Mariae nec non Sancti Titularis Ecclesiae et Sancti cuius Festum celebretur, osculis religiose venerati sint.

Mandatum vulgandi.

Mandavit insuper eadem Sanctitas Sua ut supradictae gratiae praesenti Decreto publici iuris fiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Clausula (Dies 27 mai 1929).

Datum Romae, ex Secretaria Pontificiae Commissionis pro Russia, die 27 Maii anno 1929.

A. Card. SINCERO, *Praeses.*

L. ✠ S. C. MARGOTTI, *Secretarius.*

ANNOTATIO.

In decreto isto haec notabilia observamus:

1. Audientia 17 maii videtur concessa fuisse III. D. D' HERBIGNY, qui, qua *relator,* non aliter atque assessor sup. C. S. Officii vel S. C. Consistorialis de oraculo vivae vocis fidem facit.

2. Cum proprium officium de indulgentiis sit annexum S. Paenitentiariae, per quam tamen praesentes indulgentiae non sunt concessae, competentiae huius tribunalis est per votum Cardinalis Paenitentiarii maioris ratio habita.

3. Propter eandem, ni fallimur, rationem, indulgentia solis Russis lucranda reservatur.

N. B. Commissio pro Russia constat *Praeside, Relatore, Secretario* et sociis. Cfr *Annuario Pontificio* 1929, p. 482.

[57. 58.]

ACTA SUMMATIM RELATA

59. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Consistorium 28 oct. 1929.

A. Feria II, 28 octobr. 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI, in consistorio publico pontificalem rubrum Galerum sollemniter imposuit Rev.mo Card. Petro Segura y Saenz, archiepiscopo Toletano, creato et publicato in Consistorio secreto 19 dec. 1927, ac subinde in Consistorio secreto publicavit sacrorum antistites iam per bullas renuntiatos (A. A. S., XXI, 617 ss.)

Consist. 16 dec. 1929.

Feria II, 16 dec. 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI, post habitam allocutionem, Cardinales creavit; Emmanuelem Gonçalves Cerljeira, patriarcham Lisbonensem, Eug. Pacelli, arch. titularem Sardicensem. Aloysium Lavitrano, arch. Panormitanum; Car. Dalmat. Minoretti, arch. Ianuensem; Ioann. Verdier, arch. Parisiensem et pluribus ecclesiis pastores providit (Cfr infra, *Provisio ecclesiarum*).

Epistola ad Card. Dubois, iubilantem et de Action Française.

B. Die 25 aug. 1925, SS. D. N. Pius Pp. XI Chirographum misit ad Em. Card. Ludovicum Dubois, archiepiscopo Parisiensem quibus de proxime instante iubilaeo sacerdotali Eminentissimo viro gratulatus est, eundem laudibus effert propter zelum quem explicavit in debellanda *haeresi* « Action Française » (hoc enim nomine, ait, iam nunc et in posterum compellari potest et debet), eum ad perseverandum hortatur, cum minime a prima sententia Pontifex recedat, et Cardinali facultatem facit impertiendi fidelibus qui sollemni ipsius iubilei celebrationi adfuturi sint benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, solitis condicionibus lucranda (A. A. S., XXI, 619).

Ex Oregonopolitana fit dioecesis Portlandensis in Oregon.

C. Bulla *Ecclesiarum omnium*, 26 sept. 1928, SS. D. N. Pius Pp. XI, ab Oregonopolitana civitate ad Portland iura episcopalia transtulit, mutato nomine archidioecesis in *Portlandensem in Oregon* (A. A. S., XXI, 649).

Commissio ad parandum Codicem Orientalem.

D. Instantibus quam plurimis Orientalis Ecclesiae Praelatis, atque interpellata de re hierarchia, SS. D. N. Pius Pp. XI constituit *Commissionem Cardinaliciam pro studiis* ut aiunt, *praeparatoriis Codificationis Orientalis.* Porro componitur Em. C. P. Gasparri ut Praeside, Aloysio Sincero, Bonaventura Cerretti, Francisco Ehrle. R.mus Hamletus Ioannes Cicognani est a *Secretis.*

E. Die 6 nov. 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI litteras Card. Archiep. Toletano dedit de conventu nationali *actioni catholicae* provehendae. Iis iterum quid esset actio catholica explicavit. Litteras exscribemus in proximo fasciculo qui primus erit tomi XIX (A. A. S., XXI 1929).

Iubilanti Instituto Mechliniensi de Musica sacra gratulatur Pontifex.

F. Brevi *Quantopere Nobis,* 8 maii 1929, SS. D. N. Pius Pp. XI Mechliniensi Instituto musicae sacrae provehendae gratulatur quinquagesimum annum ex quo initium cepit, atque iterum manifestat quantum liturgici cantus et musicae sacrae institutio ipsi cordi sit (A. A. S., XXI, 1929, 654).

G. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Erectio vicariatus de Bukoba.

1. Brevi *Ad fidem catholicam,* 8 aprilis 1929, erigitur vicariatus apostolicus de *Bukoba* in Africa centrali (A. A. S., XXI, 1929, 622).

Erectio vicariatus de Mwanza.

2. Brevi *Litteris Apostolicis Nostris,* 10 aprilis 1929, distracto territorio ex vicariatu apostolico Victoriae Nyanzenzis in Africa centrali, erigitur vicariatus apostolicus de *Mwanza* (A. A. S., XXI, 1929, 623).

Iurisdictio delegationis apostolicae Aegypti.

3. Brevi *Romani Pontifices,* 11 martii 1929, iurisdictio delegationis apostolicae Aegypti, extenditur ad territoria *Palestinae, Transjordaniae* et *insulae Cypri* (A. A. S., XXI, 1929, 651).

Erigitur missio de Hainan in Sinis.

4. Brevi *Quod christiani gregis,* 15 aprilis 1929, erigitur in missionem sui iuris *insula de Hainan* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 652).

Erectio missionis de Changtien in Sinis.

5. Brevi *Ut, aucto pastorum,* 16 aprilis 1929, dismembrato territorio ex vicariatu apostolico de Tsinanfu, erigitur missio independens *de Changtien* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 653).

Erectio praefecturae apostolicae de Yungnien in Sinis.

6. Brevi *Quod Nobis,* 24 maii 1929, distracto territorio ex vicariatu apostolico de Sienhsien erigitur praefectura apostolica de *Yungnien* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 655).

Extenditur vicariatus apostolicus de Mogodiscio.

7. Brevi *Quae catholicae,* 24 maii 1929, Vicariatui apostolico de *Mogadiscio* adiudicatur territorium trans *Jubam,* hactenus ad vicariatum de Zanzibar pertinens (A. A. S., XXI, 1929, 656).

Erectio praefecturae apostolicae de Loyang in Sinis.

8. Brevi *Nobis ex Alto,* 24 maii 1929, separato territorio a vicariatu apostolico de Chengchow, erigitur praefectura apostolica de *Loyang* in Sinis (A. A. S., XXI, 1929, 657).

Erectio missionis de Yihsien.

9. Brevi *Cum venerabilis frater,* 25 maii 1929, territorium separatum a vicariatibus apostolicis de Paotingfu et de Peking erigitur in missionem sui iuris, titulo de *Yihsien* (A. A. S., XXI, 1929, 658).

Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.

Erectio vicariatus apostolici Islandiae.

10. Brevi *Cum ex apostolico*, 16 iunii 1929, *praefectura apostolica Islandiae* in vicariatum apostolicum erigitur (A. A. S., XXI, 1929, 659).

H. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

Ecclesia B. M. V. Lapurdensis.

1. Brevi *Edocet Nos*, 8 iunii 1929, ecclesia paroecialis B. M. V. Lapurdensis in oppido Raihenqurg dioecesis Lavantinae (A. A. S., XXI, 1929, 660).

Templum S. Dunstani.

2. Brevi *Edocet Nos*, 14 iunii 1929, templum cathedrale S. Dunstani, dioecesis Carolinopolitanae (A. A. S., XXI, 1929, 661).

Templum Buscoducense S. Ioannis Ap. Ev.

3. Brevi *Buscoducensi in civitate*, 19 iunii 1929, templum cathedrale Buscoducense, in honorem S. Joannis Ap. et Ev. (A. A. S., XXI, 1929, 662).

60. — S. Cong. pro Ecclesia Orientali

Seminarium Hierosolymitanum a S. Anna, pro Melchitis.

Decreto 15 maii 1929, S. C. pro Ecclesia Orientali varia ordinavit et servanda iussit de Seminario a S. Anna quod 18 mart. 1882 per decr. *S. C. de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis*, « Insignem sacram aedem ». in urbe Hierosolymitana erectum est, pro Melchitis. Seminarii cura commissa est Congregationi Missionariorum Africae (Vulgo *Pères Blancs*) (A. A. S., XXI, 1929, 670).

61. — Sacra Paenitentiaria Apostolica.

Indulgentiis

Die 19 aug. 1929, S. Paenit. Ap. 300 dierum toties quoties, plenaria suetis sub condicionibus, cotidianae per integrum mensem recitationi, indulgentia ditavit sequentem ad S. Teresiam a Iesu infante orationem:

Oratio ditata.

« Sainte aimable et compatissante, daignez soulager nos frères russes, victimes d'une longue et cruelle persécution antichrétienne: obtenez-leur la persévérance dans la Foi, le progrès dans l'amour de Dieu et du prochain et dans la confiance envers la Très Sainte Mère de Dieu; préparez-leur des saints Prêtres, réparateurs des sacrilèges commis contre la Sainte Eucharistie et des blasphèmes; faites refleurir, surtout dans la jeunesse, la pureté angélique et les vertus chrétiennes, afin que ce noble peuple, libéré de toutes les servitudes et revenu spontanément à l'unique bercail que le Coeur aimant

du Christ ressuscité confia tout entier à Saint Pierre et à ses successeurs, goûte enfin la joie de glorifier dans la communion de la Sainte Église Catholique le Père et le Fils et le Saint - Esprit. Amen ». (A. A. S., XXI, 643).

62. — Provisio Ecclesiarum.

In Consistorio nominati sunt :

28 oct. 1929 : R. D. Iulius Behnam Kalian, arch. Babylonensis Syrorum, ex ep. Bathnanensi. — *Babilonia (Asia)*

Iosephus Mac Donald, archiepiscopus Sancti Andreae et Edimburgi (De hoc iam supra, 278). — *Edimburg (Scozia).*

Iosephus Guadalupe Ortiz y Lopez, ex ep. Ancusensi, archiepiscopus Monterrejensis. — *Monterrey (Messico).*

Maurilius Fossati, ex ep. Nuorensi, archiepiscopus Turritanus. — *Sassari (Italia).*

Rogerius Bovelli, ex ep. Faventino et Mutilensi, archiepiscopus Ferrariensis. — *Ferrara (Italia).*

Nicolaus Monterisi, ex archiep. Theatino, archiepiscopus Salernitanus. — *Salerno (Italia).*

Emmanuel Antonius De Paiva, ex ep. Ilheosensi, episcopus Garanhunensis. (De hoc iam supra, 278). — *Garanhuns (Brasile).*

Daniel Hostin, episcopus Lagensis. (De hoc iam supra, 278). — *Lages (Brasile).*

Aloisius a Sancta Anna, episcopus Uberabensis. (De hoc iam supra, 278). — *Uberaba (Brasile).*

Iosephus a Iesu Lopez, ex ep. Damensi, episcopus de Aguas Calientes. — *Aguas Calientes. (Messico).*

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt :

12 apr. 1929, R. D. Thomas Mulvani, cathedrali episcopali Ecclesiae Midensi. — *Meath (Irlanda).*

27 aug. 1929, R. D. Andreas Taccone, ex ep. Bovensi, cathedralibus ecclesiis perpetuo unitis Rubensi et Bituntinae. — *Ruvo, Bitondo (Italia).*

N. B. Omittimus eos qui in Consistorio 28 oct. 1929 praeconizati sunt.

63. — Nominationes

A. *Rescriptis S. C. Consistorialis,* approbata est designatio tribunalis Ordinarii Principis Alberti et Saskatoonensis ut appellationis pro archiep. Reginatensi; et Ordinarii Harlemensis pro Archiep. Ultraiectensi. — *Appellationis tribunalia.*

B. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt:*

Praesides Pont. Op. a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo pro clero indigena:

Pro Italia. 31 oct. 1929, Josephus Zanetti, pro Italia;

Pro Hungaria. 22 nov. 1929, Otho Krywald, pro Hungaria.

64. — Necrologium

Goa. 19 maii 1929, Ill. D. Mattheus de Oliveira Xavier, archiepiscopus Goanensis et Patra. Ind. Orient.

Roso. 9 sept. 1929, D. Trudone Jans, episcopus tit. Rhosiensis.

Pasto. 9 oct. 1929, D. Antonius M. Pueyo de Val, episcopus Pastopolitanus.

Peoria. 18 oct. 1929, D. Michael Dunne, episcopus Peoriensis.

Nizza. 22 oct. 1929, D. Laurentius Ricard, episcopus Nicensis.

Regina. 26 oct. 1929, D. Oliverius Eleazarus Mathieu, archiepiscopus Reginatensis.

Ancona. Umana. 10 nov. 1029, D. Joannes Baptista Ricci, archiepiscopus Anconitanus, Humanensis.

Utrecht. 18 nov. 1929, D. Henricus Van Wetering, archiepiscopus Ultraiectenensis.

NOTANDUM

Prae copia rerum, in primum fasciculum tomi XIX differre debuimus bibliographiam, atque etiam non nulla acta quae per se ad tomum XVIII ascribenda erant.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

R. D. **Sosius d' Angelo**, *Prof. iur. in Pont. Univ. S. Apollinaris in Urbe*, 37*, ss.

G. Arendt, S. I., *Theologus S. Paenitentiariae*, 161* ss.

Fel. M. Cappello, S. I., *Prof. iuris canonici in Pont. Universitate Gregoriana*, 6, 86* ss., 148* ss., 165* ss., 249 ss.

I. M. Hanssens, S. I., *Prof. Theologiae liturgicae in Pont. Univ. Gregoriana*, 152* ss.

R. P. **F. Hecht**, *e Pia Societate Missionum*, 83* ss.

P. Aemilius Herman, S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Instituto Orientali*, 189 ss.

M. Mostaza, S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univers. Gregoriana*, 44 ss., 84 ss., 173* ss.

O. von Nell Breuning, S. I., *Prof. theol. mor. et ethicae in Francofurtensi Collegio philos.-theol. Santes Georgen*, 1* ss.

Ios. Pauwels, S. I., *Professor scientiarum in Facultate philosophica Namurcensi, S. I.*, 112 ss., 115.

I. B. Umberg, S. I., *Prof. iuris canonici in Univ. Oenipontana*, 97* ss.

A. Vermeersch, S. I., *Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Universitate Gregoriana*, 35* 36* ss., 92* ss., 74 ss., 123* ss., 167* ss., 168* ss., 170* ss., 179* ss., 225 ss.

G. Vromant, *Cong. Immac. Cordis Mariae, Prof. iuris can. in Instituto Missionariorum Lovaniensi*, 17* ss.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

Pag.

De obiectiva ratione pretii iusti 1*

De donis quae missionariis sive saecularibus sive religiosis quandoque ab extraneis mittuntur. Praenotamen 17*

§ 1. Eleemosynae collatae intuitu missionis.

A. Praecipuae personae morales in missionibus. 17*

B. Administratores illorum bonorum seu donationum 20*

§ 2. Bona missionario missa intuitu personae 23*

Obligatio vitae communis apud missionarium religiosum 25*

De Peculio 31*

De can. 587 § 2 . . . . . 32*

De restitutione in integrum iuxta can. 1905 § 2, 4º

1. Status Quaestionis 37*

2. Antiqua disciplina 38*

3. Querela nullitatis 41*

4. Neglectus legis 44*

5. Iuris fontes 45*

6. Probati auctores 48*

7. Interpretatio canonis 50*

8. Requisita ad concessionem 55*

9. Solvuntur difficultates 56*

10. Praxis interpretativa 59*

11. Conclusiones 62*

De crematione corporis humani.

Introductio 63*

I. Genuina vis instructionis Supremae Congregationis 67*

II. Intrinseca causae indagatio 71*

III. Propriae christianorum rationes 78*

IV. Breviter satisfit obiectis 80*

Conclusio 81*

Quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sint neganda.

Introductio 97*

A. De haereticis et schismaticis extra mortis periculum constitutis 98*

B. De haereticis et schismaticis in mortis periculo constitutis 108*

Practica disquisitio de sacramentis concedendis vel negandis acatholico.

Introductio 123*

I. Observationes generales 125*

II. De baptismo acatholici moribundi qui voluntatem suam exprimere nequit . . 127*

III. Schematica propositio casuum de collatione sacramentorum acatholicis . . . 142*

De Simoniae delicto et censura can. 2392.

Utrum sola simonia iuris divini an etiam iuris ecclesiastici ista poena plectatur.

I. Dissertatio 161*

II. Observationes de isto argumento 165*

De nuperrima editione Indicis.

I. Index Leonis XIII 173*

II. Indice dei libri proibiti riveduto e pubblicato per ordine di S. S. Pio Pp. XI, 1929 175*

III. Specialis ordo praesentis editionis Indicis ad praeteritas post Codicem . . . 177*
De die qua leges effectus suos irritationis vel obligationis obtinent.
Principia generalia 179*
Applicatio ad matrimonia mixta Germaniae 181*

Quaesita varia.

1. *De recto usu dispensationis seu facultatis obtentae* 35*
2. *Num diaconus sollemniter baptizans benedicere valeat salem et aquam* 83*
3. *Nonnullae quaestiones de Iubilaeo.*
I. Quasnam ecclesias degentes Romae visitare possint 86*
II. Absolutio censurarum ab homine 87*
III. Iterata commutatio operum 87*
IV. Num confessarius secum dispensare valeat in votis, ieiunio, etc 89*
V. De verbis « intra limites iurisdictionis ». 90*
VI. De diebus utilis ieiunii 90*
VII. De privilegio personali sacerdotum. 91*
Nonnullae Quaestiones.
I. De canonica paroeciae possessione 148*
II. De potestate Episcopi subducendi personas vel familias a parochi iurisdictione . 149*
III. De exemptione familiarium et matrimoniis in domo religiosa exempta . . . 150*
IV. De separatione partis territorii 151*
V. De condicione : « nubo si te convertes ad fidem catholicam » 151*
Nota super quadam rubrica de defectu vini 152*
Quaesitum de chori obligatione pro canonicis. Excusatio propter officium spiritualis Praefecti, propter praedicationem 167*
Varia quaesita de religiosis.
1. De votis renovatis extra dioecesim 168*
2. De erecta domo religiosa in duos annuos menses 169*
3. De delegatione personae extraneae ad recipienda vota 169*
8. *Quaesita de censuris.*
a) De absolutione a censuris, paenitentis non dispositi ad recipiendam absolutionem a peccatis 170*
b) De vi facultatis generalis absolvendi in censuras postea latas 170*
9. *De delegatione ad subscribenda sponsalia* 185*
10. *Quaesita Sinensia.*
a) De art. 328 nuper habiti Conc. plenarii Sinensis et can. 891 . . . . . 183*
b) De matrimonio : usu Privilegii Paulini 184*
11. *De indulgentiis.*
a) Quaenam indulgentiae sint defunctis applicabiles 186*
b) De acceptatione mortis 187*

Casus.

De recto usu dispensationis seu facultatis obtentae 35*
De delegatione pro matrimonio 36*
De aedificatione ecclesiae a religiosis 92*
Solutio casus de delegatione pro matrimonio propositi pag. 36* 94*
De piis voluntatibus implendis 95*
Solutio casus propositi p. 95 de piis voluntatibus implendis.* 157*
De benedictionibus diaconorum 159*
*Solutio casus de benedictionibus diaconorum propositi p. 159** 170*
De censuris. 171*
Solutio casus de censuris, propositi pag. 171* 171*

Index analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pius Pp. XI. *Pag.*

1. Bulla *Auspicantibus*, universale iubilaeum extra ordinem ad totum annum 1929 indicens (6 ian 1929). 1
Annotationes: Introductio. — Notio, divisio, finis et fructus iubilaei. — De iis qui iubilaeum lucrari valent. — De condicionibus requisitis ad iubilaeum lucrandum. — De facultatibus concessis confessariis aliisque de altari privilegiato, ac de ceteris gratiis. — De iterata lubilaei acquisitione. 6
4. Allocutio Consistorialis de Congressu Sydneyensi (17 dec. 1928). 65
5. Bulla *Divini cultus* de liturgia, Cantu Gregoriano et musica sacra (20 apr. 1928). . 67
Annotationes. 74
Tria recentiora Concordata.
6. I. Conventio inter S. Sedem et Rempublicam Lusitanam (15 apr. - 3 maii 1928). . 76
7. II. Modus vivendi inter S. Sedem et rempublicam cecoslovacham (2 feb. 1928). . . 81
8. III. Pacta conventa inter S. Sedem et Lithuaniae Gubernium (27 sept. - 10 dec. 1927). 84
Commentarium seu Annotationes de tribus recentioribus Concordatis.
I. De conventione inter S. Sedem et rempublicam Lusitanam de rebus ecclesiasticis in Indiis Orientalibus. 97
II. Modus vivendi cum Cecoslovachia. 100
III. Concordatum Lithuanicum. 102
Inter S. Sedem et Italiam Conventiones.
17. Pactum Politicum 125
18. Pactum oeconomicum 133
19. Concordatum 134
Pacta conventa subscripta a SS. D. N. Pio Pp. XI et a Rege Italiae commutantur . 148
Telegrammata 149
20. Sermones 11 et 13 feb. 1929.
I. Sermo 150
